Rev. J. Johnston,
Diocese of Cleveland
Aug. 19. '14,

WITHDRAWN

COMPENDIUM
THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

e

Præcipuis scholasticis antiquis et modernis redactum

AUCTORE

MANZONI CÆSARE

Philosophiæ et Sacræ Theologiæ doctore
Ecclesiæ Cathedralis theologo
Theologiæ Dogmaticæ et Sacræ Scripturæ
in Seminario Laudensi professore

Quodcumque satum est, hoc idem... excolatur et observetur, hoc idem floreat et maturescat; hoc idem proficiat et perficiatur.

(S. VINC. LIRINENS., *Common.*, c. 23).

VOLUMEN I

complectens tractatus

De Religione - De Ecclesia - De Fontibus revelationis

EDITIO ALTERA AUCTA ET EMENDATA

230
M296c
v.1

AUGUSTAE TAURINORUM
EX LIBRARIA A SS. CORDE JESU
Jo. B. BERRUTI

1909

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS JESU.

V.° Nihil obstat.

Aug. Taur. 25 Septembris 1909.

VINCENTIUS COMINO, *Rev. Deleg. Arc.*

V.° Imprimatur.

Taurini, die 25 Septembris 1909.

† CONST. CASTRALE, *Vic. Gen.*

Quae iura a lege sunt, auctor sibi reservat.

TORINO
Composizione meccanica « Linotype » di Berruti e Sismondi.
Stampato nella Tip. Eredi Botta

96c
13425

Dilecto filio Caesari Manzoni Canonico theologo Ecclesiae Laudensis.

PIUS PP. X.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Libenter a te tua quatuor accepimus volumina, quibus « *Compendium Theologiae Dogmaticae* » continetur; siquidem in eis non solum amavimus munus pietatis erga Nos tuae, sed etiam opus valde probabile ingenii atque doctrinae. Scimus enim te inter eos, qui de sacris disciplinis in Seminariorum commodum tractarunt, non ultimum, peritorum sententia, obtinere locum: tibique dari laudi, quod ita servieris brevitati, ut non ieiunum aut obscuritate involutum adhibueris tractationis genus, sed plenum delecta copia rerum, ac perspicuum.

Quin vero, id quod caput est, integritatem doctrinarum catholicarum, duce in primis Thoma, religiosissime servaveris, explorato tuo in Vicarium Jesu Christi obsequio et fide, non est dubium. Quare tibi gratulamur, dilecte fili, teque, ut sacrae iuventuti utilem navare operam scribendo pergas, hortamur. Auspicem autem divini auxilii, Apostolicam tibi benedictionem paterno cum studio impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVI Julii MCMIX, Pontificatus Nostri anno sexto.

PIUS PP. X.

JOANNI BAPTISTAE ROTAE
ECCLESIAE LAUDENSIS ANTISTITI
AUSPICATISSIMO RECURRENTE DIE
QUO
QUINQUAGESIMO ABHINC ANNO
PRIMITUS SACRUM FECIT
DOMINO PATRI PASTORI
REVERENTIAE AMORIS OBEDIENTIAE
PIGNUS
TENUE OPUS
AUCTOR INSCRIBIT

Laudensis episcopi litterae.

Reverentiae, amoris atque obedientiae in Nos quamplurima argumenta obtulisti; nunc vero publicum, occasionem Nobis jucundissimam nactus.

Volumen quod Nobis dicasti, libenti animo accipimus, ut quod omnimode commendabile, cum scientia divinarum Litterarum, tum venerabilis traditionis observantia atque romanitate sententiarum.

Quum, vel inter recentiores, tot errores serpant, quibus viribus collatis obsistere oportet, ad hoc valde opus tuum profuturum haud ambigimus.

Gratulamur igitur et Tibi qui cum Ecclesia sentis, et alumnis qui in spem nostrae Laudensis Ecclesiae adolescunt, atque, te duce eruditissimo, ad puros catholicae doctrinae fontes hauriunt.

Benedictiones et dona quae optamus, tibi concedat Dominus.

Ex aedib. Episc. prid. non. Jul. MCMVI.

† Joannes Baptista, *Episcopus.*

Adm. R. doct. Caesari Manzoni Canon. theol. Cathedralis nostrae et in seminario Theologiae Dogmaticae et Sacrae Scripturae professori.

Benevole lector,

Non semel rogatus a discipulis meis, quae viva voce tradebam, tertium post lustrum litteris edidi, et nunc meliori forma redacta tibi offero.

Non novam excudere doctrinam in animo fuit, sed *romanam* sapientiam, quam ad pedes B. Petri a summis magistris MAZZELLA, SCHIFFINI, BILLOT, DE AUGUSTINIS hausi, in compendium redigere, ut qui in spem Ecclesiae adolescunt fidei dogmata agnoscerent et sapeperent atque ab haereticorum sophismatibus defenderent. *Noviter* allata, non levi studio comparavi, ut quidquid veri progressus excogitatum est, eis thesaurizarem simulque antiqui serpentis novos astus detegerem et contra falsi nominis scientiam et profanas ac periculosas novitates eos praemunirem. Non immemor laudum, quibus RR. PP. saepe saepius methodum et disciplinam *scholasticam* ejusque principem S. Thomam cumularunt [1], haec fideliter secutus sum, ratus inde breviorem et clariorem fieri sermonem, firmioremque argumentandi vim. Non decuit tamen *polemicae* theologiae oblivisci; quis enim ignorat nostris hisce diebus portas inferi summo conatu Ecclesiam impetere, novis argumentis antiquos errores fulcire omneque fidei fundamentum aggredi? *Positivam* quoque addidi maxime ut praedicatores agrum Domini excolentes opportunam S. Scripturae et Patrum segetem invenirent vitarentque reprehensionem quam Leo XIII inurit praedicatoribus, « qui ita conciones de religione habent et praecepta divina enuntiant, nihil ut fere afferant nisi humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis quam divinis innixi » [2].

De amplitudine tractationis dubitabam; si enim universam doctrinam exponerem, compendii fines transgredi videbar; si praecipuas tantum quaestiones tangerem, discipulos non sufficienter contra multiplices errores praemunirem. Superiorum desideriis obsecutus utrumque contemperare sic aestimavi ut brevi eloquio integram theologiam dicerem, diversis typis utens prout exponerem quae tyronibus apprime essent necessaria vel quae sacerdotibus, majora opera sibi comparare non valentibus, utilia forent.

Quod exoptabam assecutusne sum? Tu, benevole lector, judica. Et si fructum aliquem ex vigiliis laboribusque meis retuleris, gratias age Deo Patri luminum bonorumque omnium datori, sin autem, mihi ignosce, qui ut tibi prodessem omnes vires advocavi. Ceterum pro me ora, qui tui ad altare Dei memoriam facio. Vale.

Laudae in festo Assumptionis B. V. M. 1909.

---

[1] SIXTUS V Bulla *Triumphalis;* PIUS IX Litt. ad *Arch. Frising.* 21 decem. 1863; *Syll.* pr. 13; LEO XIII Enc. *Aeter. Patris.*

[2] LEO XIII Enc. *Providentissimus.*

AUCTORIS FONTES PRAECIPUI.

In re theologica.

S. Thomas Aquin. *Summa Theol.* ed. Paris 1882; *Quaestiones disputatae* Paris 1883; *Contra Gentes* Paris 1881; *Opuscula selecta* Tiferni Tib. 1886; *cetera opera* ex ed. parmensi, Fiaccadori.

Card. De Vio Cajetanus. *Com. in Sum. S. Thomae* Lugduni 1577.

R. Bellarminus. *De controversiis* Vol. 4 ed. Romana 1832.

Dion. Petavius. *Opus de theologicis dogmatibus* Venetiis 1745.

Sardagna. *Theologia dogmatico-polemica* Romae 1819.

Franzelin. *De Ecclesia* ed. 1. 1887; *De Traditione et Scriptura* ed. 3; *De Deo Uno* ed. 3; *De Deo Trino* ed. 3; *De Verbo Incarnato* ed. 3; *De sacramentis in genere* ed. 3: *De SS. Eucharistiae Sacramento et Sacrificio* ed. 3.

Palmieri. *De Romano Pontifice* ed. 3; *De Deo Creante et Elevante* ed. 1878; *De Poenitentia* ed. 1879; *De Matrimonio* 1880; *De Gratia actuali* ed. 1855; *De Peccato originali et de Immaculato B. V. M. Conceptu* 1904.

C. Mazzella. *De Religione et Ecclesia* ed. 2; *De Deo Creante* ed. 2; *De Gratia Christi* ed. 2; *De virtutibus infusis* ed. 3.

De Augustinis. *De re sacramentaria* ed. 2. 1889.

L. Billot. *De Ecclesia* ed. 1; *De Inspiratione Sacrae Scripturae* ed. 2; *De Sacra Traditione* ed. 1; *De Deo Uno et Trino* ed. 3; *De Novissimis* ed. 2; *De Verbo incarnato* ed. 2; *De virtutibus infusis* ed. 1; *De Sacramentis* ed. 2.

G. B. Tepe S. J. *Institutiones theologiae* Vol. 4 1894 sqq.

L. De San S. J. *Tractatus De Deo* Lovanii 1894.

Ch. Pesch. *Praelectiones dogmaticae* vol. 1-2 ex ed. 2, 3-9 ex ed. 1; *De inspiratione Sacrae Scripturae* 1906.

L. Janssen. *Summa theologica. Friburgi.* hucusque vol. 6.

A. M. Lepicier. *Institutiones theologiae dogmaticae. De Deo Uno* 1901; *De SS. Trinitate* 1902; *De Incarnatione* 1905; *De B. V. M.* ed. 3 1906; *De gratia* 1907.

F. Pignataro S. J. *De Deo Creatore* 1904, *De disciplina poenitentiali* 1904.

S. SCHIFFINI. *De Gratia* 1906; *De Virtutibus infusis* 1904; *Divinitas Scripturarum* 1905.

H. VAN LAACN S. J. *De Ecclesia et Traditione* litogr.

H. HURTER. *Theologiae dogmaticae compendium* ed. 6.

F. SALA. *Institutiones positivo-scolasticae theologiae dogmaticae* ed. 4.

C. CROSTA. *Theologia dogmatica* ed. 2. 1900.

TANQUEREY. *Synopsis Theologiae dogmaticae* ed. 6.

H. MAZZELLA. *Praelectiones Dogmatico-scholasticae* ed. 3.

I. V. BAINVEL. *De Magisterio Vivo et Traditione* Paris 1905.

In re Scripturae.

R. BELLARMINUS. *In omnes Psalmos explanatio* Brixiae 1611.

A. LAPIDE. *Commentaria. Opera omnia* ed. Balleoniana 1740.

CORNELY, KNABENBAUER, HUMMELAUER. *Cursus Scripturae Sacrae* hucusque Vol. 33.

CORNELY. *Compendium introductionis in S. Scripturas* Parisiis 1889.

VIGOUROUX. *La Bible et les découvertes modernes* ed. 6 Paris 1906.

VIGOUROUX et BACUEZ. *Manuale Biblico* 1894 sqq.

PEULTIER, ETIENNE, GANTOIS. *Concordantiarum thesaurus* Parisiis 1879.

HAGEN S. J. *Lexicon Biblicum* Parisiis 1905 sqq.

A. PADOVANI. Comment in epist. ad *Ephes., Philip., Colos.* 1892, *Thessal., Tim.* 1894, *Tit., Phil., Hebr.* 1896.

In re apologetica.

DE GROOT. *Summa apologetica* Ratisbonae 1906.

G. BALLERINI. *Il principio di causalità* 1904 et alia opuscula.

G. CALDERONI. *Il positivismo, l'evoluzionismo e il materialismo.* Desclée.

DE BROGLIE. *Problemi e conclusioni della storia delle religioni* Siena 1906.

CIVILTÀ CATTOLICA, SCUOLA CATTOLICA etc.

In re philosophica.

SYLVESTER MAURUS. *Quaestiones Philosophicae* Cenomani 1875.

LIBERATORE. *Institutiones philosophiae* et alia opera.

ZIGLIARA. *Summa philosophica* ed. 5.

S. SCHIFFINI. *Principia philosophica* a. 1886; *Disputationes metaphysicae* 1888.

PHILOSOPHIA LACENSIS. (*T. Pesch, J. Hontheim, Th. Meyer*) Friburg. Brisg. 1888 sqq. Vol. 11.

In re historica.

GIUSEPPE FLAVIO. *Antichità Giudaiche* Milano 1821; *Guerra giudaica* Milano 1822.

NATALIS ALEXANDER. *Historia Ecclesiastica* Paris a. 1730 sqq.

ROHRBACHER. *Histoire universelle de l'Église catholique* ed. 7 Paris.

C. CANTÙ. *Storia universale* ed. 6.

B. JUNGMANN. *Dissertationes selectae in historiam ecclesiasticam.* Ratisbonae 1880 sqq.

H. G. WOUTERS. *Historiae Ecclesiasticae compendium* ed. Neapolitana.

G. HERGENRÖTHER. *Storia universale della Chiesa* ed. 4 Firenze 1905 sqq.

G. RAUSCHEN. *Manuale di Patrologia.* Firenze 1905.

P. SYXTUS O. C. R. *Notiones Archeologiae christianae.* Desclée Romae 1908 sqq.

THESARIUS.

THES. 1 Religionis origo repeti nequit — 1 ex sacerdotum et legislatorum fraudibus, — 2 vel ex timore, ignorantia et enthusiasmo; — 3 nec explicari potest intuitu infiniti seu henotheismo . 18

THES. 2 Religionis origo explicari nequit modernistarum systemate immanentiae, quod — 1 rationi contradicit, — 2 mores corrumpit et — 3 fidem evertit 20

THES. 3 Religio — 1 ethice est necessaria individuo — 2 et societati . 29

THES. 4 Religionis professio perutilis est — 1 homini individuo — 2 imo et societati 33

THES. 5 — 1 Una est vera religio, quam — 2 privati homines ac — 3 ipsa societas profiteri tenentur 36

THES. 6 Civilis tolerantia falsae religionis — 1 per se loquendo est mala — 2 et opposita vero societatis bono; — 3 aliquando tamen ad majora mala praecavenda vel meliora bona obtinenda licita est 39

THES. 7 Divina revelatio immediata non consistit in extraordinaria quadam excitatione vel motione virium naturalium ad cognoscendum, sed in proprie dicta locutione, qua Deus per se veritatem homines docet 49

THES. 8 Proprie dicta mysteria, seu veritates quae captum humanae mentis superant, non solum possibilia sunt sed vere extant . 52

THES. 9 Mysteriorum — 1 revelatio immediata, necnon — 2 mediata est possibilis 53

THES. 10. Quoad complexum rationalium veritatum ad religionem spectantium — 1 revelatio in praesenti humani generis conditione dicenda est moraliter necessaria — 2 non tamen physice . . 58

THES. 11 Divinae revelationis — 1 adsunt notae, — 2 non mere negativae, nec tantum subiectivae, sed — 3 positivae tam extrinsecae quam intrinsecae, quae si extrinsecis vi probativa cedunt, — 4 utiles tamen sunt 61

THES. 12 Miracula, seu effectus qui fiunt praeter ordinem totius naturae creatae, sunt possibilia 71

THES. 13 Miraculum, quod fit in confirmationem revelationis, — 1 invicte probat hujus existentiam: — 2 nobis autem constare potest de veritate historica, philosophica et relativa miraculi quod in confirmationem revelationis patratum est 74

THES. 14. Prophetia, quae — 1 certe est possibilis, si datur in confirmationem veritatis revelatae, — 2 eam demonstrat *quoad se*, et — 3 cum eventu est comprobata etiam *quoad nos* . . . 83

THES. 15 Evangeliorum historica veritas est summa, siquidem Evangelia sunt — 1 genuina, — 2 substantialiter integra, et — 3 veridica 88

THES. 16 Veritas christianae religionis invicte probatur miraculis Christi Apostolorum et sanctorum, — 2 de quorum historica — 3 philosophica et — 4 relativa veritate nullatenus dubitare licet . 98

THES. 17 Veritas christianae religionis demonstratur etiam — 1 prophetiis, — 2 Christi testimonio, — 3 ac eius resurrectione . . 102
THES. 18 Martyrum — 1 pene innumera multitudo, — 2 qui pro christiana fide occubuerunt — 3 ex sese et — 4 ex divino interventu irrefragabile reddit christianae religionis testimonium . . 110
THES. 19 Christianae religionis divinitas invicte probatur — 1 admirabili ejus propagatione et — 2 perfecta conservatione . . . 115
THES. 20 Divinitas christianae religionis apparet ex sublimitate et veritate doctrinae ejus 119
THES. 21 Veritas, ideoque divinitas, religionis christianae evincitur — 1 ex bonis fructibus, — 2 qui per se evangelicam praedicationem sequuntur 120
THES. 22 Christianae religionis veritas aliarum comparatione elucet . 122
THES. 23. Christus — 1 Ecclesiam instituit — 2 immediate et per se — 3 non eschatologicam, seu futuram in fine mundi, sed praesentem 140
THES. 24. Ecclesia christiana — 1 ab orientalibus religionibus vel hellenica philosophia non est derivata, sed — 2 a Christo supra Mosaicam et propheticam revelationem est aedificata . . 144
THES. 25 Ex Christi institutione Ecclesia est essentialiter visibilis . . 153
THES. 26. Notae Ecclesiae merito quatuor assignantur, scil. unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas 156
THES. 27 Christi Ecclesia — 1 unica est, et — 2 essentialiter una communione — 3 fide, et — 4 regimine; haec autem unitas — 5 merito pro nota verae Ecclesiae habetur 160
THES. 28 Ecclesia Romana est una, unitate communionis, fidei et regiminis: — 2 sectis separatis haec nota deest 166
THES. 29 Ecclesia Christi est — 1 sancta — 2 non solum sanctitate activa, sed passiva — 3 etiam gradu perfecto et heroico; — 4 haec autem sanctitas, utpote Ecclesiae nota, non solum est interna sed etiam externa 172
THES. 30 Ecclesia Romana vere fulget sanctitate — 1 activa et — 2 passiva, — 3 qua ceterae carent 176
THES. 31 Ecclesiae Christi non solum — 1 de jure sed — 2 de facto est catholica, — 3 haec autem catholicitas ei competit uti vera nota 183
THES. 32 Ecclesia Romana — 1 vere est catholica, — 2 ceterae autem catholicae non sunt 186
THES. 33 Vera Ecclesia Christi est apostolica — 1 origine et — 2 successione seu auctoritate; — 3 haec autem apostolicitas est Ecclesiae nota 192
THES. 34 Ecclesia Romana — 1 origine et — 2 successione est apostolica; sectae vero separatae apostolicae non sunt . . . 196
THES. 35 Attento fine, — 1 Ecclesia societas est vere spiritualis: — 2 huic tamen spiritualitati temporalia media non obstant . . 203
THES. 36 Ecclesia est societas — 1 necessaria et — 2 indefectibilis . 205
THES. 37 Ecclesia ex Christi institutione, ideoque jure divino, est societas — 1 legalis — 2 perfecta et — 3 a Statu omnino independens 209

THES. 38. Etsi Status sit societas in suo ordine perfecta, — 1 ab Ecclesia tamen separari nequit : unde, cum — 2 civili societati Ecclesia praestet dignitate et auctoritate, — 3 in jurium conflictu judicium ad Ecclesiam pertinet 216
THES. 39 Primum et principale requisitum in Ecclesiae membris est character baptismalis, quapropter pagani, judaei et catechumeni non sunt Ecclesiae membra 224
THES. 40 In adultis est de ratione membri Ecclesiae professio verae fidei et vinculum communionis, unde — 1 haeretici, — 2 schismatici et — 3 excommunicati non sunt membra Ecclesiae . . 225
THES. 41 Praeter indicatas conditiones aliae non requiruntur ad rationem membri Ecclesiae et ideo — 1 praesciti et — 2 peccatores in ea possunt inveniri 227
THES. 42 Ecclesiae potestas non a Statu vel a fidelium consensu, seu collectiva conscientia, sed a Christo immediate procedit . . 233
THES. 43 Revelationis doctrina — 1 non est deducenda ex privato examine Scripturae, — 2 neque ex Spiritus S. impulsu, — 3 neque ex collectivae conscientiae dictamine, — 4 sed ex vivo Ecclesiae magisterio est cognoscenda 240
THES. 44 Ecclesiae magisterio respondet obligatio exterioris et interioris assensus fidelium 243
THES. 45. Infallibilitatis privilegio Christum Ecclesiam suam ornasse — 1 probatur Scriptura et — 2 confirmatur Patribus ac ratione . 251
THES. 46 Ecclesiae infallibile magisterium coarctari nequit ad veritates fidei, sed illas quoque comprehendit, quae cum revelationis thesauro connectuntur 263
THES. 47 Christus suae Ecclesiae — 1 veram et — 2 plenam potestatem jurisdictionis tradidit 268
THES. 48 Potestatis plenitudo quam Christus tradidit suae Ecclesiae — 1 forum internum comprehendit — 2 sicut etiam externum, in quo — 3 exercitio potestatis legiferae, judicialis et coactivae in actum deducitur 270
THES. 49 Primatus S. Petri clare innuitur in modo quo Apostolorum elenchus retexitur 275
THES 50 Primatus S. Petri evidenter probatur ex Matth. **16**. 17-9, in quo Christus — 1 Petro, — 2 a ceteris apostolis contradistincto, — 3 promittit plenitudinem auctoritatis in universam Ecclesiam . 276
THES. 51 Auctoritatis primatum S. Petri — 1 testantur etiam Patres, et — 2 confirmant archeologiae monumenta necnon haereticorum atque ethnicorum scripta 279
THES. 52 Ex Christi institutione Petrus habet in primatu perpetuos successores 288
THES. 53 Episcopum romanum esse verum successorem S. Petri in primatu — 1 RR. PP., consentiente Ecclesia, semper sibi vindicarunt, — 2 testantur Patres et — 3 confirmat ratio . . . 288
THES. 54 Primatus R. P. non est solius honoris vel inspectionis, sed — 1 verae jurisdictionis — 2 episcopalis, — 3 ordinariae et immediatae, — 4 plenae et supremae — 5 in universam Ecclesiam 300

THES 55 Christus in Luca **22.** 31-2 B. Petro — 1 contradistincto a ceteris apostolis — 2 contulit infallibile magisterium — 3 perpetuo duraturum in successoribus suis : — 4 ergo R. P. cum loquitur ex cathedra est ex sese infallibilis 308
THES. 56. Infallibilitas R. P. — 1 probatur etiam testimonio Patrum et — 2 confirmatur ratione 311
THES. 57 Christus apostolis contradistinctis a reliquis fidelibus — 1 veram jurisdictionis potestatem contulit, — 2 quam permanere voluit in eorum successoribus : — 3 hi vero sunt episcopi, — 4 qui proinde divina ordinatione in propria dioecesi jurisdictionis pollent auctoritate 322
THES. 58 Catholica revelatio in Apostolis complementum habuit . . 328
THES. 59 Revelationis progressus contradicit — 1 fidei et — 2 rationi . 334
THES. 60 Subjectivus progressus fidei — 1 non consistit in mutatione sensus dogmatum, — 2 neque in mysteriorum comprehensione — 3 sed in eo quod veritas fidei instantius et magis explicite proponatur atque theologicis conclusionibus illustretur . . 340
THES. 61 Deum hagiographos inspirasse ac proinde vere esse Scripturae principalem auctorem docet — 1 Scriptura, — 2 testantur Patres et — 3 suadet ratio 348
THES. 62 Ad inspirationem hagiographam — 1 non requiritur insania inspirati auctoris, — 2 neque revelatio eorum quae scribenda sunt, — 3 neque eorum verbalis dictatio ; — 4 non sufficit tamen externa assistentia vel subsequens approbatio Dei et Ecclesiae, vel — 5 personalis impulsus ad scribendum ; sed — 6 necessaria est illuminatio mentis et voluntatis motio ad scribendas omnes et solas doctrinas quas Deus vult scriptis tradere . 356
THES. 63 Scriptura in omni et singula sua parte est inspirata . . 362
THES. 64 Nullus omnino error est in Scriptura 369
THES. 65 Licet in Scriptura — sensus metaphoricus nonnunquam occurrat, — 2 nulli tamen in ea sunt mythi nullaeque legendae — 3 forma autem litteraria, quam moderni dicunt historiographam — 4 vel religiosam, popularem et liberam, admitti nequit . . 370
THES. 66 Scripturae canon — 1 ex solo Ecclesiae magisterio potest agnosci ; — 2 ille ergo retineri debet quem docuit Conc. Tridentinum. 379
THES. 67 Libri sacri saeculorum decursu non sunt substantialiter corrupti vel evoluti 380
THES. 68. Licet authentia Vulgatae — 1 non importet absolutam conformitatem cum hagiographorum autographis, tamen — 2 nequit coartari ad ejus usum legalem, sed — 3 exigit ut sit legitimus revelationis fons in iis quae ad fidem et mores attinent . . 380
THES. 69 Contra sensum, quem tenuit et tenet Ecclesia, ideoque contra unanimem Patrum consensum Scripturam interpretari non licet . 381
THES. 70 Pro revelationis fonte habenda est — 1 divina Traditio, quae — 2 non in transfusione spiritus religiosi, sed in transmissione veritatum revelatarum consistit 384
THES. 71 Unanimis — 1 Patrum vel — 2 Theologorum consensus divinae Traditionis certum praebet argumentum 393

INDEX.

PROLEGOMENA 1

TRACTATUS I - DE RELIGIONE CHRISTIANA 11

CAPUT 1 - *De religione in genere* 11
Art. 1 Religionis notio explicatur 11
Art. 2 De religionis origine 28
Art. 3 De religionis necessitate 28
Art. 4 De religionis unicitate 35

CAPUT 2 - *De revelatione* 42
Art. 1 De revelationis possibilitate 43
Art. 2 De revelationis necessitate 56
Art. 3 De notis divinae revelationis 59
Art. 4 De miraculis 66
Art. 5 De prophetiis 80

CAPUT 3 - *De religione christiana* 86
Art. 1 De evangeliorum historica veritate 86
Art. 2 Veritas religionis christianae demonstratur argumentis extrinsecis . 97
Art. 3 Religio christiana probatur argumentis intrinsecis . . . 119

TRACTATUS II - DE ECCLESIA 126

CAPUT 1 - *De veritate catholicae Ecclesiae* 127
Art. 1 Notiones praeviae 127
Art. 2 De Ecclesiae origine 134
Art. 3 De Ecclesiae visibilitate 151
Art. 4 De Ecclesiae unitate 158
Art. 5 De Ecclesiae sanctitate 170
Art. 6 De Ecclesiae catholicitate 181
Art. 7 De Ecclesiae apostolicitate 189

CAPUT 2 - *De Ecclesiae natura et proprietatibus* 200
Art. 1 De Ecclesiae spiritualitate 200
Art. 2 De Ecclesiae necessitate et indefectibilitate 204
Art. 3 De Ecclesiae sociali perfectione 208
Art. 4 De Ecclesiae sociali praeeminentia 213

CAPUT 3 - *De intima Ecclesiae constitutione* 220
Art. 1 De Ecclesiae membris 221
Art. 2 De Ecclesiae potestatis origine 230
Art. 3 De Ecclesiae magisterii existentia 237
Art. 4 De Ecclesiae magisterii infallibilitate 247
Art. 5 De Ecclesiae magisterii obiecto 256
Art. 6 De potestatis jurisdictionis existentia 265

CAPUT 4 - *De ecclesiasticae potestatis subiecto* 273
Art. 1 De Primatu S. Petri 273
Art. 2 De primatus derivatione in RR. PP. 284
Art. 3 De R. P. primatu jurisdictionis 297
Art. 4 De R. P. infallibilitate 305
Art. 5 De secundario subjecto ecclesiasticae potestatis 316

TRACT. III - DE FONTIBUS REVELATIONIS 326

CAPUT. 1 - *De revelationis immutabilitate* 326
Art. 1 De revelationis complemento 327
Art. 2 De revelationis evolutione 330
Art. 3 De subiectivo revelationis progressu 338

CAPUT 2 - *De Sacra Scriptura* 342
Art. 1 Notiones praeviae 343
Art. 2 De inspirationis existentia 347
Art. 3 De inspirationis natura 353
Art. 3 De inspirationis extensione 361
Art. 5 De Scripturae omnimoda veritate 364
Art. 6 De Scripturarum codice et interpretatione 376

CAPUT 3 - *De divina Traditione* 382
Art. 1 De divinae Traditionis existentia 383
Art. 2 Quomodo divina Traditio agnoscatur 388
CONCLUSIO 396

PROLEGOMENA.

1. **Quid theologia.** A graeco τοῦ Θεοῦ λόγος *theologia* idem est quod *sermo* seu *doctrina Dei,* quare Patres graeci hoc nomine designabant tractatus qui modo de *Deo Uno* secundum naturam et de *Deo Trino* secundum personas inscribuntur. Hoc sensu *theologia* contradistinguitur ab *oeconomia,* quae de *Verbi incarnatione* et nostra redemptione agit; verum in praesenti *theologia* latiori sensu sumitur et comprehendit omnia quae ad *scientiam fidei* spectant; haec enim ad Deum referuntur uti ad attributionis subiectum et ad formalem rationem sub qua considerantur. Hinc S. THOMAS dicebat quod « omnia pertractantur in sacra theologia sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum ut ad principium et finem; unde sequitur, quod *Deus vere sit subiectum huius scientiae.* Quod etiam manifestum fit ex principiis huius scientiae, quae sunt articuli fidei, quae est de Deo. Idem autem est subiectum principiorum et totius scientiae; cum tota scientia virtute contineatur in principiis »[1].

2. **Sacra theologia.** Ex praedictis iam patet *theologiam* differre a naturali *theodicea;* haec enim, quae philosophiae pars est, loquitur de Deo ex principiis rationis, illa ex principiis fidei. « Dicendum, inquit S. THOM., quod diversa ratio cognoscibilis diversitatem scientiarum inducit... Unde nihil prohibet de iisdem rebus, de quibus philosophicae disciplinae tractant, secundum quod sunt cognoscibiles lumine naturalis rationis, etiam aliam scientiam tractare secundum quod cognoscuntur lumine divinae revelationis. Unde theologia, quae ad sacram doctrinam pertinet, differt secundum genus ab illa theologia quae pars philosophiae ponitur »[2]. Sacra theologia tamen cum *fide* confundenda non est; fide enim dogmata revelata *credimus,* theologia sacra dogmata *demonstramus,* ex fidei principiis conclusiones deducentes; cognitio fidei est *pure divina,* utpote uni auctoritati Dei

[1] S. THOM. 1 p. q. 1 a. 7.

[2] S. THOM. 1 p. q. 1 a. 1 ad 2.

revelantis innixa, sacra theologia est cognitio *mixta* quae ex principiis fidei simul et ex rationis lumine derivatur. Hinc AUG.: « Scientia (theologica) non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim *scire tantummodo quid* homo credere debeat... aliud *scire quomodo* hoc ipsum et piis opituletur, et contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus »[3].

3. **Sacrae theologiae obiectum.** Nutura scientiae maxime ex *obiecto* innotescit, unde de obiecto theologiae statim inquirendum est. Porro duplex est obiectum scientiae: *materiale* et *formale*. *Materiale obiectum* intelligitur illud omne quod quavis ratione a scientia attingitur, *formale* est specialis ratio seu respectus *sub quo* a tali disciplina consideratur: primum esse potest commune pluribus scientiis, secundum uni tantum congruit. Sic v. g. *corpus* est obiectum materiale physicae, metaphysicae et mathematicae; sed *obiectum formale physicae* est corpus prout sua activitate mundi phoenomenis manifestatur, *metaphysicae* prout ex materia et forma essentialiter constituitur, *mathematicae* prout trinam habet dimentionem. *Materiale* itaque *obiectum* theologiae est praeprimis Deus, dein omnia alia quae ad Deum ordinari possunt; *formale* est specialis ratio *sub qua* de Deo et de creaturis agit scientia theologica. — Porro consideranti sacram theologiam distingui a theologia naturali necnon a cognitione fidei et gloriae facile apparet FORMALE OBIECTUM huius scientiae duplici veluti constare elemento: *a*) obiecti *relatione ad Deum,* ex qua habet quod sit theologia, et *b*) obiecti cognoscibilitate *ex divina revelatione derivata,* ex qua rationem *scientiae* distinctae a scientia naturali et a cognitione fidei et gloriae mutuatur: primum elementum a quibusdam vocatur obiectum *formale quod,* alterum obiectum *formale sub quo.* Quoad OBIECTUM MATERIALE revocandum est multitudinem perfectam sine ordine non dari, nec ordinem sine aliqua unitate. Iamvero obiectum principale, quo omnia ad unitatem revocantur, dicitur *obiectum* (vel *subiectum*) *attributionis,* quod in sacra theologia est principaliter *Deus* propter quem omnia operata sunt [4], et quodammodo *Christus* qui est scriptus in capite libri [5], necnon *animarum salus,* quae a S. Petro dicitur finis nostrae fidei [6]; cetera dicuntur *obiecta attributa,* de quibus in ordine ad Deum agit sacra theologia.

4. **Theologia est scientia et sapientia.** Profecto si cum RATIONALISTIS et MODERNISTIS scientiae nomen et dignitas ad cognitiones experimentales tantum et ad complexum phaenomenorum natu-

---

[3] AUG. *De Trinit.* XIV c. 1 n. 3.
[4] Prov. **16**. 4.
[5] Hebr. **10**. 7.
[6] 1 Petr. **1**. 9.

ralium coarctatur [7], theologia *scientia* nequit vocari; sed si scientia dicitur *perfecta apprehensio veritatis* [8], quae *subiective* resolvitur in cognitione rei per causas [9], *obiective* vero in ordinato complexu veritatum quae ex certis principiis sunt deductae atque vindicatae, profecto theologia (maxime scholastica) est scientia; ipsa enim, ut ait AUG., « fides... gignitur, nutritur, defenditur, roboratur » [10]: scilicet theologia obiectum revelatum ex revelationis fontibus *evincitur,* et dogmata fidei veritatum coordinatione *illustrantur,* congruentiis *suadentur,* exemplis *analogice proponuntur* et difficultatum solutione *ab impugnationibus* adversariorum *expediuntur.* Neque veritati huius *scientiae* obstat Deum causam non habere, atque theologiae principia clare non innotescere, ideoque in ea non dari *cognitionem per causas,* neque *evidentiam conclusionum;* etsi enim *Deus* non habeat causam, *cognitio* tamen *Dei* habet causam quoad nos qui, Deum non intuentes, ex aliis veritatibus nobis notioribus illam deducimus. Ex obscuritate vero fidei non sequitur theologiam non esse scientiam, sed esse scientiam *subalternatam,* quae scil. non immediate intuetur sua principia sed mutuatur a superiori scientia, nempe a scientia Dei et beatorum, quibus fidei dogmata intrinseca evidentia innotescunt. Caeterum scientia, ut iterum atque iterum dicam, non respicit *principia* sed *conclusiones,* quapropter nil refert principia teneri fide vel evidentia sive immediata sive mediata: illa sunt *praesupposita,* basis ac fundamentum super quae scientia, seu conclusionum cognitio, construitur. Nonne physica, astronomia, medicina multa sumunt ex mathesi, ex zoologia, etc. et tamen scientiae habentur? Ergo et theologiae, quae fidei dogmata ex revelatione sumit, scientiae nomen et dignitas non est deneganda. — Verum sacra theologia non tantum scientia, sed et *sapientia* est. Nam « ille sapiens dicitur... qui considerat causam altissimam... (et) ordinat humanos actus ad debitum finem... Ille igitur, qui considerat simpliciter altissimam causam totius universi, quae est Deus, maxime sapiens dicitur... Sacra autem doctrina propriissime determinat de Deo, secundum quod est altissima causa... Unde sacra theologia maxime dicitur *sapientia* »[11].

5. **Philosophiae omnique naturali scientiae praestat theologia.** Theologiam et philosophiam pari gradu non consistere, sed

---

[7] « Humana ratio foenomenis omnino includitur... Hinc infertur Deum *scientiae* obiectum directe nullatenus esse posse ». MODERNISTAE apud Pium X Enc. *Pascendi;* SEMERIA *Rivista del clero* Febr. 1904.

[8] S. THOM. com. in *Post. Analyt.* Arist. lect. 4 n. 5.

[9] ARIST. *Analyt. Post.* 1 c. 4.

[10] AUG. *De Trinit.* XIV c. 1 n. 3.

[11] S. THOM. 1 p. q. 1 a. 6.

unam alteri subdi, constat ex divina Providentia, quae omnia posuit in numero, mensura et ordine, quo diversa per prius et posterius disponuntur, necnon ex repugnantia luctae quae speculativarum scientiarum independentiam necessario sequeretur. — Porro theologiam philosophiae non subiici sed ita principari ut illa pedissequa et ancilla sua vocetur, facile intelligitur; siquidem scientiarum ordo ex materiae excellentia, certitudinis firmitate atque finis nobilitate pensatur, his autem theologia philosophiae praestat. Sane philosophia de creaturis agit et de notis Dei quae *per ea, quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur* [12]; theologia de his loquitur, quae *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* [13]; unde illa pertingit ad ea quae lumini rationis sunt pervia, haec aciem nostri intellectus transcendit et scrutatur profunda Dei: *obiecto* itaque theologia praestat philosophiae. Adde nunc theologiam nobilissimum suum obiectum non dubitanter attingere, (quod iam sufficeret ad eius eminentiam, siquidem praestat difficilia probabiliter opinari, quam obvia cum certitudine cognoscere), sed firmissimo assensu tenere; siquidem si theologiae conclusio assensum fidei non infert, illi tamen innititur, qui, gratia elicitus, firmitate omnes vincit. « Aliae scientiae, inquit S. THOM., certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae, quae potest errare; haec autem certitudinem habet ex lumine divinae scientiae, quae decipi non potest »[14]. Quod si scientiarum *finem* vis attendere, habes quod « practicarum illa dignior (scientia) est, quae ad ulteriorem finem non ordinatur, sed ad ipsam aliae... Finis autem huius doctrinae, in quantum practica est, est beatitudo aeterna, ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum. Unde manifestum est secundum omnem modum eam esse digniorem aliis »[15].

6. **Theologia et philosophia mutuo sibi opitulantur.** Rationem fide enervari et theologiam .philosophiae repugnare blasphemarunt rationalistae, qui, damnati a Pio IX [16], iterum proscripti sunt a CONC. VATIC. docente: « Etsi fides sit supra rationem nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare se ipsum non possit, nec verum vero umquam contradicere »[17]. Porro tantum abest theologiam philosophiae contradicere, ut potius sibi invicem auxilientur. Revera philosophia tria praebet theologiae, scil. praeambula fidei demonstrat, dogmata similitudinibus illustrat, ac difficultates, quas inimici fidei coa-

---

[12] Rom. 1. 20.
[13] 1 Corinth. 2. 9.
[14] S. THOM. 1 p. q. 1 a. 5.
[15] S. THOM. 1 p. q. 1 a. 5.
[16] PIUS IX *Syll.* prop. 3, 6, 7.
[17] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 4.

cervant, dissolvit. « In sacra doctrina, inquit S. THOM., philosophia possumus tripliciter uti. Primo ad *demonstrandum* ea, quae sunt praeambula fidei, quae necessaria sunt in fidei scientia, ut ea, quae naturalibus rationibus de Deo, probantur, ut Deum esse unum, et huiusmodi de Deo, vel de creaturis..., quae fides supponit. Secundo ad *notificandum per aliquas similitudines* ea, quae sunt fidei, sicut AUG. in libris *De Trinitate* utitur multis similitudinibus ex doctrinis philosophicis sumptis ad manifestandam Trinitatem. Tertio *ad resistendum* his quae contra fidem dicuntur, sive ostendendo esse falsa, sive ostendendo non esse necessaria »[18]. — Nec minora iuvamina ex theologia mutuatur philosophia, quae illius ope saepe *veritatis viam* detegit, *securius* in investigatione *procedit* et *ad profundiora descendit*. Profecto divinae revelationi « tribuendum est, ut ea quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint »[19]. Quot ethnicorum errores circa mundi originem, animae immortalitatem et divinam providentiam, fidei et theologiae splendoribus profligati sunt! Nonne mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis Verbi, praesentiae Christi sub speciebus, philosophicas notiones *naturae* et *personae, substantiae* et *accidentis* ad accuratiorem determinationem adduxerunt? Adde difficillimis inquisitionibus mentem valde exerceri et aciem suam exacuere. « Fides christiana, inquit LEO XIII, cum Dei auctoritati nitatur, certissima est veritatis magistra; quam qui sequitur, neque errorum laqueis irretitur, neque incertarum opinionum fluctibus agitatur. Quapropter qui philosophiae studium cum obsequio fidei christianae coniungunt, ii optime philosophantur: quandoquidem divinarum veritatum splendor, animo exceptus, ipsam iuvat intelligentiam, cui non modo nihil de dignitate detrahit, sed nobilitatis, acuminis, firmitatis plurimum addit »[20].

7. **Sacrae Theologiae dotes et requisita.** Cum theologia nobilissima sit scientiarum, de ipsa profecto valent quae S. THOM. in vera et utili scientia ex Scripturis laudat: « Ad hoc quod aliquis sciat quemadmodum oporteat scire, novem sunt necessaria. Primo *humiliter* sine inflatione... Secundo *sobrie* sine praesumptione... Tertio *certitudinaliter* sine haesitatione... Quarto *veraciter* sine errore... Quinto *simpliciter* sine deceptione... Sexto *salubriter* cum charitate et dilectione... Septimo *utiliter* cum proximorum aedificatione... Octavo *liberaliter* cum gratuita communicatione... Nono *efficaciter* cum bona operatione... Primum, scil. humilitas, scientiae arguit sapientes *superbos;* sobrietas *curiosos;* certitudo *dubiosos;* veritas *haereticos;* simplicitas *advocatos;*

[18] S. THOM. *Super Boët. De Trinit.* q. 2 a. 3.

[19] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 2.

[20] LEO XIII, Enc. *Aeterni Patris.*

salubritas *magos;* utilitas *iniquos;* liberalitas *avaros;* efficacitas *otiosos* »[21]. — Si de requisitis ad tam sublimem scientiam acquirendam petis : necessariam dicam imprimis non ordinariam peritiam linguarum atque naturalium scientiarum et maxime philosophiae profundiorem notitiam; cum enim ancilla dominae praeeat, qui methaphysicae est ieiunus vel erroneis principiis imbutus, ineptus prorsus est ad theologicas disciplinas. Scientia tamen naturalis non iuvat, nec perspicuitas ingenii sufficit, si desint firmitas fidei, fervens oratio, humilitas vera et puritas cordis; *quae* enim *sunt Spiritus Dei... spiritualiter examinantur* [22], et ubi humana virtus deficit, gratia Dei est necessaria : haeretici, superbi et impudici inepti semper fuerunt ad veritates fidei illustrandas. Requiritur sane *recta fides,* quia theologia ex principiis fidei conclusiones deducit, unde « tanto quisque facilius proficiendo cognoscit, quanto religiosius, antequam cognosceret, Deo credidit »[23], secundum illud Isaiae : *si non credideritis non intelligetis* [24]. Requiritur *oratio,* quia oratio est medium ordinarium ad auxilia Dei obtinenda, secundum illud : *si quis vestrum indiget sapientia postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter* [25]. Requiritur *humilitas,* quia theologia de mysteriis loquitur, quae Deus parvulis revelat [26] quaeque gratia Dei percipiuntur, *Deus* (vero) *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* [27]. Requiritur *puritas cordis,* quia coelestes veritates et altissimae contemplationes animum exigunt a tumultu passionum liberum; *in malevolam* siquidem *animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* [28].

8. **Sacrae theologiae divisio.** Latissima acceptione *theologia* omnes scientias sacras comprehendit, unde theologia dici potest *hermeneutica* quae leges interpretationis S. Scripturae tradit, *historia ecclesiastica,* quae regni coelorum fastos enarrat, *archeologia* quae ex antiquis monumentis fidei dogmata et sacras narrationes confirmat, *patristica* quae in SS. Patrum operum intellectionem introducit, *ius canonicum* quod de Ecclesiae legibus agit, et *liturgia* quae cultus caeremonias tradit. Ast apud nostros theologia est scientia ex principiis fidei doctrinas speculativas et practicas deducens, quae adaequate dividitur in *dogmaticam* et *moralem:* illa fidei veritates earumque legitimas conclusiones illustrat; haec quid agendum et a quo abstinendum sit, ut vitam capiamus aeternam, edocet. Theologia MORALIS subdividitur in

---

[21] S. THOM. in 1 *Corinth.* **8.** lect. 1.
[22] 1 Corinth. **2.** 14.
[23] AUG. *De agone chr.* c. 13; LEO XIII Enc. *Providentiss. Deus.*
[24] Isai. **7.** 9.
[25] Jac. **1.** 5.
[26] Matth. **11.** 25.
[27] Jac. **4.** 6.
[28] Sap. **1.** 4.

moralem presse dictam, *asceticam* et *mysticam*. Theologia *moralis* tradit praecepta recte vivendi ad Evangelii normam; *ascetica* via purgativa, illuminativa, unitiva, quasi triplici gradu, ad christianam perfectionem ducit; *mystica* de extraordinario et sublimiori commercio animae cum Deo, cui oratione coniungimur, pertractat. Theologia DOGMATICA divisionem accipit ex parte *methodi* qua veritates proponuntur, et ex parte *materiae* de qua agit: primo modo theologia est *positiva, polemica* et *scholastica,* alio *generalis* et *particularis*. Theologia *positiva* dogmatum existentiam ex Scripturis, Patribus et Conciliis demonstrat, *polemica* revelatas veritates ab haereticorum impugnationibus expedit, *scholastica* profundiorem intelligentiam mysteriorum fidei quaerit [29]. Theologia GENERALIS vel melius *fundamentalis* quaestiones praeambulas explicat [30] et agit de revelationis *facto* atque de mediis quibus revelatio potest agnosci (*de locis theologicis*), quapropter comprehendit tractatus de revelationis facto seu de *Religione,* de organo quo revelatio certo et sine errore innotescit, scil. de *Ecclesia* eiusque capite *Romano Pontifice,* necnon de fontibus ex quibus revelatio emanat, scil. de *Scriptura* et *Traditione*. Theologia SPECIALIS declarat ea quae de Deo et de divinis operibus tradit fides: porro fides docet Deum esse unum in essentia et trinum in personis, opera vero Dei alia esse naturalia, alia supernaturalia, quae vel ipsum Salvatorem respiciunt vel fructum redemptionis et media quibus fructus applicatur: hinc theologia specialis comprehendit tractatus: *De Deo Uno — De Deo Trino — De Deo creante — De Deo Elevante — De Verbo Incarnato — De B. V. M. — De Gratia actuali* et *habituali — De Sacramentis,* quibus coronidis instar accedit disputatio de *Novissimis* seu de Deo consummatore.

9. **Theologiae dogmaticae historia.** Sicut ceterae scientiae etiam theologia suam habet historiam successivos enarrantem progressus, quae communiter in tres periodos dividi solet: a Patrum temporibus ad saec. XII, a saec. XII ad XVI et a saec. XVI ad nostram usque aetatem. — 1ª **Periodus.** Primis temporibus theologicum systema proprie dictum non aderat, sed pro opportunitate ad haereticos

---

[29] « Nomen *scholasticae,* inquit PESCH *Inst. Theol.* I n. 24, haec theologia inde duxit, quod temporibus medii aevi adolescentes, qui monasteriis vel presbyteriis instruebantur *schola,* eorum vero magistri *scholastici* vocabantur. Unde disciplina, prae ceteris ab his magistris tradita *scholastica* dicta est. Habet quoque hoc nomen adnexam *significationem eximiae doctrinae,* nam apud veteres *scholastici* vocabantur, qui doctrina clari essent ». Praepostere ergo theologiam scholasticam intelligunt, qui synonymam habent theologiae tyronibus tradendae, vel metodo syllogistica expositae: *scholastica* est theologia bene exculta atque erudite simul ac profunde explicata.

[30] Hinc. *propaedeutica* a quibusdam vocatur.

expugnandos vel fideles instruendos unam vel aliam veritatem Patres explicabant. Saeculo I theologia nihil aliud erat quam brevis quaedam fidei expositio et ad summa capita revocatio, uti videre est in *Doctrina duodecim apostolorum* atque in litteris CLEM. Romani et IGNAT. M.; sed medio saeculo II, viris in omni eruditione praeclarissimis ad fidem conversis, *theologia polemica* iam apparuit. Et primo quidem fides ab impugnationibus ethnicorum est vindicata per *apologetas,* inter quos eminent IUSTINUS M. († 165) et ATHENAGORAS († 177), dein a saec. III ad VII, haereticis fidei unitatem oppugnantibus, Patres occasionem nacti sunt probandi, explicandi, atque defendendi singula dogmata, sic theologiam *positivam* quoad substantiam aedificantes. Invictum theologorum agmen aperuit IRENAEUS († 202) scribendo contra *Gnosticos* et TERTUL. († 245) *principium traditionis* illustrando. Contra *Arium* divinitatem Christi pluribus demonstravit ATHAN. († 373): de dogmate *SS. Trinitatis* optime meriti sunt BASILIUS († 379) necnon GREG. NAZ. († 389) et NYSS. († 403). Unitatem personae in Christo contra *Nestorium* enixe defendit CYRIL. Alex. († 444) atque distinctionem naturarum contra *Eutychen* LEO M. († 461) vindicavit. *Pelagius* ineunte saeculo V occasionem praebuit AUGUSTINO († 430) disserendi de gratia, deque eius omnimoda gratuitate contra *Massilienses* valde meritus est FULGENTIUS. — Bellis populorumque commotionibus ingruentibus, saec. VI vix quidquam novi factum est in studio theologiae, sed codicum conservationi necnon collectioni et coordinationi testimoniorum SS. Patrum operam dederunt monachi. Sub fine saeculi VIII theologica studia in honorem redierunt atque *scholasticae* theologiae primis speculationibus fundamenta sunt iacta. Hoc tempore facile omnes superavit JOAN. DAMASC. († 760), qui diligenter sententias veterum scriptorum in summam quamdam theologicam collegit. — **2ª Periodus.** Qui tamen primus fidei dogmata ad unum veluti corpus reducere conatus est, quique proinde scholasticae pater agnoscitur, est ANSELMUS († 1109). Statuto principio quod « sicut rectus ordo postulat ut profunda christianae fidei credamus, priusquam ea praesumamus ratione discutere, ita negligentia mihi videtur, si, postquam confirmati sumus in fide, non studemus, quod credimus, intelligere »[31], opera plurima exaravit quibus difficillima quoque fidei illustravit. Eum secutus est et superavit P. LOMBARDUS († 1164)[32], qui methodo scholastica veritates melius determinare et probare coepit *Scriptura, Patribus,* et *ratione.* Ipse tamen forma oratoria potiusquam syllogistica procedit: hac scripsit franciscanus ALEX. HALENSIS († 1254), qui cum S. BONAVENTURA

[31] ANSEL. *Cur Deus homo* I c. 2.

[32] Nomen vulgatum MAGISTRI SENTENTIARUM accepit.

(† 1274) veteris scholae franciscanae parens habetur. Saeculo XIII per arabes aristotelica philosophia propagata, ALB. MAGNUS († 1280) illa, quasi ancilla ad fidei dogmata illustranda, usus est. Hunc suum magistrum superavit theologorum omnium princeps THOMAS AQUINAS (1225 - 1274) qui solus « plus illustravit Ecclesiam quam omnes alii doctores, in cuius libris plus proficit homo uno anno quam in aliorum doctrina toto tempore vitae suae »[33]; « huius (enim) doctrina prae ceteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut numquam, qui eam tenuerit, inveniatur a veritatis tramite deviasse; et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus »[34]. Nil ergo mirum quod LEO XIII enixe hortatus sit omnes episcopos « ut ad catholicae fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum auream S. Thomae sapientiam restituerent et quam latissime propagarent »[35]. — **3ª Periodus.** Saeculo XVI novum incrementum habuit theologia *positiva*. Cum enim Protestantes fidei dogmata non solum obscurare, sed et evertere conarentur, dogmatum existentiam e revelationis fontibus comprobare necesse fuit. Hoc ut assequerentur, theologi Scripturarum *literalem sensum* ex primaevis codicibus[36], ex contextu et Patrum explicationibus perscrutati sunt, inde potius quam ex congruentiis rationis veritates fidei demonstrando. Inter praecipuos scriptores huius aetatis commemorari debent in *exegesi* MALDONATUS († 1583), SALMERON († 1585), SA († 1596), A-LAPIDE († 1637), ESTIUS († 1613); in *theologia polemica* T. STAPLETON († 1598) et BELLARMINUS († 1621); summa cum laude theologiae *polemicae, positivam* et *scholasticam* coniunxerunt plerique PP. DOMINICANI et SOCIETATIS JESU. Ex illis celebres fuerunt FRANCISCUS DE VICTORIA († 1546), DOMINICUS SOTO († 1560), DOMINICUS BANEZ († 1604), MEDINA († 1581), GONET († 1681), GOUDIN († 1695): ex his TOLETUS († 1596), MOLINA († 1600), GREGORIUS DE VALENTIA († 1603), SUAREZ († 1617), VASQUEZ († 1604), LESSIUS († 1623), RIPALDA († 1648), DE LUGO († 1652), PETAVIUS († 1652), qui tamen fere exclusive theologiam positivam excoluit[37]. — Saeculo XVIII et initio XIX vix quidquam profecit theologia, cum pauci admodum prodierint praeclari viri, qui magnis saeculi praecedentis comparari potuerint, quique insuper historicis potius quam theologicis studiis operam navarunt. Memoria tamen digni sunt PLATEL († 1681), VIVA († 1710), FRASSEN († 1711), BILLUART († 1757), GOTTI († 1742), B. M. DE

[33] JOAN. XXII.
[34] INNOC. VI *Serm. de S. Thom.*
[35] LEO XIII Enc. *Aeterni Patris.*
[36] Hoc tempore floruit studium linguarum orientalium, inde aestimatio originalium codicum Scripturae.
[37] PESCH *Prael. Dog.* I n. 33-35.

RUBEIS († 1775), WIRCEBURGENSES (sub fine saec. XVIII). A medio saec. XIX scholastica theologia in pristinum honorem rediit et quae prius methodo *positivo-polemica* explicabatur, nunc (post. Encyl. *Aeterni Patris*) ex operibus S. THOMAE methodo *speculativa* traditur. Iam multi sunt qui nostra aetate de theologia scholastica meruerunt : inter ceteros connumerari possunt LIEBERMANN, PERRONE, FRANZELIN, PALMIERI, PASSAGLIA, KLEUTGEN, KNOLL, SCHANLER, SCHEEBEN, SCHWETZ, STENTRUP, HEINRICH, KATSCHTHALER, C. MAZZELLA, DE-AUGUSTINIS, ZIGLIARA, SOLESMES, SATOLLI, PAQUET, SCHRADER, BILLOT, PESCH, JANSSENS, LÉPICIER, PIGNATARO, SCHIFFINI, etc. His addendi sunt qui maiorum opera ad scholarum usum perstrinxerunt, scil. JUNGMANN, HURTER, SALA, TANQUEREY, H. MAZZELLA, TEPE, MARCHINI, CROSTA, EGGER, VINCENT, DEL CORONA, etc.

THEOLOGIA GENERALIS.

TRACTATUS I.

DE RELIGIONE CHRISTIANA.

10. **Tractatus divisio.** Ante saec. XVIII vix quidquam de religione in genere et de revelatione in specie agebatur, sed cum rationalistae, Dei existentia negata, totum ordinem supernaturalem evertere omnemque nostram dependentiam a Deo negare conati sunt, *apologia religionis* unus extitit e praecipuis tractatibus philosophiae et theologiae. Communem morem secuti, dicemus de veritate nostrae religionis, in qua tria consideranda veniunt, scil. religionis existentia, atque supernaturalis revelationis possibilitas et factum : hinc tractatus divisio in tria capita : — 1 *De religione in genere,* — 2 *De revelatione,* — 3 *De revelatione christiana.*

CAPUT I.

De religione in genere.

ARTIC. 1 - RELIGIONIS NOTIO EXPLICATUR.

11. **Dicendorum ratio.** Hucusque *religio* intelligebatur fructus seu corollarium existentiae Dei eiusque supremi dominii, nova scientia eam exhibet uti directam cognitionem, quae non a notitia Dei *descendit* sed potius ad Deum suspicandum *ducit.* Ut falsam et noxiam hanc opinionem expungamus quaestionibus de necessitate et unitate religionis alias praemittimus de notione religionis deque eius origine, primum hoc caput dividentes in quatuor articulos : 1 *De religionis notione,* — 2 *De eius origine,* — 3 *De eius necessitate,* — 4 *De eius unitate.*

12. **Quid religio secundum nomen.** Si vocis etymon spectes, religio a *religando* vel a *relegendo* vel a *reeligendo* solet derivari. Primo modo exprimitur religionis essentia quae consistit in morali vinculo dependentiae a Deo, altero *medium executionis* seu notitia legum quibus Deo vincimur quasque iterum atque iterum legendo ac meditando cognoscimus, tertio *effectus* seu libera Dei electio, qua post Adae peccatum ad superna redimus. Primum signavit LACTANTIUS dicens: « Hoc pietatis vinculo (quo Deum debitis prosequimur obsequiis) obstricti Deo et *religati* sumus; unde ipsa *religio* nomen accepit »[1]: alterum proposuit CICERO cum ait: « Qui omnia, quae ad cultum Dei pertinerent, diligenter pertractarent et quasi relegerent, sunt dicti *religiosi* ex *relegendo* »[2]: tertium docuit AUG.: « Deum eligentes vel potius religentes, (amiseramus enim negligentes), hunc ergo *religentes,* unde et *religio* dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quiescamus »[3].

13. **Quid religio secundum rem.** Quamvis religio *late* sumpta dicatur de quocumque obsequio alicui praestito, unde recensentur religiones *familiae, patriae, cordis, sepulchri,* etc., *proprie* « dicere valemus religionem non esse nisi *Dei cultum;* quoniam videtur hoc verbum a significanda observantia propinquitatis humanae insolenter auferri »[4]. Revera « sive religio dicatur a frequenti *relectione,* sive ab *iterata electione* eius quod negligenter amissum est, sive dicatur a *religatione,* religio proprie *importat ordinem ad Deum.* Ipse enim est cui principaliter alligari debemus tamquam indeficienti principio, ad quem etiam nostra electio assidue dirigi debet sicut in ultimum finem; quem etiam negligentes peccando amittimus, sed credendo et fidem protestando recuperare debemus »[5]. Quod si homo religione Deo vincitur, profecto religio dicit *dependentiam hominis a Deo;* non enim homo coniungitur Deo uti inferiori vel aequali sed uti superiori scil. suo creatori, cui reverentiam et honorem seu cultum exhibere tenetur.

14. **Religionis triplex definitio.** Iuxta AUG.[6] religio est *cultus Dei*: atqui cultus est summa eorum quibus nostra dependentia a Deo

---

[1] LACTANT. *De Divin. Inst.* IV c. 28.
[2] CICERO *De Nat. Deorum* II c. 28 n. 72.
[3] AUG. *De Civ. Dei* X c. 3. Cf. C. MAZZELLA *De relig. et Eccl.* n. 1 sqq.
[4] AUG. *De Civ. Dei* X c. 1.
[5] S. THOM. 2-2 q. 81 a. 1.
[6] AUG. *De Civ. Dei* X c. 1.

manifestatur: ergo definitio Aug., a S. THOMA [7] approbata, consonat definitioni A. TAPPARELLI [8]: *Religio est voluntaria hominis dependentia a Deo,* quam claritatis causa praeferimus. In hac definitione verba *hominis dependentia a Deo* pertinent ad genus proximum, adiectivum *voluntaria* ad differentiam ultimam: illis vinculum subiectionis exprimitur, quo omnis creatura suo auctori ligatur, hoc indicatur vinculum *morale* proprium entium rationalium atque docetur hominem a Deo pendere non solum in *fieri, esse* et *operari,* sicut et ceterae creaturae, sed etiam libero arbitrio, prout intellectu debet cognoscere atque credere ea quae Deus de se manifestavit, voluntate vero exequi ea quae praecipit Deus, cui signa humilis obsequii praestare tenetur. Hinc religio potest etiam definiri cum APOSTOLO [9] *rationabile obsequium Dei;* licet enim Paulus directe de libertate vel necessitate fidei et obedientiae nostrae ad Deum non loquatur, vult tamen ut exhibeamus ei *spiritualem cultum,* quo nosmetipsos nostrasque operationes hostiam Deo placentem offerimus [10]; quae quidem, uti manifestum est, notionem praebent cultus Dei ac nostrae voluntariae dependentiae a Deo.

15. **Religionis divisio.** Religio secundum *materiam* dividitur in theoreticam et practicam: secundum *rectitudinem* seu conformitatem ad suum fundamentum in veram et falsam: secundum *originem* in naturalem et supernaturalem: secundum *tempus* in primaevam, iudaicam et christianam. Religio *theoretica* constat veritatibus quibus relationes inter Deum et hominem accurate determinantur, *practica* officiis hominis erga Deum. Religio *obiectiva* est ipsa summa veritatum et officiorum, quibus morales relationes hominis ad Deum determinantur, *subiectiva* est firma mentis adhaesio praefatis veritatibus atque constans exhibitio praedictorum officiorum. Religio *vera* est Dei cultus relationibus hominis ad Deum respondens, *falsa* quae negat divinum attributum vel Deo adulterinum cultum rependit. *Religio naturalis* est quae ratione duce agnoscitur et naturalibus viribus exequitur, *supernaturalis* seu *revelata* quae indebitae Dei manifestationi innitur: prout vero haec manifestatio est supernaturalis quoad substantiam vel quoad modum tantum, quo relationes hominis ad Deum innotescunt, dicitur *supernaturalis simpliciter* vel supernaturalis *secundum quid* seu *praeternaturalis*. Religio *primaeva* data fuit Adae et

---

[7] S. THOM. 2-2 q. 81 a. 1.

[8] TAPPARELLI *Saggio teor. di dirit. natur.* I n. 211.

[9] Rom. **12.** 1.

[10] CORNELY Com. in *h. l.* p. 641.

Patriarchis, *iudaica* per Moysen est promulgata, *christiana* Christum habet auctorem. Religio pure *naturalis* numquam extitit, siquidem totum humanum genus ad supernaturalem finem ordinavit Deus, qui primo homini Adamo in paradiso terrestri pluries se manifestavit [11].

16. **Religionis notiones heterodoxae.** Cum MATERIALISTAE et POSITIVISTAE Dei existentiam negent, MODERNISTAE vero religioni non praesupponant notitiam Dei, consequenter religionem non constituunt in recognitione supremi dominii Dei cui homo voluntarie subiicitur, sed habent pro nomine sine re vel pro creatione nostri spiritus: illi religionem dicunt *sentimentum quoddam psychologicum* vel *poëticam conceptionem* seu *spiritus exaltationem* [12], hi *formam quamdam vitae* [13] seu fructum *necessitatum spiritus qui experientia divini expletur* [14]. Quantum huiusmodi notiones a veritate aberrent infra constabit, nunc tantum observa nos non teneri ad singulorum opinionem exponendam et confutandam, cum enim in tertio articulo religionis necessitatem sub exposita communi notione vindicabimus, profecto ex sese evanescent omnium modernistarum delirantium somnia; quae tamen singillatim ad trutinam revocabimus.

ARTIC. 2 - DE RELIGIONIS ORIGINE.

17. **Totius quaestionis radix.** Ut opportune notat H. MAZZELLA [1] solutio quaestionis de existentia religionis pendet a philosophica doctrina de veracitate et obiectivitate cognitionum nostrarum. Qui enim veracitatem sensuum et intellectus agnoscunt atque concedunt causalitatis via nos posse pervenire ad cognitionem entium spiritualium, ex notitia mundi facile ascendunt ad cognitionem Dei auctoris nostri, quam cognitionem religio seu *voluntaria hominis dependentia a Deo* directe consequitur. Qui e contra cum antiquis scepticis cognitionum nostrarum certitudinem simpliciter negant, vel cum modernis materialistis, positivistis et sensistis coarctant ad sensibilia *phoenomena* eorumque *relationem*,

---

[11] Cf. C. MAZZELLA n. 6-10.

[12] DE CILLIS, M. KERBAKER, SCHÉRER, HARTMANN apud *Hettinger*, Theol. fundam. I c. 1. Cf. H. MAZZELLA I n. 6-8; BALLERINI *Il princ. di causalità* p. 1 c. 3-4.

[13] MODERNISTAE apud Pium X Enc. *Pascendi*.

[14] ANONYM. *Il programma dei Modernisti* p. 98.

[1] H. MAZZELLA I n. 9.

profitentes agnosticismum absolutum vel saltem relativum [2], notionem causae non derivantes ab obiecto sed ex *habitudine* lente acquisita et haereditate firmata (STUART MILL et SPENCER), vel ex *innata et fatali tendentia* spiritus nostri (KANT), hi profecto vel debent cum atheis negare existentiam religionis, vel cum immanentistis deducere ex instinctu et exigentia spiritus.

18. **Materialistarum et Rationalistarum systema.** ATHEISTAE negant existentiam Dei ac proinde religionem veram agnoscere non possunt, ut autem *factum* universalitatis cultus Dei [3] explicarent, deducere conati sunt ex sacerdotum et regum *fraudibus* [4], ex *timore* et *ignorantia* [5], ex *enthusiasmo* seu exaggeratione cultus heroum [6], ex *animatione* et *personificatione rerum* materialium, quibus homo primitivus dedit rationem et imperium [7], ex coëxistentia et *apparitione spirituum* (genî) qui praesentes reputati sunt in idolis [8], tandem ex *henotheismo* seu ex intuitione infiniti [9].

19 **Systema Modernistarum seu immanentismi** [10]. Moder-

---

[2] Qui substantias rerum nostrae cognitioni subtrahunt, dicti sunt RELATIVISTAE et AGNOSTICI. Primum nomen exhibet partem *positivam* systematis quod ad solam notitiam relationum phoenomenorum nostram cognitionem coarctat; alterum effert partem *negativam*, a graeco enim ἄγνωσεος derivatum, agnosticismus sonat *incognoscibilis philosophiam*. Agnosticismus nomen duxit ab HUXLEY, promulgatum est a SPENCER et in conventu Berolini a. 1881 a DU-BOIS-REIMOND est reassumptum nota phrasi: *Ignoramus et ignorabimus*.

[3] Non ubique colitur *verus* Deus, sed ubique extat notio saltem confusa *divinitatis* et religionis.

[4] Communissime antiqui MATERIALISTAE; modo enim negatur etiam a SPENCER, MARIANI, HARTMANN, MAX MULLER etc. apud *H. Mazzella* n. 75 et SEMERIA *Scienza e Fede* p. 247.

[5] EPICURUS, LUCRETIUS, VIANNA DE LIMA, STRAUSS apud *H. Mazzella* n. 71 et *Hettinger* Theol. fondam. ch. 1.

[6] EVEMERUS et H. SPENCER apud *Raff. Mariano* Intorno all'orig. della relig. 1901 p. 19.

[7] TYLOR *Gli inizi della cult.*; DARWIN *Orig. dell'uomo* c. II.

[8] TIELE *Manuel d'histoire des religions* apud *De Broglie* Problemi e conc. delle relig. p. 74.

[9] MAX MULLER apud *De Broglie* p. 82 sqq. Ad huiusmodi systema revocari potest pantheismus idealis SCHELLING et HEGEL.

[10] Immanentismo ex heterodoxis adhaeserunt SPENCER, RENOUVIER, HUXLEY, VUNDT, HARNACK, PAYOT, SECRETAN, LACHELIER, BOUTROUX, NEGRI, CESCA, CANTONI, etc.; e catholicis plus minusve eidem operam navarunt BLONDEL *L'Action*, Paris 1893; LABERTHONNIÈRE *Le problème religieux*; DENIS *Esquisse d'une apol. phil.*; MANO *Le problème Apologétique*; LOISY in *Études Bibliques, l'Évangile et l'Église, Autour d'un petit livre*, etc.; E. LE ROY in *Quinzaine, Annales de Philos. chrét.; Dogme et critique*; HOUTIN *La question Biblique*; FONSEGRIVE *in Quinzaine*, BRU-

nistae distinguunt cognitionem scientificam a religiosa [11] quae speciali facultate ab intellectu contradistincta [12] attingitur. Ex principiis KANT inducto *agnosticismo* [13], quo notitia Dei extra obiectum realium cognitionum constituitur, religionem omnem naturalem et supernaturalem derivant ex subiecti activitate [14] seu ex experientia religiosa [15], quae prius « per vitalem immanentiam e latebris subconscientiae erumpit » in confusam quamdam perceptionem divini [16], dein progressu vitae, cuius est quaedam forma, metaphysica seu logica necessitatum (*dei bisogni*) vitae [17], voluntate et operatione [18] adolescit ad notitiam *theismi* [19]. Ulterior progressus ideae religiosae potiusquam studio vel magisterio debetur *medio* in quo vivitur, h. e. moribus traditionibusque populorum, ex quorum necessario progressu *experientia collectiva* determinantur formulae seu symbola fidei, quae, ab auctoritate sociali approbata, nomen *dogmatum* accipiunt et exprimunt veritatem *relativam* ad statum socialis culturae populorum [20].

20. **De religionis origine catholica sententia.** Contra atheos et immanentistas omnes veri nominis theologi docent religionem *de facto* derivari a primitiva revelatione Adamo facta; *fundamentum*

NETIÈRE *Discours de Lille;* MURRI *Cultura sociale, Rivista di Cultura, La vita relig. nel crist.;* SEMERIA *Scienza e fede;* ANONYM. *Il programma dei modernisti;* etc. Cf. RANZOLI *Dizionario delle scienze filosofiche* art. *immanenza, volontà, intellettualismo;* FONTAINE S. J. *Les infiltrations Kantiennes* p. 137-49; BALLERINI *Il principio di causalità,* etc.

[11] Apud Pium X Enc. *Pascendi; Il Program.* p. 95, 122.

[12] In *Il Programma* p. 64, 95, 121, 132 etc.

[13] Apud PIUM X Enc. *Pascendi* et passim in *Il Programma.*

[14] Cf. *Il Programma* p. 112.

[15] In Enc. *Pascendi,* et *Il Programma.* Aliquando vocant etiam *instinctum* religiosum vel *intuitionem* religiosam.

[16] PIUS X Enc. *Pascendi.*

[17] Cf. Enc. *Pascendi; Civiltà* 2 Nov. 1907 n. 262. In *Il Programma* p. 98 religionem definiunt « risultato spontaneo di inestinguibili esigenze dello spirito umano ». NB. Ad immanentismum prout religionem eruit ex necessitatibus animi, reduci potest theoria HARTMANN et FEUERBACH religionem derivantes e desiderio felicitatis, et MACCHIAVELLI, GUYAN, LESBAZEILLES, DURKKEIM, etc. deducentes ex sociali utilitate.

[18] Quidam obiectivam veritatem vel realitatem cognitionis constituunt in *actione* cuius veritates speculativae sunt tantum symbola. V. g. realis est *adoratio,* Deus vero est veritas symbolica quae uti fundamentum adorationis proponitur praescindendo ab eius obiectiva existentia.

[19] *Civiltà Cattol.* 2 Nov. 1907 q. 1377.

[20] Enucleatius diximus de systemate *philosophico,* quia de *biblico* et *dogmatico* infra agendum est.

vero habere in ipsa natura hominis, qui naturae viribus Deum cognoscendo, connaturaliter movetur ad praestandum ei reverentiam, amorem et obedientiam. De naturali fundamento religionis infra dicemus: quod attinet ad primitivam revelationem eam testatur imprimis SCRIPTURA quae protoparentum originem et casum enarrans, divinas locutiones, positivum Dei praeceptum de non manducando ligno scientiae boni et mali, praevaricationem et condemnationem hominis, necnon Salvatoris promissionem commemorat [21]: PAULUS vero, universalitatem voluntatis salvificae [22] promulgans atque celebrans restaurationem hominis lapsi per Christum [23], profecto elevationem Adami ad supernaturalem finem et consequentem primaevam revelationem edocet. Adde POPULORUM TRADITIONES quae religionis (etiam falsae) originem primitivo commercio cum divinitate tribuunt, atque de suscepta revelatione vestigium servant in notitia casus protoparentum et quorumdam aliarum veritatum altioris ordinis, quae in mente obcaecata et corde corrupto naturaliter ascendere non potuerunt. Congruit et RATIO, siquidem conveniens fuit quod primus pater, primus esset magister, ac proinde non ignoraret ea, quae ad vitam moralem et maxime ad religionem spectant; homo vero puris naturae viribus difficillime sciret omnia quae pertinent ad ultimum finem etiam naturalem [24].

21 **Quae fuerit prima religio.** Rationalistae et Modernistae ex evolutionis principio statuunt progressum a confusa notione divinitatis ad polytheismum, a polytheismo ad monotheismum iudaicum et ex hoc ad christianam religionem, quae ecclesiae vere universali locum dabit [25]. Sed catholici omnes tenent primam religionem, utpote a Deo revelatam, fuisse *monotheisticam*. Revera SCRIPTURA, uti vidimus, loquitur de primaeva revelatione necnon de cultu protoparentum [26] et de sacrificiis Cain, Abel [27] et Noë [28] Deo vero oblatis, et aliquando expresse enarrat aliquorum defectionem a cultu veri Dei, ut v. g. in apostasia tribus Dan

[21] Gen. **1-3.**

[22] 1 Tim. **2.** 1-7.

[23] Cf. Rom. **5.** 12 sqq.; Ephes. **4.** 23-4; Colos. **3** 10.

[24] An praescindendo a Scriptura argumenta, quae probant primitivam revelationem, habenda sint apodictica, disputant auctores: ANCESSY *Job et l'Égypte* affirmat, DE-BROGLIE *Problemi,* etc. p. 101, 316 sqq. negat.

[25] FRISO *Filosofia morale* c. 14; RINNOVAMENTO Luglio-Agosto 1907 p. 18. PIUS X Enc. *Pascendi.* Nonnulli clarius loquendo futuram dicunt ecclesiam *laicam*. Cf. SCUOLA CATT. Sett. 1893 p. 285.

[26] Gen. **3.** 3 sqq.

[27] Gen. **4.** 3-4.

[28] Gen. **8.** 20.

et Jeroboam, qui a monotheismo in idolatriam prolapsi sunt [29]. Confirmatur HISTORIA RELIGIONUM. Nam constat falsas religiones processu temporis deorum numerum auxisse, ab adoratione numinum ad cultum simulacrorum devenisse atque ab invocatione spirituum ad materialismum descendisse: imo, uti antiquitatum cultores ostendunt, in exordio omnium religionum apparet unitas divinitatis, quae prius diversa suscepit nomina, dein in plures deos scissa est [30]. Accedit CONGRUENTIA RATIONIS. Sicut enim necessitas exhibendi formis sensibilibus divinitatem creavit deorum imagines, quae dein cultu absoluto sunt adoratae; ita necessitas distinguendi divina attributa multiplicavit nomina Dei, quae dein in distinctas divinitates transiere. Ceterum nonne rudes et corrupti christiani ad divinationem et sortilegia recurrunt, quae uno tantum gradu ab idololatria distant? Quid ergo mirum si homines primitivi, necessitatibus vitae abrepti, cultu monotheistico relicto, in polytheismum ruerint? [31]. Nullatenus e contra a cultu deorum ad cultum unius Dei progressus explicatur; obstabant enim passiones, obstabant sacerdotes, obstabat traditio, obstabat ipsa difficultas assurgendi ad spirituales conceptiones Dei, qui, si unus, iam non materia sed purissimus est spiritus.

THES. 1. *Religionis origo repeti nequit — 1 ex sacerdotum et legislatorum fraudibus, — 2 vel ex timore, ignorantia et enthusiasmo; — 3 nec explicari potest intuitu infiniti seu henotheismo.*

22. **Prima pars.** *Religio non est repetenda ex legislatorum vel sacerdotum fraudibus.* Nam fraudes non ubique et semper

---

[29] Iudic. **18.** 13 sqq.; 3 Reg. **12.** 26 sqq.

[30] « L'unità di Dio è la fonte da cui emanano, il mare a cui tornano tutte le religioni. Senza ingolfarci nelle più oscure, e tacendo la CINA che, tutta patriarcale, rendeva un culto puro alla divinità fin quando *Lao-seu* vi propagò il razionalismo, la trimurti INDIANA non è che una decomposizione di *Brama;* nell'EGITTO, *Hom* esiste prima degli Dei; in PERSIA, Ormus ed Ariman sono generati da *Zervane,* l'eterno, l'eccellente; in GRECIA, i sapienti e gli iniziati considerano i numi quali rappresentazioni delle forze di *Dio.* — La divinità unica ebbe sovente molteplici nomi. Così gli Ebrei dicevano *Adonai,* cioè signori miei; o *Eloim,* cioè venerabili, adorabili; o per l'onnipotenza *Sciaddai;* e per l'altezza *Eliom,* o per la forza *Sabaoth.* Il nome di Dio rivelato a Mosè fu *Jehova* (meglio *Javeh*) cioè l'esistente... così forse era delle altre religioni, talchè la moltiplicità degli dei non fu che molteplicità dei nomi d'un solo ». CANTÙ *Storia universale* II c. 30; DARMESTETER *Essais Orientaux;* M. DE-VOGUË *Mélanges d'archéologie orientale;* DE-BROGLIE *Problemi* etc. c. 3 p. 72 sqq. VIGOUROUX *La Bible et les découv. mod.* IV p. 435 sqq.

[31] DE-BROGLIE *Problemi* etc. p. 99-100.

prospere procedunt, temporis vero progressu deteguntur: atqui religio ubique extitit, nec populorum civilizatione est eversa sed magis effloruit: ergo. Accedit *sacerdotium* praesupponere religionem, quam proinde fundare nequit; *principes* vero, si divinitatem invexissent, non fecissent sibi superiorem nec suorum criminum vindicem. Utique, religione existente, ficto numinis commercio, sacerdotes et principes caeremonias mutare et divinum cultum corrumpere potuerunt, sed divinitatem ipsam creare atque religionis primam notionem animis inserere nec ipsis licuit.

23. **Secunda pars.** *Religio timori, ignorantiae vel enthusiasmo originem suam non debet.* Nam repugnat in re vana et inani totam actionum moralitatem, legum virtutem, ipsiusque societatis progressum imo et existentiam fundari: atqui haec omnia, uti videbimus, religione firmantur: ergo religio res est vera et realis: atqui religio in *ignorantia, timore, enthusiasmo* vel aliquo huiusmodi fundata, est profecto res vana et inanis: ergo. Accedit quod *ignorantia* studio amovetur, inanis naturalium causarum *timor* scientia phoenomenorum expellitur [32], irrationalis *enthusiasmus* quieta mentis consideratione evanescit [33]: si ergo his causis deberetur religio, non secus ab aliis, quae in his fundantur, iam dudum ruisset, nec temporibus omnibus omnibusque populis praefuisset. Ceterum causae particulares et multiformes rationem non reddunt unius effectus universalissimi; siquidem causa et effectus in eodem ordine constituuntur: atqui religio est effectus universalissimus, illae sunt causae particulares: ergo ex illis religionis origo non explicatur [34].

24. **Tertia pars.** *Religionis origo non explicatur henotheismo.* Nota imprimis contra *Max Muller* notionem infiniti efformari posse

---

[32] Ne instes phoenomenorum plurimorum causas adhuc ignorari et ideo religionem manere; si enim dicis de causis *proximis* nemo iam eas repetit ab ente extramundano, si loqueris de causa *ultima,* utique agnoscitur Deus, sed non colitur uti causa ignota, imo ut notissima pluribus argumentis ex existentia mundi comprobata.

[33] *Enthusiasmus* est aestus quidam passionum, quae in determinatis tantum circumstantiis exardescunt; non itaque *semper* neque in *omnibus* datur; ipso vero nullatenus explicari poterit religio christiana, quae passiones corporales reprimit et phantasiae habenas iniicit.

[34] Dicimus de causis finitis cuiusmodi sunt *ignorantia, timor, enthusiasmus;* causa enim infinita aequivoce tantum convenit cum effectu et nonnisi una pro omnibus esse potest.

ratiocinio [35] etiam sine directa intuitione, quae, dum experientiae contradicit, religionis originem non explicat iuxta documenta historica quae habemus. Profecto henotheismus notitiam Dei exhibet *abstractam* et *confusam* : atqui historia refert primam notitiam divinitatis fuisse concretam, personalem, cui praeter attributum *supremi dominii* competebant etiam alia *patris* et *iudicis* : ergo. Henotheismus insuper proponens Deum *infinitum* pantheismo forsan originem dare poterat, sed non *polytheismo* et multo minus *animismo* qui Deum finitum supponunt; et tamen apud multos populos fere exclusive extiterunt. Ceterum notio Dei sub ratione *entis infiniti* in historia religionum serius apparet; ergo henotheismus non fuit *prima* religio, ac proinde ipso non explicatur universale factum religionis [36].

THES. 2. *Religionis origo explicari nequit modernistarum systemate immanentiae, quod* — 1 *rationi contradicit,* — 2 *mores corrumpit et* — 3 *fidem evertit.*

25. **Prima pars.** *Systema immanentiae contradicit rationi,* nam *a*) in gratuitis assertis fundatur, *b*) opponitur testimonio conscientiae, *c*) contradictiones involvit, et *d*) obiectivam realitatem nostrarum cognitionum destruit. *a*) Et primo quidem *aprioristicis assertis innititur*. Quomodo enim probant scientiam profanam et doctrinam religiosam diversa facultate percipi? Nonne potius manifesta experientia constat mentem nostram indifferenter se habere ad utramque notitiam, simili methodo introduci in utriusque studium et iuxta maiorem vel minorem ingenii aciem quemque in utraque proficere? Quomodo demonstrant subconscientiae intuitionem *incognoscibilis* eiusque evolutionem? Profecto « determinationem germinis primigenii debetur unice apriorismo philosophi agnostici et evolutionistae et germen ipsum sic gratis ab eis definitur, ut eorum causae congruat »[37]. Ecquid de *relativitate* veritatis, de necessario religionis *progressu,* de fidei in re historica et scripturali *defiguratione* et *transformatione*? Nonne integrum fere systema, ut ipsimet

---

[35] Infinitum ex *finito* derivatur prout mentis abstractione removentur limites, quibus creata natura coarctatur et a plenitudine perfectionis suae speciei recedit.

[36] Cf. DE - BROGLIE *Problemi* p. 82-91.

[37] PIUS X Enc. *Pascendi.*

fatentur, innititur indiciis et hypothesibus? [38]. Atqui hypotheses non sunt argumenta maxime cum certis et evidentibus doctrinis repugnant. — *b*) *Contradicit testimonio conscientiae.* Utique damus dubitari posse de *modo* quo mens procedit ad cognitionem exterioris obiecti, de *via* qua per sensibilia et concreta universalia et spiritualia intelligit, et de *ratione* qua ex effectibus causas attingit [39]; sed tam evidenter horum, quae scientiarum omnium sunt fundamentum [40], conscientia testatur *cognitionem,* ut nisi scientiis speculativis et practicis, societati ipsi et rationi valedicere maluerimus, cognitionem causarum, universalium et obiectorum realium impugnare non possimus [41]. — *c*) *Contradictionibus scatet.* Profecto si una lacryma viginti syllogismis praestat [42] et sensu non ratione est procedendum, cur tot ratiocinationibus in suam sententiam nos

---

[38] LOISY *Autour d'un petit livre* p. 35; LAGRANGE apud *Cavallanti* Modernismo p. 139; ANONYM. *Il Programma* p. 57, 95.

[39] Fatemur genesim cognitionis notrae ab ARISTOTELE propositam et a S. THOMA explicatam (iuxta quam species sensibilis ab obiecto determinata *abstractione* intellectus agentis fit *intelligibilis* et movet intellectum possibilem seu mentem ad eliciendum *verbum* in quo res percipitur) non esse penitus claram et evidentem; sed cave ne ex hac obscuritate illam sententiam falsam iudices vel corrigere ita velis ut componas principiis novae scientiae, quae kantiano veneno infecta e diametro illi opponitur. Obscuritas provenit ex conditione animae nostrae, quae utpote humani corporis forma nonnisi indirecte et analogice scrutari valet spiritualia. Progressus scientiae physicae huic quaestioni (eminenter speculativae nullum attulit lumen), et quantum ad me attinet existimo profundiorem intelligentiam genesis intelligentiae nostrae non esse futuram, sed S. THOM. iam ultima attigisse.

[40] *Scientiae* non sunt de singulis factis, quae ad meram historiam pertinent, sed de *legibus* quibus facta reguntur, ideoque de substantiis et de phoenomenorum causis. Cf. FARGES *L'idee de Dieu* c. 1; G. BALLERINI *Il princ. di causalità.* Ipse DE-DOMINICIS *La dott. dell'evol.* II p. 56 hoc fatetur.

[41] Quaestio de *modo* vel *origine* et *causa* cognitionis non est confundenda cum alia de *facto;* plura enim extant « de quibus ratio reddi ab homine non potest et tamen sunt» (AUG. *De Civ. Dei* XXI c. 5). Profecto facilius est cognoscere eclypsim, anni tempora, ortum solis, fulgura et tempestates quam eorum causas, et similiter ex conscientiae evidenti testimonio, ex comparatione cognitionum, ex communi affirmatione, et ex vita ipsa sociali, quae huiusmodi cognitiones praesupponit, certitudinaliter scimus existentiam substantiarum, causarum, entium spiritualium, etc., licet *viam* qua mens ad haec cognoscenda perveniat ignoremus vel non tam clare perspiciamus.

[42] E. DIMNET *La pensée catholique dans l'Angl. cont.* 1906 p. 248. Similia habet MINOCCHI, *Studii Religiosi* 1907 p. 728.

trahere volunt? Si nulla est absoluta certitudo cognitionum nostrarum [43], profecto etiam modernistarum sententia probabilitatis gradum non superat; cur ergo tam acriter invehunt contra scholasticos impoenitentes? Si simpliciter fatendum est nos nihil scire, ecquid tam alte clamant contra ignorantiam cleri, necessitatemque culturae plenis buccis undique resonant? Si tandem supremum veritatis criterium in re fidei est plebium experientia [44], nonne de modernismo actum est, cum « hominum pars maxima hoc firmiter teneat tenebitque semper, sensu solum et experientia, nullo mentis ductu atque lumine, ad Dei notitiam pertingi numquam posse »?[45]. — *d*) *Obiectivam realitatem cognitionum nostrarum destruunt.* Hoc, etsi saepe negent, aliquando tamen ipsi fatentur [46] et ex eorum principiis logice sequitur; si enim non est *obiectum* quod cognitionem causat, sed potius *cognitio* obiectum suum efficit, profecto obiectum non aliam habet realitatem ab illa distinctam, quae in mente existit: in hoc autem subiectivismus consistit [47]. Neque modernistas iuvat obiecti necessitatem esse *realem* et sic realitatem tribuere obiecto cognito [48]; quisque enim videt necessitatem non creare obiectum utut necessarium, sed esse *occasionem quaerendi,* sicut voluptas lucis non creat solem, nec fames cibum, licet illa moveat ad oculos aperiendos ut videamus lucem, haec ad manducandum ut satiemur. Verum itaque, quod est fructus sensus interni et actionis non est obiectivum seu referens realitatem extra animam positam, sed mere subiectivum quod « si quidem ludendo est aptum nihil admodum homini confert, cuius scire maxime in-

---

[43] In *Il Programma* p. 95-6; E. DIMNET *La pensée* etc.; G. LANDRO *Per la filos. dell'azione* p. 33; BUONAIUTI in *Cult. Soc.* 16 Ottobr. 1905 p. 308-9; etiam SEMERIA *Per la fede relig.* veritatem dicit *approximationem realitatis.* Cf. FARGES *La crise de la certitude.*

[44] *Il Programma* 95; p. 107; DIMNET *l. c.* p. XXX.

[45] PIUS X, Enc. *Pascendi.*

[46] « La critica recente delle varie teorie della conoscenza porta a concludere che *tutto* è *soggettivistico* e *simbolistico* nel campo della conoscenza ». *Il Programma* p. 111, cf. p. 97, 109.

[47] *Subiectivismum* tamquam scepticismi speciem, ex veracitate facultatum, ex testimonio conscientiae et ex intrinsecis contradictionibus impugnant philosophi. Cf. TIL. PESCH *Inst. Loc.* II n. 584.

[48] « La nostra vita è per ciascuno di noi un qualche cosa di assoluto, anzi l'unico assoluto: tutto ciò che da essa emana e ad essa ritorna, tutto ciò che ne alimenta e ne arricchisce l'esplicazione, ha ugualmente il valore di un assoluto » *Il Programma* etc. p. 112.

terest sit necne extra ipsum Deus, cuius in manus aliquando incidet »[49].

26. **Secunda pars.** *Systema immanentiae morum corruptioni favet.* Nam *a*) sanctionem legis evertit, — *b*) distinctionem bonum inter et malum aufert, — *c*) et reprobata moralitatis systemata renovat. — *a*) Ut a primo incipiamus, profecto sine principe, a subdito distincto, non datur *lex* quia nemo sibi imperat, et sine iudice et vindice lex *sanctione* et *vi* privatur, cum impune possit violari. Lex itaque moralis supponit certam notitiam legislatoris et iudicis ac vindicis qui transgressores puniat: atqui systemate immanentiae non pervenitur ad certam notitiam Dei, qui solus potest homini non communicata potestate praecipere et peccatores utut occultos punire: ergo[50]. — *b*) Accedit quod immanentiae doctrina distinctionem inter bonum et malum aufert. Nam bonum et malum operibus sunt intrinseca: atqui agnosticismo omnis obiectiva differentia inter bonum et malum, vitium et virtutem, veritatem et errorem disparet rebusque manet sola veritas et bonitas *relativa* seu respondens conditionibus physicis et patologicis subiecti: ergo[51]. — *c*) Immanentismus tandem *renovat falsa systemata moralitatis.* Bonitas enim et malitia quae aestimatur ex *necessitate* individui vel collectivitatis re vera nihil aliud est quam moralitas *pragmatismi* et *hedonismi*[52] quam philosophi diffuse impugnant[53] et modernistae non obscure approbant[54].

27. **Tertia pars.** *Systema immanentiae fidem omnemque religionem evertit;* nam *a*) renovat omnes haereses, *b*) ordinem supernaturalem funditus eradicat, *c*) indifferentismum religiosum inducit, et *c*) ad pantheismum, cuiusvis religionis negationem aperit

---

[49] PIUS X. Enc. *Pascendi.*

[50] Cf. G. BALLERINI in *Scuola* Gen. 1908 p. 43-4.

[51] *Civiltà Cattol.* 7 Dicem. 1907 p. 555-6.

[52] *Pragmatismus* ex practica utilitate privata vel sociali bonitatem actionis aestimat, *hedonismus* (antiquus epicureismus renovatus a BENTHAM, SPENCER, SUART MILL, CLIFFORT, BARRAT, etc.) moralitatem deducit ex gradu *voluptatis.*

[53] Cf. MEYER *Inst. Jur. Nat.* I n. 156-80; *Civiltà Cattolica* 6 Aprile 1907.

[54] DECR. *Lamentabili* prop. 26. Cf. *Civiltà* 21 Dic. 1907. Ex pragmatismi principiis MODERNISTAE, obiectum revelationis non agnoscunt notitiam veritatum *abstractarum* sed solam doctrinam *practicam* de cultu Dei et de conformitate nostrae vitae cum voluntate eius (*Il Programma* p. 43). Ex iisdem principiis, iuxta AMERICANISMUM damnatum a Leone XIII, deprimunt virtutes *passivas* ut *activas* superexaltent.

viam. — *a*) Immanentiae systema est « *omnium haereseon conlectum* »[55]. Quid enim est haeresis nisi negatio dogmatis seu veritatis revelatae et ab Ecclesia propositae? Atqui systemate immanentiae nulla est veritas absoluta a Deo revelata et ab Ecclesia proposita, sed dogmata sunt tantum formulae seu symbola relativam experientiam temporum referentia : ergo[56]. — *b*) Ipso « *nihil est aptius ad omnem supernaturalem ordinem abolendum* »[57]. Nam supernaturale naturae viribus scrutari non potest, siquidem *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum: nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum*[58] : atqui modernistarum doctrina ex naturae principiis erumpit et ex necessitatibus vitae emanat : ergo. Nec iuvat modernistas *revelationis* nomen quod saepius invocant; ipsis enim revelatio non est exterior manifestatio veritatis a Deo facta, sed evolutio sensus religiosi, qui iuxta conditiones temporum et locorum explicatur[59] : « hinc *conscientiae* ac *revelationis* promiscua significatio »[60], hinc deductio religionis christianae ex desiderio et exigentia quae celantur « in intimis hominis *naturae* et *vitae* recessibus »[61], seu religionis *naturalizatio*[62], hinc plausus rationalistarum « qui... nullos se efficaciores quam modernistas auxiliatores invenisse gratulantur »[63]. — *c*) *Absolutum indifferentismum religiosum inducit.* Nam ut arguit PIUS X « ex modernistarum *experientiae* doctrina, coniuncta alteri de *symbolismo,* (sequitur) religionem quamlibet, ethnicorum minime exceptam, ut veram esse habendam. Quidni enim in religione quavis experientiae huiusmodi occurrat? occurrisse vero non unus asserit. Quo iure autem modernistae veritatem experientiae abnuent, quam turca affirmet; verasque experientias unis catholicis vindicabunt? Neque id reapse modernistae negant : quin imo, suboscure alii, alii apertissime re-

[55] PIUS X, Enc. *Pascendi; Allocut.* 17 April. 1907.

[56] MODERNISTAS de facto renovasse omnes haereses videbimus in decursu tractationis; vix enim est error ab Ecclesia damnatus, quem aliqui e modernistis non approbaverint.

[57] PIUS X Enc. *Pascendi.*

[58] 1 Corinth. **2.** 9-10.

[59] Testimonia adducemus infra cum de *Revelatione.*

[60] PIUS X Enc. *Pascendi.*

[61] PIUS X Enc. *Pascendi.*

[62] E. DIMNET *La pensée catholique* etc. p. 212.

[63] PIUS X Enc. *Pascendi.* De rationalistarum laude, ut notat idem pontifex, « quam verus catholicus respueret, ipsi sibi gratulantur, eamque reprehensionibus Ecclesiae opponunt ».

ligiones omnes contendunt esse veras »[64]. — *d) Ad pantheismum sternit viam.* « Etenim hoc quaerimus : an eiusmodi immanentia Deum ab homine distinguat necne. Si distinguit, quid tum a catholica doctrina differt, aut doctrinam de externa revelatione cur rejicit? Si non distinguit, pantheismum habemus. Atqui *immanentia* haec modernistarum vult atque admittit omne conscientiae phoenomenon ab homine ut homo est profici. Legitima ergo ratiocinatio inde infert unum idemque esse Deum cum homine : ex quo phantheismus »[65].

28. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** *Critica kantiana* scholasticam doctrinam de idearum origine et de absoluta veritate et obiectivitate cognitionum iam dudum evertit : nisi ergo ad immanentiae principia confugerimus, nihil de religionis existentia et necessitate demonstrabimus[66]. **Resp.** *Nego antec.* Doctrinas non secus a vestibus veterascere, est modernistarum praeiudicium de relativa veritate nostrae cognitionis. Concedimus profecto quaedam a scholasticis doctoribus scripta sustineri non posse, humanae enim infirmitatis est aliquando errare. « Si quid (ergo) a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum; si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens vel denique quoquo modo non probabile; id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi »[67] : sed scholasticum systema in genere et de cognitionis nostrae obiectivitate in specie kantiana critica esse eversum nullatenus damus. Non scholastica *critica kantiana* ruit, sed *critica kantiana* scholasticis argumentis evertitur. Criticam *criticae kantianae* philosophis[68] relinquimus, nobis animadvertisse sufficiat aprioristicis seu gratuitis assertis inniti, contradictionibus implicari et confundere certitudinem doctrinae cum eius apodictica demonstratione, dum plura certa esse possunt etiam immediata evidentia, communi sententia et indirecta argumentatione petita ex absurdis, quae alias sequerentur.

29. **Obiic. 2.** Cognitio est actus vitalis : atqui actus vitalis non est ab obiecto sed ab agente : ergo cognitio ex ipso agente proflui debet :

---

[64] Enc. *Pascendi. Il programma* p. 117. MURRI *A Pio X - Quel che vogliamo* - docet omnes religiones *esse revelatas* a Deo.

[65] PIUS X Enc. *Pascendi.* G. BALLERINI in *Scuola* Gen. 1908 p. 39.

[66] *Il Programma* p. 22, 88, 98-9; MURRI, MINOCCHI, BUONAIUTI, SEMERIA, etc. apud CIVILTÀ 3 Febr. 1906 et CAVALLANTI *Modernismo e modernisti* 2 edit. p. 170 sqq.

[67] LEO XIII Enc. *Aeterni Patris.*

[68] Cf. TIL. PESCH *Inst. Loc.* n. 832-44; SCHIFFINI *Princip. Phil.* n. 342-6.

in hoc autem immanentiae doctrina consistit [69]. **Resp.** Cognitio est actus vitalis ab obiecto determinatus et obiectum referens *conc.*, est actus vitalis a solo intelligente emanans *nego*. Nemo ambigit cognitionem esse actum vitalem, sed non omnes actus vitales sunt eiusdem rationis. Cognitio non ordinatur ad nutritionem vel augmentum subiecti sed ad intellectualem repraesentationem rerum; haec autem sola intrinseca virtute intelligentis non fieri, ut praescindamus a metaphysicis rationibus, constat ex testimonio *conscientiae,* ex *facto* cognitionis rerum quae in subiecto non sunt, et ex *defectu notitiae* eorum quae privatione alicuius sensus non percipiuntur. Hinc AUG. effatum: « Ab utroque notitia paritur ab intellectu et a re »[70]. Est igitur intellectio actus vitalis quia a principio vivente procedit et in eodem recipitur, sed non est vitalis quasi a *solo* principio intelligente emanet. Nec mirum quod actus vitalis non sit a solo principio vivente; potest enim unus effectus a duabus causis inadaequatis et subordinatis procedere [71], sicut patet de pictura, quae *una* actione est a penicillo simul et a pictore.

30. **Obiic. 3.** Si cognitio ab obiecto procederet, falsa vel imperfecta esse non posset [72]: atqui nostrae cognitiones saepe sunt falsae vel inadaequatae: ergo. **Resp.** Nostrae cognitiones numquam essent *falsae* si defectus in organo vel in medio cadere non posset, et non essent *inadaequatae* si obiectum immediate et comprehensive semper attingeretur *conc.;* secus *nego*. Attenta veracitate facultatum, si organa sunt bene disposita, nec medium cognitionis (puta aërem) est vitiatum, cognitio sensitiva refert obiectum verum, quo percepto, si ratio imprudenter non iudicat, veram cognitionem intellectualem assequimur. Sed aliquando instrumentum (oculus v. g.) est vitiatum, vel mens sub influxu voluntatis iudicia festinanter et sine sufficienti ratione effert; inde falsae opiniones. Porro cognitionem inadaequatam veritati obiectivae non obstare, inde patet quod ignota, cognitione inadaequata, non affirmantur nec negantur. Quis negabit oculum percipere *pomum,* quia

---

[69] MODERNISTAE apud PIUM X Enc. *Pascendi.* Hinc in *Il Programma* p. 91 docent quod iuxta doctrinam immanentiae, quam amplectuntur, « nulla può penetrare nell'uomo se non scaturisce e non corrisponde in qualche modo al bisogno di espansione: non vi è per lui verità fissa e precetto ammissibile che non sia in qualche modo *autonomo* ed *autoctono* ». Ceterum passim post LOISY loquuntur de *fide vivente.*

[70] AUG. *De Trinit.* IX. 18.

[71] Cf. S. THOM. 1 p. q. 105 a. 5 ad 2; *Cg.* III c. 70; *De Poten.* q. 3 a. 7 ad 3.

[72] Hoc saepe repetunt modernistae scholasticos damnantes quasi mundum universum infallibiliter cognoscere et propriis schematibus comprehendere velint. Cf. BUONAIUTI in *Cultura* 16 Ott. 1905.

duritiem et gustum eius non refert? Profecto cognosco personam Petri etiam cum eius secreta cordium me latent.

31. **Obiic. 4.** Interiorem sensum tamquam veritatis criterium secuti sunt sancti et docent ascetae, conscientiam vero omnes moralistae habent pro operationis regula: ergo immanentiae systema principiis fidei non contradicit. **Resp.** Modernistae vocibus aequivocant. Interiorem *sensum divini* quem experti sunt sancti non est principium naturale omnibus commune, sed speciale Dei donum, quod non regitur coeco instinctu, sed magna prudentia et summa doctrina [73]. *Conscientia* vero apud moralistas non est *motus instintivus* subconscientiae vel conscientiae, sed *iudicium practicum* quod ex principiis certis concluditur et ratione regitur [74].

32. **Obiic. 5.** Etiam AUG. docet omnia esse authoctona seu a voluntate pendere, dicit enim *omnes nihil aliud sunt quam voluntates* [75]. **Resp.** AUG. [76] non dicit « omnes *homines* » vel « omnes *actus* humani », sed « omnes *appetitus* hominis »; loquitur enim de bonitate et malitia passionum, quae provenit a voluntate et maxime ab amore [77], ad quem omnes actus voluntatis quodammodo reducuntur [78].

33. **Obiic. 6.** S. THOM. aperte fatetur immanentismum; docet enim quod « quodam naturali instinctu, se (homo) obligatum sentit Deo, ut suo modo ei reverentiam impendat a quo est sui esse et omnis boni principium »[79]; similia habent Patres [80]. **Resp.** S. THOM. et PATRES imprimis non excludunt rationalem demonstrationem Dei et religionis, quam pluries et plurimis exponunt; cum vero notitiam Dei et religionis dicunt *innatam, instinctivam,* etc., non loquuntur de instinctu coeco et irrationali, sed, ut patet ex ipsis verbis obiectis, de cognitione *obvia* et *facili,* quae causalitatis via absque labore ab intellectu erumpit, cuius

---

[73] PIUS X Enc. *Pascendi* post med.

[74] ARISTOTELES *Ethic.* II c. 2 n. 2 et alias saepe dicit *bonum* esse *secundum rectam rationem* quod explicans S. THOM. ait: « Bonum et malum in actibus... est accipiendum secundum id quod est proprium hominis in quantum est homo. Hoc autem est *ratio,* unde bonum et malum in actibus humanis consideratur secundum quod actus concordat rationi informatae lege divina, vel naturali; vel per doctrinam vel per infusionem ». *De Malo* q. 2 a. 4.

[75] *Pseud.* SOSTENE GELLI *Psicol. della Relig.* Roma 1905 p. 5.

[76] AUG. *De Civ. Dei* XIV c. 6.

[77] Cf. *Civiltà Cattol.* 7 dic. 1907 p. 550 sqq.

[78] Cf. BILLOT *De Deo Uno et Trino* p. 332-3.

[79] S. THOM. *Cg.* III c. 119.

[80] MODERNISTAE in *Il Programma* p. 100-3 invocant CLEM. Alex. *Strom.* II; TERTUL. *De anima* passim; ORIG. *C. Celsum* III 40; AUG. *Conf.* V 6, 7, 13; VII 6; S. THOM. 1 p. q. 75 a. 6; *Cg.* II 55, III 52.

terminus non est verum aliquod *subiectivum*, sed maxime *obiectivum* et *reale* [81].

ARTIC. 3 - DE RELIGIONIS NECESSITATE.

34. **Status quaestionis.** Agentes de origine religionis exclusimus falsa systemata de modo perveniendi ad cultum Dei, restat ut positive inquiramus de via qua procedendum est: hinc duplex quaestio de *possibilitate* et *necessitate* religionis. Prima solvitur demonstrando veracitatem cognitionum nostrarum atque vindicando efficaciam argumentorum quibus causalitatis via ex contingentia mundi probatur existentia Dei creatoris nostri; si enim haec possunt demonstrari, iam probari poterit nostra dependentia a Deo: atqui sensum et intellectum esse veraces et causalitatis principium verum esse, probatur in philosophia; ex mundi vero contingentia colligi existentiam Dei, probabimus in tractatu de *Deo Uno:* ergo *possibilitatem* religionis in praesenti supponimus, gradum statim facientes ad aliam de *necessitate*. Porro necessitatem religionis non *physicam* vindicamus, quod ipsi notioni religionis seu *voluntariae* dependentiae hominis a Deo contradiceret, sed *ethicam* seu *moralem,* quae ex debito rerum ordine procedit et non sine iniuria negligitur. Jamvero moralis religionis necessitas considerari potest in homine *individuo* et in *societate,* sive *absolute,* h. e. rerum essentiis in se spectatis, sive *respective,* ad convenientem perfectionem individui et societatis. De his omnibus est agendum.

35. **Errores — Veritas.** Intrinsecam et absolutam necessitatem, imo possibilitatem religionis quoad ipsum *individuum* negant ATHEI, PANTHEISTAE, FATALISTAE et POSITIVISTAE, quoad *societatem* NATURALISTAE docentes « optimam societatis publicae rationem civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret »[1]. **Veritas** *implicite* definita a CONC. VATIC.[2], *explicite* traditur a LEONE XIII, qui scribit: « Natura et ratio, quae iubet singulos sancte religioseque Deum colere, quod in eius potestate sumus et quod ab eo profecti ad eumdem reverti debemus, eadem lege adstringit societatem »[3].

---

[81] De his iterum agemus in tract. *de Deo Uno.*

[1] PIUS IX Enc. *Quanta cura.*

[2] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 2 et 3.

[3] LEO XIII Enc. *Immortale Dei; Sapientiae Christ.*

THES. 3. *Religio — 1 ethice est necessaria individuo — 2 et societati.*

36. **Prima pars.** *Religio individuo est ethice necessaria.* **Argum. 1.** *Ex ratione causae efficientis.* Homo quoad essentiam et facultates procedit a Deo causa prima omnium entium: atqui effectus pendet a sua causa non minus in ordine morali quam in physico: ergo homo totaliter, ideoque suo etiam intellectu et sua voluntate, pendet a Deo in utroque ordine; in *physico* quidem quia a Deo debet conservari et in actum deduci, in *morali* quia Deum debet homo intellectu cognoscere et voluntate amare sicut etiam eius praecepta exequi: atqui in voluntaria dependentia a Deo stat religio: ergo. MAIOR, diffuse probanda in tractatu *De Deo,* inde constat quod homo non minus quam ceterae res mundanae est ens contingens, quod proinde, non habens in se sufficientem rationem sui esse, ab alio procedit; hoc autem vel est ens infinite perfectum et est Deus, vel est ens imperfectum et est ens contingens, scil. effectus alterius causae, de qua renovabitur quaestio quousque perveniatur ad causam primam infinitae perfectionis, et universale principium omnium entium contingentium. MINOR. Nam in re morum est principium per se evidens quod res clamat ad dominum, et quod effectus est de potestate sui auctoris, in cuius bonum utile vel honestum cedere debet. Si ergo homo a Deo pendet in *fieri,* in *esse,* et in *operari,* profecto est res Dei, in cuius bonum cedere debet, non sane ut aliquid ei conferat, quia infinite perfectus non eget bonis nostris [4], sed ut eum cognoscat et glorificet, debito prosequendo honore [5]. **Argum. 2.** *Ex ratione finis ultimi.* Nam res, quae in finem tendit, ei subiicitur; est enim finis prima causarum [6]: atqui homo, uti ens liberum, necessario tendit in finem ultimum [7]:

---

[4] Ps. **15.** 2; **49.** 12, etc.

[5] Quidam argumentum infirmare voluerunt dicentes ex creatione sequi necessitatem *hypotheticam,* si nempe Deus velit ab hominibus honorari, non *absolutam;* sed respondendum est nos arguere ex essentialibus relationibus effectus ad causam, ideoque agere de praeceptis, quae naturali lege promulgantur. Ceterum Deum velle a nobis honorari ex dicendis de revelatione amplius apparebit.

[6] S. THOM. 1 p. q. 5 a. 4; 1-2 q. 1 a. 2; etc.

[7] Hoc, quod implicare prima fronte videtur, est veritas manifesta, nam *liberum arbitrium* non est potentia realiter distincta a *voluntate,* quae circa ultimum finem libertate caret: imo, si voluntas necessario non tenderet in

ergo uti ens liberum subiicitur ei: atqui finis ultimus hominis est Deus: ergo homo uti ens liberum subiicitur Deo, seu voluntaria dependentia in Eum ordinatur. MINOR. Nam homo non est sibi sufficiens neque undequaque perfectus; ut igitur assequatur statum sibi convenientem, ad quem natura duce inclinatur, debet extra se quaerere suam perfectionem, quod est finem sibi praestituere. Patet autem finem, qui per se non est ultimus, suapte natura in ultimum ordinari, qui ergo finem aliquem intendit et ultimum intendit. Iamvero intentio finis *determinati,* utut ultimi, non est homini physice necessaria, sicuti est entibus irrationalibus; licet enim ipse quoad bonum in genere non habeat libertatem *specificationis,* quoad bona determinata plena gaudet libertate, et quoad actualem prosecutionem boni in genere tenet libertatem *exercitii*[8]. Homo igitur naturaliter quidem, sed libere, tendit in ultimum finem. MINOR SUBS. Nam sive consideres rerum ordinem, quo ens finitum infinito subiicitur, sive consideres hominis naturale desiderium, quod nullis creatis bonis satiatur[9], facile colliges Deum esse ultimum hominis finem, quem homo libere tenetur prosequi cognitione et amore, ea omnia exequendo quae ad illius consecutionem sunt necessaria. **Argum. 3.** *Ex summa Dei perfectione.* Nam natura docet quod inferior superiori subdi debet eique reverentiam et honorem praebere: atqui Deus sapientia, potentia et bonitate hominem in immensum excedit: ergo. **Argum. 4.** *Ex ordine mundi.* Exigit profecto mundi pulchritudo ut, quaecumque sunt, ad invicem coordinentur; sine ordine enim confusio, horror et pugna oriretur: atqui multitudo ad unitatem non reducitur sine ordinante, ut patet de exercitu sine duce et de civitate sine principe: ergo mundi pulchritudo exigit ut sit supremus gubernator et rector cui homo totaliter ideoque intellectu et voluntate subdatur. **Confirmatur.** *Omnium populorum consensu.* Factum constat imprimis *a*) universalitate *precum,* quae veluti ex instinctu in ore sunt omnium, maxime cum pericula imminent. Item *b*) universalitate *victimarum,* quae, licet diversa ratione fuerint oblatae, et aliquando sae-

---

ultimum finem generice inspectum, nec libera esset in electione mediorum, siquidem non haberet unde de potentia in actum educeretur. Cf. S. THOM. *De Verit.* q. 22 a. 4 et 6; 1 p. q. 83 a. 4.

[8] Cf. S. THOM. 1-2 q. 5 a. 8 ad 2; q. 10 a. 2; a. 6.

[9] Hoc pulcherrime expressit AUG. *Conf.* I c. 1 nota sententia: « Fecisti nos ad te; et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te ».

vae et turpes, Deoque omnino indignae extiterint, semper tamen et ubique divinitati sunt tributae. Accedit. *c*) *testimonium peregrinorum*. Verum equidem est nonnullos exploratores, linguarum morumque populorum imperitos, testatos fuisse de atheismo aliquarum nationum, sed illorum inconsulta opinio eversa est testimonio aliorum qui, apud eosdem populos diu morati, fastis et consuetudinibus eorumdem accurato examini subiectis, uno ore conclamarunt ne unam quidem haberi nationem, quamtumvis exiguam et barbaram, quae deos suos non colat. Ex antiquis adduci solent PLUTARCUS, qui scribebat : « Facilius urbem condi sine solo posse puto, quam, religione et Diis penitus sublatis, civitatem coire aut constare »[10], et CICERO, cuius notissima sunt verba : « Sua cuique civitati religio est; Deum quippe *natura* venerari novit »[11]. Ex modernis conferri possunt KOLBE, COOCH, VANCOVER, WOLF, FRANKLIN, PARUS, FABRICIO, MASSAIA, SEHIUSE, STANLEY, EMIN et alios quos citat PUCCINI [12] concludens cum VOLTAIRE : « Ubicumque est societas ibi et religionem inveniri necesse est »[13]. Atqui universale hoc populorum testimonium habere vim probandi existentiam, imo et necessitatem religionis constat ex generali principio quod consensus omnium probat esse rem [14].

37. **Secunda pars.** *Societas tenetur religionem profiteri.* Repetenda sunt argumenta pro altera parte proposita. **Argum. 1.** *Ex Deo auctore.* Nam societas est *ens rationale* tum quia constat hominibus, cum quia regitur ratione et voluntate : atqui totius entis auctor est Deus, qui hominis perfectionem in societate constituens ipsum ad societatem ordinavit, sicque jecit prima societatis fundamenta : ergo. Nonne insuper multitudo auctoritate regitur? Si ergo qui auctoritate potiuntur reduplicative qua tales (h. e. ut superiores), Deum colere tenentur, profecto et multitudo, quae tali regitur auctoritate, tenetur profiteri religionem : atqui superiores qua tales Deum colere tenentur, quia *non est potestas nisi a Deo* [15], a quo proinde superiores uti a causa pendent [16] : ergo. **Argum. 2.** *Ex Deo ultimo fine.* Licet enim societatis civilis finis

---

[10] PLUTAR. *Adv. Colot. epicur.;* JULIAN. epist. ad *Heracl.*

[11] CICERO *Oratio pro Flacco.*

[12] PUCCINI *Il sopran. e la scienza.*

[13] VOLTAIRE *Trat. della tolleranza* c. 20.

[14] Cf. C. MAZZELLA *De relig.* n. 20-9.

[15] Rom. **13**. 1.

[16] Cf. BILLOT *De Eccl.* p. III p. 12.

proximus sit subditorum pax et prosperitas temporalis, hoc tamen bonum, utpote participatum, tendit natura sua in Deum *ultimum* finem: Deo ergo societas subiici debet. **Argum. 3.** *Ex Deo ente nobilissimo.* Nam societas reduplicative accepta est Deo inferior; Deum ergo revereri tenetur. **Argum. 4.** *Ex populorum consensu.* Testimonia enim, quae dedimus, non singula solum respiciunt individua, sed praeprimis societates quorum sunt sacrificia et ceterae cultus publici caeremoniae. « Vetat igitur iustitia, vetat ratio atheam esse, vel, quod in atheismum recideret, erga varias, ut loquuntur, religiones pari modo affectam civitatem, eamque singulis iura promiscue largiri »[17].

38. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Ad inutilia nemo tenetur: atqui nostra obsequia sunt inutilia Deo: ergo non sunt ei praestanda. **Resp.** *Dist. min.* Sunt inutilia in quantum his Deus non indiget nec perficitur, *conc.;* in quantum his non honoratur, *neg.* Distinguendum profecto est inter gloriam et perfectionem intrinsecam Dei eiusque extrinsecam glorificationem: illam a nobis non accipit, cum in se sit infinite perfectus, hanc non tantum potest accipere, sed absolute vult secundum illud ISAI.: *in gloriam meam creavi eum, formavi eum et feci eum*[18]; *gloriam meam alteri non dabo*[19].

39. **Obiic. 2.** Indecorum est Deo infinito finita obsequia praestare: atqui religionis obsequia sunt finita: ergo. **Resp.:** Est indecorum praestare Deo obsequia, quae non solum entitative sed et terminative sint finita *conc.;* quae solum entitative sint finita *subd.:* ab ente infinito *trans.,* a finito *neg.* Difficultas verbis ludit; quamvis enim obsequia quae religione praestantur Deo sint in se finita, talia tamen sunt ut nulli creaturae praeberi possint; vel, si tribuuntur[20], identitas *materialis* tantum est, non *formalis;* siquidem obsequium interius, quod externo signo manifestatur, est aliud. Deus insuper colitur *sacrificio,* quod nulli creaturae offertur.

40. **Obiic. 3.** Homo suapte natura est liber seu independens: atqui religio libertati vincula iniicit: ergo est contra naturam ideoque falsa. **Resp.** Homo est liber in ordine physico *conc.,* in ordine morali *subd.:* circa ea, quae naturalibus vel positivis legibus nec praecipiuntur nec prohibentur, *conc.* in omnibus *neg.* Quam absurdum sit hoc mo-

---

[17] LEO XIII Enc. *Libertas.*

[18] Isai. **43.** 7.

[19] Isai. **42.** 8. Cf. S. THOM. 2-2 q. 81 a. 7.

[20] V. g. cum coram rege caput aperitur vel genuflectitur.

ralis independentiae principium, quod passim invocant rationalistae, non solum *a*) manifestat perpetua contradictio, qua illi suas opiniones aliis imponere volunt, sed *b*) etiam conscientiae testimonium, quo *possibile* a *licito* apprime quisquis distinguit atque *vim* a *iure* discernit : imo *c*) tantum abest, ut libertas morali obligationi repugnet, quod potius a recta ratione exigitur. « Nihil, inquit LEO XIII, tam perversum praeposterumque dici cogitarive posset quam illud, hominem, quia natura liber est, idcirco esse oportere legis expertem : quod si ita esset, hoc profecto consequeretur, necesse ad libertatem non cohaerere cum ratione : cum contra longe verissimum sit, idcirco legi oportere subesse, quia est natura liber »[21].

41. **Obiic. 4.** Quae sunt ordinis religiosi ad Ecclesiam pertinent : ergo status, qua talis, areligiosus esse debet. **Resp.** Spectat ad Ecclesiam determinatio cultus *conc.*, ad ipsam solam spectat cultus exercitium, *neg.* Ecclesia uti societas perfecta et superior iure proprio et independenti *iudicare* debet de iis, quae ad cultum Dei spectant ; Status vero non secus a privatis personis Ecclesiae subjicitur in his quae sunt ad Deum, unde sub Ecclesiae ductu debitum honorem Deo rependere debet, religiosamque societatem pro viribus adiuvare.

THES. 4. *Religionis professio perutilis est — 1 homini individuo — 2 imo et societati.*

42. **Prima pars.** *Homini privato utilis est religio.* Religionis convenientia pro individuo sumitur ex parte intellectus qui *veritatem* quaerit et ex parte voluntatis quae ad *bonum morale* et ad *felicitatem* tendit. **1. Argum.** Profecto mens non quiescit quousque rerum causam suique principium non invenit : atqui omnium causa et hominis principium est Deus : ergo hominis perfectio exigit notitiam existentiae veri et summi Dei : atqui notitiam Dei logice religio consequitur : ergo hominis perfectio in religione fundatur. **2. Argum.** Licet corrupta nostra natura in vetitum tendat, perfectio tamen hominis in exercitio virtutum consistit : atqui sine Deo et religione virtutum exercitium non datur : ergo. Et PROB. MINOR. : nam exercitium virtutum supponit indeclinabilem regulam honestatis et motivum efficax atque universale retrahens a malo et in bonum promovens : atqui, religione abiecta, nulla est *indefectibilis honestatis regula*, quae profecto non est *ratio* non valens seipsam ligare, nec *rerum exigentia* quae forte suadere poterit non praecipere, sed est ens homini superius, nempe Deus, cuius existentia religionis necessitatem inducit : item, religione sublata,

[21] LEO XIII Enc. *Libertas.*

nullum manet *motivum universale* et *efficax* moralitatis, quo in quovis vitae discrimine homo a malo removeatur; huiusmodi enim motivum non est nisi supremus remunerator bonorum operum scelerumque vindex incorruptibilis, omniscius et omnipotens, qui profecto solus est Deus [22]: ergo. **3. Argum.** Sumitur ex appetitu felicitatis, quem divitiae, voluptates, honores non explent. Tam est manifestum in hac lacrymarum valle *unam* esse pro malis remedium *spem futurae vitae,* quod increduli, religionis effectus in alios spectantes, saepius ingemiscant: *Utinam credere ex animo possem!* Atqui iterum atque iterum futura vita et aeterna gloria existentiam Dei supponunt ac religionem expostulant. Ergo [23].

43. **Secunda pars.** *Etiam societati utilis est religio.* **Argum. 1.** Nam societas, ut *bene sit,* eget profecto legibus eorumque sanctione: atqui sine Deo nulla est lex humana, quae ens participatum ab ente per essentiam (Deo) pendet; nec sufficiens adest sanctio, quae delictis occultis infligi queat: ergo humana societas, qua talis, expostulat Dei existentiam quam, ut millies diximus, religionis officia sequuntur. **Argum. 2.** Accedit prosperitatem societatis provenire ex privatorum virtutibus et tranquillitate: atqui sine religione haec vana sunt nomina: ergo societas debet subditorum religionem fovere, quod cultus publici exercitio seu sociali religionis professione obtinet. **Confirmatur** *omnium consensu.* Una est enim antiquorum sapientium sententia cum PLATONE conclamantium quod « omnis humanae societatis fundamentum convellit qui religionem convellit »[24], atque recentiorum cum WASHINGTON dicentium quod « enervatur moralitas, cum primo a religione seiungitur »[25]. Hinc veteres legumlatores, uti PYTHAGORAS, SOLON, LYCURGUS, ANACHARSIS etc. civilem societatem supra religionis fundamentum erexerunt [26].

[22] RATIONALISTAE moralitatis radicem quaesiere in *conscientiae stimulo,* in *virtutis pulchritudine* et *laetitia,* in *timore poenarum* in sensu *honoris, honestatis,* etc.; MODERNISTAE in *voluptate* vel *utilitate* (supra n. 26) vel *voluntatis imperio* (DOM. BASSI *La religione interna*); sed motiva haec esse vana docet experientia, et ratio convincit manifestans ea vel *ineffica-cia* esse ad finem maxime in aestu passionum, vel rudibus *inepta,* vel, negata existentia Dei, omni *robore destitui.* De his agit *ethica.* Cf. MEYER *Ins. iur. nat.* I n. 153-188.

[23] Cf. TANQUEREY *De Ver. Relig.* c. 1; BOUGAUD *Il Cristianesimo ed i tempi presenti;* H. MAZZELLA I n. 12 sqq.; JANSSENS I p. 169-71.

[24] PLATO *De Legibus* I n. 10.

[25] WASHINGTON Oratio habita in conventu nationali 1796.

[26] Cf. PUCCINI *Il soprannaturale e la scienza* I c. 6.

Artic. 4 - De religionis unicitate.

44. **Status quaestionis.** Contra indifferentismum absolutum statuimus necessitatem et utilitatem religionis pro individuo et societate; sed sufficitne cujusvis religionis professio? vel potius *unam* omnes profiteri tenentur? Societas potestne saltem aliquando passive se habere in religionis determinatione vel professione? En quaestiones solvendae.

45. **Errores — Veritas.** Religionis unitati contradicit *indifferentismus relativus* quorumdam Theistarum, qui, Tindal in Anglia et Rousseau in Gallia patronos nacti, docuerunt quamlibet religionem esse bonam et utilem ad salutem [1]. Duplex autem est indifferentismus relativus *universalis* et *particularis:* ille praedicat indifferentiam omnium religionum, hic quarumdam, puta earum quae christiano nomine donantur. Addendi sunt Rationalistae illi et Modernistae qui, veritatem tantum *relativam* agnoscentes et indefinitum progressum humanitatis somniantes, dixerunt omnes religiones esse *respective bonas* et *veras,* prout nempe respondent aetatis et populi perfectioni [2]. Quod in ordine speculativo dicitur indifferentismus, in practico [3] *tolerantismum* seu *tolerantiam religiosam* audit, quae in *dogmaticam* et *civilem* dispescitur, prout aequalitatem religionum expresse *docet* vel *actu* profitetur omnibus aequalia iura cultus publici externi concedendo. Porro indifferentismus et tolerantismus est *privatus* si aequalitas religionum vindicatur pro individuo, *socialis* si tollerantia religiosa exposcitur pro civili societate. **Veritas** constat imprimis ex haereticorum condemnatione; frustra enim damnarentur haeretici, si in eorum secta aeterna salus assequi posset. *Formaliter* proposita est a Conc. Lat. IV: « *Una* est fidelium universalis Ecclesia, *extra quam* nullus omnino salvatur »[4]. *Latitudinarismum* sive privatum sive socialem proscripsit Pius IX [5] et iterum damnavit Leo XIII [6], qui insuper iustos fines *permissivae tolerantiae religiosae* accurate signavit.

---

[1] G. Giordano *Teosofia* Hoëpli 1907 p. 9-10.

[2] Scherer *Mélanges de critique religieuse;* Modernistae in Enc. *Pascendi; Il Programma* p. 117 « Diciamo che i rapporti fra le forme religiose attuali e passate di fronte alla confessione cristiana sono... di rapporto fra il meno perfetto e il perfetto ».

[3] Hugonin *Le droit ancien et le droit nouveau.*

[4] Conc. Lat. *Firmiter.*

[5] Pius IX *Syll.* prop. 15-18; 77-79

[6] Leo XIII Enc. *Libertas* 1888.

THES. 5. 1 *Una est vera religio, — quam* 2 *privati homines — ac* 3 *ipsa societas profiteri tenentur.*

46. **Prima pars.** *Una est vera religio.* **Argum.** Cum religio sit voluntaria hominis dependentia a Deo, ad religionem tria concurrunt: *Deus* honorandus (*terminus* cultus), *homo* qui colit (*subiectum* cultus), et *relatio dependentiae,* quae naturam et modum obsequii determinat (*fundamentum* cultus): atqui in his omnibus adest unitas, ergo una est religio. PROB. MIN. Et imprimis unitas agnoscenda est in *termino* quia, ut in tractatu *De Deo* ostendemus, ratio et fides docent quod *Dominus ipse est Deus et non est alius praeter eum*[7]: est unitas ex parte *subiecti,* quia in tractatu *De Homine* videbimus quod Deus *fecit ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae*[8]: est unitas ex parte *fundamenti,* quia dependentia hominis a Deo in ordine naturali radicatur in *creatione,* in supernaturali in *elevatione* ad supernaturalem finem, utraque vero aequalis est pro omnibus, secundum illud APOSTOLI: *Unus Deus* (in ordine naturali), *unus et mediator Dei et hominum* (in ordine supernaturali), *homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*[9]. **Argum. 2.** Contradictoria non possunt esse simul vera: atqui religiones diversae in ordine speculativo (dogmatibus) non minus quam in practico (moralibus praeceptis) sibi invicem contradicunt: ergo una est vera religio. PROB. MINOR. Sane *Polytheismus* pluralitatem deorum, *Monotheismus* divinitatis unitatem docet; *Iudaismus* expectat Messiam, quem advenisse fatentur Christiani; *Haeretici* Trinitatem Personarum in Deo, vel unitatem personae et dualitatem naturarum in Christo, vel Immaculatam conceptionem B. M. V., vel Romani Pontificis primatum et infallibile magisterium, vel hominis libertatem et divinae gratiae necessitatem, vel alias revelatas veritates negant, quas catholici toto corde credunt et uno ore confitentur. In ordine practico *Montanistae* impugnant matrimonium, quod Ecclesia approbat, et vicissim multa vetat *Ecclesia catholica* in materia castitatis, iustitiae et charitatis, quae a paganis et ab haereticis permittuntur. Est ergo inter religiones aperta pugna[10].

---

[7] Deut. **4**. 35.
[8] Act. **17**. 26.
[9] 1 Tim. **2**. 5.
[10] Cf. C. MAZZELLA n. 68 sqq.

47. **Secunda pars.** *Omnes unam tenentur amplecti religionem.* **Argum. 1.** Nam datur obligatio amplectendi religionem: atqui obligatio amplectendi falsum vel turpe non datur: ergo est obligatio amplectendi *veram* religionem: atqui, ut modo probavimus, religio vera est *una* tantum. Ergo. **Argum. 2.** Repugnat divinae *veracitati* cultum falsum permittere, divinae *sanctitati* turpia praecipere, divinae *sapientiae* homines solvere ab onere credendi quae revelata et sufficienter proposita sunt: atqui aliquid impium, turpe vel falsum semper contingit in professione falsarum religionum: ergo. **Argum. 3.** Eatenus foret licita pluralitas religionum, quatenus esset impossibilis cognitio verae, vel ipsa religio in se foret mutabilis; atqui primum contradicit *veracitati* facultatum nostrarum et detrahit *providentiae* Dei, quae in necessariis non déficit; alterum supponit *mutabilitatem relationum* Deum inter et hominem, quam supra improbavimus: ergo [11].

48. **Tertia pars.** *Etiam status tenetur unam religionem profiteri.* **Argum. 1.** Nam onus profitendi religionem non potest esse genericum sed individuum; quia ergo in concreto una tantum est vera religio, hanc status, qui, ut vidimus, tenetur religionem amplecti, profiteri debet. **2. Argum.** Status, ut diximus, tenetur cultu publico privatum fovere atque subditos ad verae religionis professionem inducere: atqui subditorum vera religio est una: ergo [12].

49. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Ubi est diversus modus colendi Deum, ibi est diversa religio. Atqui salva religionis veritate alius fuit modus colendi Deum in oeconomia Patriarcali et Mosaica, alius in Christi Ecclesia, in qua insuper diversimode Deus honoratur a laicis et a clericis, a saecularibus et a monachis, a coniugatis et a virginibus, etc. Ergo. **Resp.** *Dist. mai.* Est diversitas religionis si differentia officiorum respicit officia absoluta vel saltem generalia *conc.*, si respicit officia tantum hypothetica et particularia *neg.*, vel *subd.*: est accidentalis quaedam diversitas, quae sine contradictione *respective* ad unam religionem obligat, *conc.*, aliter *nego*. Cum religio fundetur in relatione hominis ad Deum, secundum diversum modum, quo homo se habet ad Deum, aestimanda est pluralitas religionum. Jamvero relationum huiusmodi quaedam sunt antecedentia ad omnem

---

[11] Cf. C. MAZZELLA n. 75 sqq. [12] Cf. C. MAZZELLA n. 79-81.

factum positivum et procedunt ab essentiis rerum fundantque *obsequia absoluta* [13], quaedam consequuntur factum aliquod divinum vel humanum [14] et radicant *obsequia hypothetica,* quae scil. hypothesim alicuius facti supponunt. Circa prima precepta nulla esse potest diversitas religionum; quoad alia distinguendum est, siquidem *hypothesis* potest respicere *omnes homines* [15] vel *quosdam* tantum, et hoc vel ratione *temporum* vel ratione *locorum* vel ratione *individui.* Hypothesis *universalis* afficit quodammodo essentiam religionis, unde communis est omni verae religioni, ceterae sunt secundariae ac proinde *unitatem religionis* non impetunt, etsi pro diversitate adiunctorum mutent numerum et qualitatem obsequiorum. Hoc sensu religio *patriarcalis, mosaica* et *christiana* non sunt tres religiones sed una religio, quia eadem sunt obsequia absoluta et hypothetica generalia. Inde tamen non sequitur has tres *formas* unius religionis esse *simul veras* ac indifferenter amplectendas; eo ipso enim quod secundaria differentia verae religionis pendent a specialibus circumstantiis temporum, locorum, vel personarum, respectu habito ad tempora, loca et personas pro individuo vel societate *una* semper est vera religio. Hinc ante Moysen Deus colendus erat religione *Patriarcali,* a Moyse usque ad Christum religio *Mosaica* cum suis praeceptis caeremonialibus unica fuit pro populo iudaico; cum vero evangelica veritas illucescens umbram V. T. fugavit [16], atque, medio pariete maceriae soluto, unicum populum Dei effecit [17], religio *Christiana* una pro omnibus constituta est vera religio. — Quae de triplici statu unius religionis dicta sunt, a fortiori valent de peculiaribus obligationibus ex particulari conditione uniuscuiusque provenientibus; non enim pertinent ad religionis obsequia absoluta et universalia, sed ex particularibus factis et circumstantiis concluduntur.

50. **Obiic. 2.** Diversitas religionum resolvitur in simplici differentia *signorum,* quibus divinitas honoratur: atqui Deus scrutator est cordium; modo ergo recta sit intentio, diversitas religionum non officit. **Resp.** Neg. *mai.* et *concl.* Nam religionum diversitas non est tantum in exterioritatibus cultus, sed maxime in intellectu et voluntate quibus dogmata creduntur et praecepta implentur. Ceterum pro lubito mutari nequeunt signa, quae publica vel divina auctoritate sunt statuta ad interiorem cultum manifestandum.

51. **Obiic. 3.** Juxta Patres iudaei et ipsi ethnici fuerunt christia-

---

[13] V. g. quod homo Deum cognoscat et revereatur.

[14] V. g. revelationem, positivum praeceptum, votum, etc.

[15] V. g. elevationem ad finem supernaturalem.

[16] Hebr. **10.** 1.

[17] Ephes. **2.** 13-7.

ni [18]: ergo saltem *respective* omnes fuerunt in vera religione. **Resp.** Patres non docent ethnicos fuisse *simpliciter* christianos vel saltem in *vera religione,* ab idolorum enim cultu omnino abhorrent et saepe paganorum impietatem et nequitiam insectantur; sed docent ethnicos habuisse naturalia principia quibus ad veram religionem rationis ductu et gratiae auxilio poterant venire, atque cognovisse nonnullas veritates quae ad christianos *iure* pertinent, quia procedentes ab eorum Deo [19].

52. **Obiic. 4.** Status conformari debet subditis, quos repraesentat; cum ergo hi diversam religionem sequuntur, vel maiori parte falsae adhaerent, status indifferentem se habere debet in quaestione religiosa. **Resp.** *Dist. mai.* conformari debet in iis, quae in subditorum voluntate sunt posita, *conc.* vel *trans.,* etiam in iis, quae Dei sunt, *neg.;* nam *obedire oportet Deo magis quam hominibus* [20]. An vero et quomodo tolerari possint falsae religiones infra declarabitur.

THES. 6. *Civilis tolerantia falsae religionis — 1 per se loquendo est mala — 2 et opposita vero societatis bono; — 3 aliquando tamen ad maiora mala praecavenda vel meliora bona obtinenda licita est.*

53. **Prima pars.** *Civilis tolerantia falsae religionis per se est mala.* Sequitur ex praedictis: qui enim tenetur veram religionem profiteri, ad falsas indifferenter se habere non potest; *quae enim participatio iustitiae cum iniquitate?... quae autem conventio Christi ad Belial? aut quae pars fideli cum infideli?* [21]. Sicut autem status falsam religionem profiteri non debet, sic nec aliis permittere potest; bonum enim est diffusivum sui, et ideo, qui veram religionem possidet, naturali veluti pondere debet alteri communicare. Nonne insuper amor Dei, qui a religione praecipitur, requirit ut eius gloria promoveatur, ac proinde et apud alios eius notitia et cultus foveatur? Adde corruptionis et apostasiae pericula quae ex haereticorum et infidelium societate imminent, et facile dabis religiosam tolerantiam per se esse malam ac proinde amovendam. Porro quae de individuo diximus, a fortiori concludunt pro societate, quae in subditis veram religionem fovere ex civili iustitia et non ex sola charitate tenetur.

54. **Secunda pars.** *Civilis tolerantia falsae religionis per se*

---

[18] MODERNISTAE in *Il Programma* p. 118-9 citant IUST. M. *Apol.* 1 et 2; ATHEN. *Apol.* n. 7; CLEM. *Strom.* I 5; 17; V 13; VI 8-9; AUG., ANSEL. etc.

[19] Hoc sat clare apparet ex testimoniis obiectis maxime vero ex collatione totius doctrinae.

[20] Act. **5**. 29.

[21] 2 Corinth. **6**. 14-5.

societatis bono nocet. **Argum. 1.** Prima ratio sumenda est *ex regula divinae iustitiae,* quae in hac quoque vita peccata publica et maxime apostasiam publicis calamitatibus punit. Profecto non solum in ordine spirituali, sed in temporali quoque, verum est quod *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat, Deus* [22], et *nisi Dominus custodierit civitatem frustra vigilat qui custodit eam* [23]. Ut ergo evitentur mala, quae Deus per Moysen comminatus est iis qui deos alienos sequuntur [24], et idololatris iudaeis inflixit [25], debet status falsas religiones impedire. **Argum. 2.** Idem evincitur *ab intrinseco.* Cum enim naturaliter unusquisque velit suam religionem aliis communicare, (tum ex naturali instinctu alios trahendi in propriam sententiam, tum ne pravis aliorum exemplis a recta via aliquando ipsemet declinet, tum denique quia religiosis principiis conformantur mores et sociales relationes), profecto ex varietate religionum pax et tranquillitas societatis periclitantur, divisiones et odia foventur, atque bellum civile paratur, ut experientia docet. Hinc viri ipsi politici fassi sunt unitatem religionis ad verum societatis bonum conducere, ut videre est apud BERGIER [26], qui philosophorum omnium nationum testimonia collegit.

55. **Tertia pars.** *Aliquando civilis tolerantia licet.* « Humanum regimen, inquit S. THOM., derivatur a divino regimine, et ipsum debet imitari. Deus autem quamvis sit omnipotens et summe bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in universo, quae prohibere posset [27]; ne eis sublatis, maiora bona tollerentur, vel etiam peiora mala sequerentur. Sic ergo et in regimine humano illi, qui praesunt, recte aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala peiora incurrantur »[28]. *Bonum* civili tolerantia assequendum est malorum conversio, *malum* vitandum est societatis perturbatio. Non tamen quaelibet spes conversionis malorum vel quilibet perturbationum timor legitimare potest civilem

---

[22] 1 Corinth. **3.** 7.

[23] Ps. **126.** 1.

[24] Cf. Deut. **4.** 1; 40; **6.** 14 sqq.; **7.** 11 sqq.

[25] Cf. Josue **2.** 11 sqq.; **3.** 6 sqq.

[26] BERGIER *Dict. theol.* v. Tollerance; TAPARELLI *Dirit. nat.* I Diss. 4 c. 1; C. MAZZELLA n. 78.

[27] S. BONAV. assignat permissionis malorum 4 causas: *a*) correctionem malorum, *b*) bonorum exercitationem, *c*) bonorum associationem, et *d*) malorum punitionem: quod patet etiam ex Rom. **1.** 26 et 2 Thess. **2.** 10-12.

[28] S. THOM. 2-2 q. 10 a. 11.

tolerantiam religiosam, etenim « tolerantia rerum malorum pertinet ad politicae praecepta prudentiae atque ideo omnino circumscribi iis finibus oportet, quos caussa, idest salus publica, postulat »[29]. Quia vero iudicium de gravitate causae difficile est, nec iuris civilis; hinc, iuxta Ecclesiae statuta, nihil, inconsulto Pontifice, a catholicis guberniis hac de re est decernendum [30].

56. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Bonum est tolerare aliorum opiniones; ergo et religiones. **Resp.** *Neg. suppositum,* nam religio non est *opinio,* sed doctrina certa et necessaria tum subiective, cum obiective.

57. **Obiic. 2.** Tolerantia religiosa disputationes fovet ex quibus veritas illustratur. Ergo est res bona. **Resp.** Iterum *neg. suppositum.* Etsi enim *per se loquendo* verum falso praevaleat, sicut lux tenebras fugat, *per accidens* tamen ob errantium facundiam et audaciam atque passionum illecebras veritas saepe cedit errori. Hinc disputatio in re dubia iuvat, in re certa periculosa et noxia est. Quis prudens pater filiam innocentem in manu corruptorum tradit, ut inde eius virtus novis fulgoribus splendeat?

58. **Obiic. 3.** Si societas civilis christiana alias religiones impedire deberet, heterodoxae, quae veras se existimant, deberent catholicam religionem impugnare: atqui hoc absonum est: ergo. **Resp.** *Neg. maiorem;* non enim sunt paria iura *veri* et *falsi,* sicut nec boni et mali. Per accidens utique aliquo tempore vera religio impugnari sine culpa poterit, sed tandem rationis lumine et gratia Dei, veritas fidei inquirenti apparebit; « etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adiuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur. Quocirco minime par est conditio eorum, qui per coeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam umquam habere possunt iustam causam mutandi, aut in dubium fidem eamdem revocandi »[31].

59. **COROLLARIUM. Sacrae Inquisitionis legitimitas.** Profecto qui vult finem, a mediis necessariis abstinere non potest; atqui status debet unitatem religiosam promovere, quae haereticorum tolerantia evertitur; ergo debet haereticos a societate expellere,

---

[29] LEO XIII Enc. *Libertas.*

[30] TARQUINI *Jur. Eccl. publ. Inst.* I. c. 1 a. 2 prop. 3.

[31] CONC. VATIC. *Dei Filius* c. 3.

quod sine iudicio et poenis non obtinetur : atqui iudicare et punire haereticos munus fuit sacrae inquisitionis : ergo. Quod vero attinet ad modum, quo sacra Inquisitio munus suum exercuit, nota imprimis cum TAPARELLI [32] *vitia hominum* iniuste tribui institutioni, dein observa atrocitates non a tribunali religioso, sed a civili *iuxta civiles leges* patratas esse, imo RR. PP. saepe *conquestos esse* de nimio rigore quorumdam tribunalium maxime Hispaniae, uti videre est in actibus Gregorii IX (1227), Innocentii IV (1243), Clementis IV (1265), Bonifacii VIII (1294), Clementis V (1305), Sixti IV (1471), Innocentii VIII (1484). Ceterum, factis ad iustos fines redactis, poenae utut graves haereticis inflictae *a*) consonabant moribus legibusque temporum, de quorum merito iudicium, etiam nunc difficile, Inquisitioni non est demandatum : *b*) minores fuerunt illis quae ab haereticis inflictae sunt catholicis : nec *c*) improportionatae immanitati criminum quae perturbationes bellaque civilia fovebant [33]. Neque obiicias religionem non esse *imponendam,* sed libere *suscipiendam;* siquidem sacra Inquisitio non est instituta ad fidem apud ethnicos propagandam, sed apud christianos tuendam tam in individuo quam in societate, quibus verae religionis professio, si *physice* est libera, *moraliter* est necessaria. « Sicut vovere, inquit S. THOM., est voluntatis, reddere autem necessitatis; ita accipere fidem est voluntatis, sed tenere eam est necessitatis. Et ideo haeretici compellendi sunt ut teneant fidem »[34].

CAPUT II.

De Revelatione.

60. **Quaestionis ratio.** Datur vera religio et quidem una pro omnibus. Sed quae? Estne naturalis vel supernaturalis? Et si supernaturalis, quomodo agnoscitur? His quaestionibus modo occurrendum est; sed in primis de ipso revelationis conceptu necnon de eius possibilitate imo et necessitate agendum, eo clarius quo inauditis conatibus a fidei osoribus supernaturalitas religionis impugnatur.

---

[32] TAPARELLI *Dirit. nat.* I Diss. 4 not.

[33] Cf. BALMES *Il protest. parag. al cattol.* II in fine; CANET *La Liberté de conscience* III ch. 1 § 6.

[34] S. THOM. 2-2 q. 10 a. 8; H. MAZZELLA n. 73 sqq.; HURTER I 321-2 maxime in notis.

Artic. 1 - De revelationis possibilitate.

61. **Quid revelatio.** Secundum nomen *revelatio* sonat *remotionem veli,* quia itaque verum, cum ignoratur, est nobis quasi velo obvolutum, revelatio veritatis est eius manifestatio, quae fieri potest infusione luminis, quo videtur (*revelatio subiectiva*), vel explicatione rei eiusque rationum (*revelatio obiectiva*). Porro veritatis manifestatio esse potest ab homine vel a Deo; hinc revelatio *humana* et *divina.* De divina revelatione agendum est, quae iterum dispescitur in *naturalem* et *supernaturalem:* illa consistit in creaturarum productione (*revelatio obiectiva*) et mentis nostrae effectione (*revelatio subiectiva*), quo sensu Apostolus dixit Deum *manifestasse* seipsum, quia *invisibilia eius a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur*[1]; haec consistit in supernaturali operatione qua Deus praeter rerum ordinem per semetipsum manifestat aliquam veritatem, sive simplici mentis illustratione, ut in opere gratiae actualis, sive vera et proprie dicta locutione, qua Deus rem occultam ita patefacit ut simul manifestet se talis cognitionis esse auctorem. De hac ultima manifestatione veritatis agimus, unde revelationem definimus: *manifestationem rei occultae a Deo factam per veram et proprie dictam locutionem.*

62. **Divinae revelationis divisiones.** Praecipuae divisiones revelationis sumuntur ex parte *Dei revelantis,* ex parte *rei manifestatae* et ex parte *modi* quo res manifestata attingitur. Secundum primum datur revelatio *immediata* et *mediata;* illa habetur cum Deus, nullo interposito nuncio, per se aliquid manifestat, ut v. g. cum Moysi Legem tradidit et Apostolis locutus est in Filio; haec contingit cum Deus revelationem iam factam per homines ad alios deducit, quod fit nobiscum qui per successores Apostolorum fidem accepimus. — Ex parte rei manifestatae revelatio dispescitur in supernaturalem *per se* et *per accidens,* vel, si praeplacet, *quoad substantiam* et *quoad modum.* Revelatio supernaturalis *per se* vel *quoad substantiam* est manifestatio veritatum « quae humanae mentis intelligentiam omnino superant »[2], supernaturalis *per accidens* vel *quoad modum* est manifestatio veritatum « quae in rebus divinis humanae rationi impervia non sunt », attamen Deus revelavit

---

[1] Rom. 1. 19-20.

[2] Conc. Vatic *Dei Filius* cp. 2.

ut « in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint »[3]. — Quoad modum, quo res manifestatur, revelatio esse potest *per somnium*[4] et per *visionem,* quae dicitur *externa, phantastica* vel *intellectualis,* prout Deus veritatem externis signis et rebus ostendit vel sensibus internis imprimit infundendo species phantasticas, vel tandem menti directe manifestat intellectualibus formis[5].

63. **Quid mysterium.** Mysterium (graece μυστήριον) sonat *rem occultam;* quanto magis ergo veritas est impervia menti, eo pressius est mysterium. Atqui aliquid mentis aciem effugere potest per accidens et per se; *per accidens* aliquid intelligi nequit tripliciter, scil. primo ex *defectu considerationis et culturae,* ut matheseos theoremata a rudi agricola, secundo ex *defectu instrumenti* (vel alicuius huiusmodi), quo sensu multa mysteria habet natura et occultus est stellarum numerus, tertio ex *defectu propositionis,* quo modo ignoramus secreta cordium. *Per se* intelligi nequit quod vel *ex improportione obiecti* (v. g. divina essentia) vel *ex defectu medii* (v. g. futurum contingens) est absolute inscrutabile, etsi coniecturaliter possit suspicari vel analogice percipi. Porro illud quod *per se* est occultum praeterire potest capacitatem nostri intellectus quoad *essentiam* tantum (v. g. quid sit in Deo bonitas), vel quoad *existentiam* tantum (v. g. futurum contingens, primatum R. P. etc.), vel *quoad utrumque* (v. g. Trinitas divinarum personarum). Mysteria *stricte sumpta* sunt veritates quae quoad essentiam simul et existentiam « suapte natura (h. e. *per se*) intellectum creatum sic excedunt, (ut) nisi revelata divinitus, innotescere non possint », quaeque « revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta, et quadam quasi caligine obvoluta manent »[6].

64. **Mysterium incomprehensibile non inintelligibile.** *Inintelligibile* proprie est illud quod ab intellectu nullo modo apprehendi potest, ut v. g. circulus quadratus; *incomprehensibile* quod non totaliter intelligitur vel saltem non percipitur secundum propriam rationem. Mysteria ante revelationem sunt inintelligibilia, sed, revelatione facta,

---

[3] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 2.

[4] Cf. Num. **12.** 6 sqq.; Dan. **7.** 1 sqq.

[5] Cf. S. THOM. 2-2 q. 173 a. 2; CORNELY *Intr. in S. Script.* Diss. VI § 3 n. 3.

[6] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 4.

sunt tantum incomprehensibilia; licet enim *quomodo* in se existant non cognoscantur, tamen *quod* sint, utique percipitur analogica quadam et negativa cognitione. Sicut caecus colores agnoscit, licet non comprehendat; ita et nos cognoscendo quid sit *natura*, quid *persona* in creatis, revelatione facta, scimus Deum esse *unum in essentia et trinum in personis*, licet divinae unitatis et trinitatis modum comprehendere non valeamus.

65. **Naturalismi ratio et divisiones.** Error qui directe opponitur revelationi est *naturalismus* seu systema eorum qui praeter naturae cursum nihil possibile aestimant: dividi potest in *theismum, rationalismum* et *modernismum*. — **Theismus** ponit Deum personalem distinctum a mundo eiusque causam, huiusmodi tamen ut naturae cursum immutare non valeat, nec proinde supernaturaliter se manifestare vel homini loqui: in Anglia natus, in Galliam descendit cuius saevam perturbationem paravit: patronos habuit HOBBES († 1679), BAYLE († 1706), COLLINS († 1722), M. TINDAL († 1733), HUME († 1776), VOLTAIRE († 1778), ROUSSEAU († 1778), DE HOLBACH († 1784), LAMETTRIE († 1751), HELVETIUS († 1771) et DUPUIS († 1809). — **Rationalismus** theismi filius humanam rationem constituit supremum veritatis criterium, summumque religionis fontem ac iudicem, unde falsum habet quidquid humanae mentis aciem effugit: non negat revelationis nomen, sed docet Deum revelasse creando mentem hominis atque praeclari ingenii viros excitando, qui ceteros doceant: dispescitur in rationalismum *philosophicum, biblicum* et *theologicum*. — A scepticismo CARTESII († 1650) et subiectivismo LOKE († 1704) et LEIBNITII († 1716), necnon a naturalismo WOLFII († 1754), **Rationalismus Philosophicus** patrem nactus est E. KANT († 1804), qui sua *critica rationis* omnem veritatem ademit cognitionibus, quae ex ipso rationis actu non procedunt. Sectatores plurimos habuit, qui tamen non eodem modo ex eius principiis concluserunt. Alii enim ad purum *idealismum* FICHTE († 1814), SCHELLING († 1854) et HEGEL († 1831), vel ad *eclecticismum* COUSIN († 1867), T. JOUFFROY († 1847), M. PH. DAMIRON († 1862) devenerunt; alii prius prolapsi sunt in *positivismum* et *materialismum* cum A. COMTE († 1857), STUART MILL († 1873), MOLESCHOTT († 1893), AUSONIO FRANCHI († 1895)[7], BROFFERIO etc., dein in *relativismum* seu *agnosticismum*, cui adhaeserunt E. LITTRE († 1881), H. SPENCER († 1903), RENOUVIER († 1905), WUNDT, NEGRI, CESCA, P. D'ERCOLE, C. CANTONI, etc. — Verum rationalismus manere non potuit in philosophicis disciplinis, trascendit ad res

[7] AUSONIO FRANCHI (Bonavino) ad unitatem fidei rediit et opere *L'ultima critica* suos errores non solum retractavit, sed et impugnavit.

fidei creando **Rationalismum Biblicum** qui omnia facta et dogmata Scripturae naturaliter explicare contendit. Adumbratus a MAIMONIDE († 1208) et propositus a SPINOZA († 1677), qui prophetas dixit viros vividioris phantasiae [8], patrem habuit I. SAL. SEMLER († 1791) qui, V. T. vix non ex integro reiecto, N. exposuit *accomodatione* dicendo Christum et Apostolos, ne contradicerent opinionibus suorum temporum, multa falsa veris miscuisse. Eum secutus est KANT († 1804) qui *authenticam interpretationem* invexit, ut omnia supernaturalia ad naturalia reduceret et H. E. G. PAULUS († 1851) qui explicatione *notiologico - philologica* seu *psychologica* miracula evangelica tribuit ineptae apprehensioni eventuum vel imperfectae relationi, qua circumstantiae explicativae factorum reticentur. Ex his ortus est *mythicismus biblicus,* qui realitatem ipsam factorum impugnat et personas ac res ad fictiones quasdam et parabolas revocat: hoc systema amplexi sunt I. G. EICHHORN († 1827), I. SEV. VATER († 1826), L. DE WETTE († 1849), DAVID F. STRAUSS († 1875), E. RENAN († 1892). Destructionis opus complevit schola *Neo-Tubingensium* seu schola *critica* sub magistro F. C. BAUR († 1860). Hic, quamvis daret non omnia Scripturarum facta esse mytha, eorum tamen historicam et dogmaticam auctoritatem alia via aggressus est. Christianismus hodiernus, dicebat, differt a primaeva doctrina; post Christum Ecclesia scissa est in duas partes, quarum altera cum Petro iudaizabat (*petrini*), altera cum Paulo legalia impugnabat (*paulini*): ne diutius maneret divisio, proposita est compositio, ad quam confirmandam sunt editae Scripturae. Hae igitur carent *genuinitate,* quia serius editae, et carent *veritate* quia non continent doctrinam Christi, sed opiniones duarum factionum: interpretis ergo Scripturae non est sensum dignoscere ex collatione codicum et testimoniorum contextu, sed arte critica verum a falso secernere ea expellendo, quae placitis alterutrius sectae debentur. Schola Baur patronos habuit EWALD († 1875), HITZIG († 1874), KNOBEL († 1863), GRAF († 1869), REUSS († 1891), et adhuc viget apud rationalistas hodiernos WELLHAUSEN, HARNACK, SABATIER etc., quorum conatus eo tendunt, ut sacri libri a suis auctoribus abiudicentur et scriptoribus saec. 2 vel etiam 3 (qui ex legendis derivarunt) attribuantur [9]. — **Rationalismum theologicum,** qui et vulgaris dicitur, proposuit TELLET († 1763), explicarunt WEGSHEIDER († 1849) et F. SCHLEIERMACHER († 1834) atque hodie patronos habet *scholae laicae* magistros. Huiusmodi systema docet indefinitum progressum religionis, quae e statu primitivo et embryonali (*feticismo*) paullatim ad *mono-*

[8] PESCH *De Insp. Sacr. Script.* n. 30 sqq.

[9] CORNELY *Introd. etc.* Diss. III § 18; VIGOUROUX *Manuale Bib.* I n. 224.

theismum pervenit, qui per Christum sapientissimum hominem ad magnum perfectionis gradum perductus est in religione christiana, quae tamen nondum omne tulit punctum, quia discipuli Christi, eius doctrinam non intelligentes, falsa et fabulosa puritati christianismi superaddiderunt, Christus vero debuit traditionibus et opinionibus temporis se accomodare atque plura ignoravit, quae nunc scientiarum progressu agnoscuntur. Theologia debet vera a falsis secernere incomprehensibilia respuendo, vel ita explicando ut nullum maneat mysteriorum et miraculorum vestigium. Ultimam rationalismi theologici formam proposuerunt HARNACH [10] et SABATIER [11] distinguentes inter christianismi *essentiam* et *historicam* eius expressionem. Christianismi essentia consistit in cognitione Dei uti *patris nostri;* « quidquid in christianismo est praeter hanc cognitionem et hoc sentimentum divinae Paternitatis est christianismo superadditum et rejiciendum : *a*) mysteria et praesertim mysterium SS. Trinitatis, *b*) Christi divinitas, incarnatio, redemptio, *c*) veritas miraculorum, *d*) Ecclesiae et sacerdotii institutio, *e*) legis observatio, *f*) fidei professio, *g*) sacramenta, vota religiosa, etc. »[12]. — Rationalismo accedit *Semirationalismus* qui non negat factum revelationis, sed revelationis factae supernaturalitatem, quatenus veritas, quae tempore revelationis menti erat impervia (quia termini propositionis ignorabantur et scientiae erant imperfectae), dein rationis progressu scrutari possit, imo et debeat. Semirationalismum docuerunt HERMES († 1831), ROSMINI († 1855), GÜNTHER († 1863) et FROHSCHAMMER, etc.[13]. — Ultimam naturalismi phasim exhibet **Modernismus** rationalismum renovans in sua triplici forma. Revera Modernistae renovant *rationalismum philosophicum* cum Huxley agnosticismum et subiectivum, ut vidimus, profitentes [14]. Renovant *rationalismum biblicum,* nam non agnoscunt inspirationem Scripturae [15], in qua « non obscura quadam voluptate in re quoque dogmatica errores contradictionesque reperire se palam dictitant »[16], denegant insuper eius obiectivam et histo-

[10] HARNACH *L'essenza del cristianesimo.*

[11] SABATIER *Esquisse d'une philosophie de la religion.*

[12] H. MAZZELLA I n. 102 .

[13] HERMES damnatus est a *Greg. XVI* brev. 26 Sept. 1835; GÜNTHER a *Pio IX* brev. 15 Jun. 1857 ad epis. Colon. et 30 Maî ad epis. Wratis.; FROHSCHAMMER a *Pio IX* brev. 11 Dec. 1862 ad epis. Monac.; ROSMINI a *Leone XIII* Decr. Cong. S. J. 14 Dec. 1887 prop. 25.

[14] Vide supra n. 19.

[15] Modernistis inspiratio est « vehementia, qua credens ad fidem suam verbo scriptove aperiendam adigitur » non secus ac contingit « in poëtica inspiratione ». PIUS X Enc. *Pascendi.*

[16] PIUS X Enc. *Pascendi;* DECR. *Lamentabili* pr. 23; *Il Programma* p. 35 sqq. 44 sqq.; LOISY *Études bibliques* 1901 etc.; SALV. DI BARTOLO *I Criteri teol.*

ricam veritatem [17], cum STRAUSS mythos legendasque in ea agnoscunt [18], mirabilia facta enarrata cum PAULO explicant ex scriptorum psycologicis dispositionibus et ex defiguratione et transformatione fidei [19], tandem « non posse libros sacros iis auctoribus tribui, quibus reapse inscribuntur »[20] blaterantes, cum schola *Tubingensi* ab Ecclesiae schismate derivant [21]. Renovant *rationalismum theologicum,* nam religionem christianam habent uti factum naturale evolutione inductum [22], unde, « revelatione qualibet *externa* penitus sublata », doctrinam fidei derivant ex *interna* revelatione a conscientia religiosa non distincta [23], seu ex interno sensu religioso quo apprehenditur Deus confuso modo apparenti [24]. Veritatis religiosae evolutione statuta [25], cum HARNACH originariam quamdam christianismi essentiam agnoscunt [26], quae processu temporis collectiva experientia fidelium excrevit in praesentem fidem. Ceterum *dogmata* non habent veritatem absolutam sed relativam ad tempora in quibus sunt data, et quorum sunt formulae seu symbola [27], *my-*

---

[17] PIUS X Enc. *Pascendi* passim. « Al carattere di storia religiosa non si deve riputare contrario ogni elemento inventivo; chè anzi molte volte edificano più le storie in parte od anche interamente imaginarie, che i fatti verificati ». *Il Programma* p. 37; DECR. *Lamentabili* pr. 14, 16.

[18] F. LENORMANT *Les origines de l'histoire d'aprés la Bible* etc.; LAGRANGE in *Revue Biblique* 1897; LOISY in *Études Biblique* 1901.

[19] Cf. PIUM X, Enc. *Pascendi;* ANONYM. *Il Programma* p. 113-6.

[20] PIUS X Enc. *Pascendi, Il Programma* p. 56 sqq.

[21] DECRET. *Lamentabili* prop. 13 et 15; LABERTHONNIÈRE *Le réalisme chrétien et l'idéalisme grec; Il Programma* p. 69.

[22] Cf. PIUM X, Enc. *Pascendi.* In *Il Programma* p. 75 aiunt: « Il cristianesimo è per la critica un fatto *come tutti gli altri:* sottoposto alle medesime leggi di sviluppo, permeabile alle medesime efficacie politiche, giuridiche ed economiche, suscettibile delle medesime variazioni ».

[23] PIUS X Enc. *Pascendi* paulo post init.; LOISY *L'Évangile et l'Égl.* c. 4 § 2; ANONYM. *Il Programma* p. 20 dicunt se malle « vedere ad ogni istante l'opera latente di uno spirito informatore, anzichè contraddire alla realtà dei fatti con ammettere una rivelazione subitanea della verità del *Credo,* che non hanno mai avuto luogo ».

[24] PIUS X Enc. *Pascendi.*

[25] PIUS X Enc. *Pascendi;* DECR. *Lamentabili* prop. 53. In *Il Programma* p. 80 saepe loquuntur de evolutione fidei dicunt autem quod « tale elaborazione investì tutto; i dogmi che sono stati poi fondamentali nel cattolicismo, il dogma trinitario e il dogma cristologico e la organizzazione della Chiesa».

[26] Germen christianismi est « l'aspettazione d'un miglior regno di giustizia terrena e celeste, la solidarietà delle anime verso il bene commune, la confidenza nel Padre ». *Il Programma* p. 77; LOISY *Autour* etc. p. 196; Cf. PIUM X, Enc. *Pascendi.*

[27] « Evolvi ac mutari dogma non posse solum sed oportere et modernistae ipsi perfracte affirmant, et ex eorum sententiis aperte consequitur ». PIUS X Enc. *Pascendi.*

13425

steria sunt respuenda, quia formulae philosophiae iam subversae, inintelligibilia et inutilia [28], *miracula* debentur defigurationi et transformationi fidei [29], *prophetiae* vero post eventum sunt datae, siquidem est principium « narrationem facto anteverti » [30].

66. **Errores — Veritas.** Revelationem vel quoad ipsum nomen vel saltem quoad rem negarunt, ut vidimus, THEISTAE, RATIONALISTAE et MODERNISTAE. **Veritas** *polemice* contra Theistas et Rationalistas defendit Pius IX in SYLLABO [31], contra Modernistas Pius X DECR. LAMENTABILI et ENC. PASCENDI [32]: *didactice* clarissime est proposita in CONC. VATIC., quod de *possibilitate* revelationis ait: « S. q. d. fieri non posse... ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque exhibendo ei edoceatur, a. s. »[33]; « S. q. d. hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse... a. s. »[34]: de *facto* vero scribit: « Perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed *obiecto* etiam distinctum..., quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur *mysteria,* in Deo abscondita, quae nisi revelata divinitus, innotescere non possunt »[35]: igitur « si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et propria dicta *mysteria* contineri... a. s. » [36].

THES. 7. *Divina revelatio immediata non consistit in extraordinaria quadam excitatione vel motione virium naturalium ad cognoscendum, sed in proprie dicta locutione, qua Deus per se veritatem hominem docet.*

67. **Ex Scripturis.** Nam in sacris Litteris ea, quae fide sunt credenda, quaeque proinde revelationis obiectum constituunt, non exibentur quasi fructus nostri intellectus a gratia excitati, sed uti praecepta et doctrinae quae Deus Adamo [37], Patriarchis [38], Prophetis [39] et Apostolis [40] directa manifestatione ostendit, secundum

---

[28] LE ROY *Dogme et critique.*
[29] LE ROY in *Annales de phil. chrétien.; Il Program.* p. 111; Enc. *Pascendi; Civiltà* 18 Mag. 1907.
[30] PIUS X Enc. *Pascendi.*
[31] SYLL. *prop.* 3, 4, 5, 7, 8, 9, 14.
[32] Locis supra citatis.
[33] CONC. VATIC *Dei Filius* § 2 cn. 2.
[34] *L. c.* cn. 3.
[35] *L. c.* cp. 4.
[36] *L. c.* § 4 cn. 1.
[37] Gen. **2.** 16; **3.** 9 sqq.
[38] Gen. **6.** 3 sqq.; **12.** 1 sqq.; etc.
[39] Isai **1.** 1 sqq.; etc.
[40] *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem* Joan. **16.** 13.

EX LIBRIS PROVI... PRO STUDIIS THEOL...

illud PAULI *Multifaria multisque modis olim Deus* LOQUENS *Patribus in Prophetis; novissime diebus istis* LOCUTUS EST *nobis in Filio* [41]. Hinc Scriptura non dicit revelatione hominem *moveri* a Deo, sed *doceri* [42] quasi a magistro [43], quem audire [44] oportet; siquidem *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit... nobis revelavit Deus per Spiritum suum* [45]. **Ex Patribus** frustra multiplicarentur testimonia; ex toto enim theologiae cursu constabit quod « nobis *curiositate* (ad revelata scrutanda) opus non est post Christum ducem, nec *inquisitione* (ad dogmata invenienda) post Evangelium »[46], etenim « non nunc fides incepit sed *a Domino* per discipulos ad nos usque pervenit »[47]. Profecto inter revelata plura sunt « quae superant omnem cognitionem et intellectum »[48], « quae angeli non noverunt (sed) nos docuit (Deus) »[49], cui credimus « ob eius sublimem *attestationem* »[50] « tot ac tantis ab eo pignoribus acceptis »[51]. **Ratio** confirmat, nisi enim verbis ludere velimus *revelatio* est remotio veli facienda a revelante non a revelatario; quia ergo velum removendum est ignorantia, profecto revelatio est cognitio *accepta* ab alio, non propria virtute *acquisita*.

68. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Dedecet divinam maiestatem servum indignum alloqui: atqui...: ergo. **Resp.** *Neg. mai.* Profecto si non dedecuit condere, neque dedecet alloqui, imo *commendat charitatem suam Deus in nobis; quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est* [52].

69. **Obiic. 2.** « Conceptiones quas proponit Ecclesia tamquam dogmata revelata, non sunt veritates e coelo delapsae, quia quamtumvis divina quoad *originem* et *substantiam*, tamen humana sunt quoad *structuram* et *compositionem* »[53]. **Resp.** Cognitiones quae dicuntur revelatae sunt humanae quoad *structuram* quatenus percipiuntur coordi-

---

[41] Hebr. **1**. 1.

[42] Exod. **4**. 12; Deut. **4**. 1; Ps. **93**. 12; Jerem. **31**. 34 etc.

[43] *Magister vester unus est Christus*. Matth. **23**. 10.

[44] *Audi cuncta quae dixerit Dominus ...tibi*. Deut **5**. 27 et alias saepissime.

[45] 1 Corinth. **2**. 9-10.

[46] TERTUL. *De Praescr.* c. 8.

[47] ATHAN. *Epist encyc.* n. 1.

[48] GREG. Nyss. *De Beat.* or. 3.

[49] CHRYS. in 1 *Corinth.* hom. 7.

[50] ATHAN. *Quod unus sit Christus.*

[51] THEOPH. Anth. *Ad Autolyc.* I n. 8.

[52] Rom. **5**. 8-9. Cf. quae de convenientia divinae providentiae ex creationis facto arguit AMBR. *De Off.* I c. 13.

[53] LOISY *L'Évang. et l'Égl.* c. 4 apud *Billot* De Trad. p. 80.

natione specierum, quae per sensus a rebus corporalibus sunt deductae *conc.;* quatenus humana virtute sunt efformatae sine directo et supernaturali influxu Dei coordinantis species revelatarii, cui ad instar magistri novas veritates patefecit *neg.* MODERNISTAE confundunt *veritatem* revelatam cum *medio subiectivo* quo illa a nobis percipitur. Nonne magister, quin ideas novas *creet* in mente discipuli, ei *manifestat* veritates coordinatione praecedentium specierum? Aliquid simile contingit in revelatione; in qua si consideratur *veritas* revelata *de coelo* est, quia a Deo manifestata; si e contra consideratur *modus quo est recepta* in homine, licet esse posset de coelo, quatenus Deus posset immediate infundere species intelligibiles illius veritatis, ordinarie tamen est *de terra.* « Divinae revelationis radius, inquit S. THOM., ad nos pervenit secundum modum nostrum, ut Dionysius dicit; quamvis enim per revelationem elevemur *ad aliquid cognoscendum,* quod alias esset nobis ignotum; non tamen (elevamur) ad hoc quod *alio modo* cognoscatur nisi per sensibilia »[54]. Unde mysteria fidei non distinguuntur a naturalibus cognitionibus de Deo, quatenus has valemus *in se* cognoscere non vero illa; sed quia de his, quae naturaliter sunt nota, via causalitatis potest demonstrari *quod sint,* de mysteriis fidei (quia nexu naturalis causalitatis nobis non uniuntur) naturaliter nec *quid sint,* nec *quod sint* cognosci potest. Ceterum cognitio fidei non praestat naturali cognitioni « *quoad modum apprehendendi res revelatas;* est enim per communes species a sensibus acceptas...; unde si spectetur ipse *modus* cognitionis, formaliter acceptus ut *cognitionis est,* non invenitur excedere modum cognitionis naturalem »[55].

70. **Obiic. 3.** Si daretur revelatio, esset obligatio eam suscipiendi: atqui obligatio assentiendi dogmatibus repugnat independentiae rationis, cuius iura sunt super omnia sacra et inalienabilia: ergo [56]. **Resp.** *Neg. min.* Deo revelanti credendum est, prout exigit eius

[54] S. THOM. *Super Boët De Trinit.* q. 6 a. 3.

[55] BILLOT *De Deo Uno* th. 16; *De Deo Trin.* th. 15; *De Tradit.* p. 80 sqq.; SCHIFFINI *Metaph.* I th. 18 in scol. Ut propositam sententiam exemplo illustrem, considera SS. Trinitatis mysterium: *Deus est Unus in essentia et Trinus in personis.* In quo consistit revelatio? Non in infusione notionum, quae in singulis verbis exprimuntur; nam subiectum *Deus* est naturaliter notum (cognitione plane analogica), verbum *est* continuo occurrit, praedicatum *unus in essentia et trinus in personis* est notio complexa ex conceptibus unitatis, trinitatis, naturae et personae, iam notis: quod ergo revelatione innotuit non sunt termini, sed est *relatio identitatis* (iudicium affirmativum) inter unitatem et trinitatem, atque *repugnantia* multitudinis deorum (iudicium negativum); quae quidem nobis manifestantur coordinatione, affirmatione et negatione terminorum.

[56] HAVET *Revue des Deux Mondes* 1 Août 1863.

maiestas et nostra servitus, quae in ipsa creatione fundatur; hoc autem non dedecet intellectum nostrum, quia ipse veritatis non est suprema regula, unde sicut accipit testimonium hominum suscipere debet *testimonium Dei, quod maius est* [57].

THES. 8. *Proprie dicta mysteria, seu veritates quae captum creatae mentis superant, non solum possibilia sunt, sed vere dantur.*

71. Tria ad thesim demonstrandam afferri solent argumenta: *a*) ex parte *intellectus divini, b*) ex natura *cognitionis nostrae, c*) ex quotidiana *experientia.* **Argum. 1.** Profecto « duorum, quorum unus alio rem aliquam subtilius intuetur, ille cuius intellectus est elevatior, multa intelligit, quae alius omnino capere non potest: sicut in rustico, qui nullo modo philosophiae subtiles considerationes capere potest. Intellectus autem angeli, plus excedit intellectum humanum, quam intellectus optimi philosophi intellectum rudissimi idiotae...; multoque amplius intellectus divinus excedit angelicum, quam angelicus humanum... Unde non omnia, quae in seipso Deus intelligit, angelus naturali cognitione capere potest; nec ad omnia, quae angelus naturali sua virtute intelligit, humana ratio sufficit capienda »[58]. **Argum. 2.** Nam cognitio contingit secundum quod cognitum est in cognoscente: si ergo quaedam sunt, quae, vel nullatenus, vel secundum propriam rationem naturaliter recipi nequeunt in nostra mente, profecto erunt nobis imperscrutabilia seu mysteria quae, nisi revelata fuerint, non cognoscentur: atqui multa sunt, quae in nostra mente secundum propriam rationem recipi nequeunt: ergo. PROB. MIN. Sane, ut aliquid recipiatur in mente, debet ei proportionari; quidquid enim recipitur ad modum recipientis recipitur, scil. secundum eius naturam et capacitatem in eo invenitur. Sed nostra mens est finita, eiusque propria obiecta sunt essentiae rerum materialium, ut diffuse explicatur in philosophia; ergo Deus, qui est purissimus spiritus infinite perfectus, a mente nostra secundum se percipi nequit, sed analogice tantum potest cognosci ex ordine ad res creatas. Atqui patet cognitionem analogicam summe distare a propria, neque ad omnia quae sunt in re cognita extendi. Ergo datur *sapientia in mysterio, quae abscondita est... Quam nemo principum huius saeculi cognovit... nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum*[59].

---

[57] 1 Joan. **5.** 9.
[58] S. THOM. *Cg.* 1 c. 3.
[59] 1 Corinth. **2.** 7-10.

Argum. 3. Quotidiana experientia manifestat plures effectus causarum quas in propria natura ignoramus: si ergo sunt mysteria in terris, non erunt in coelo? Si res materiales, quae continuo ob oculos versantur, secreta habent nobis impervia, Deus purissimus spiritus, *qui lucem inhabitat inaccessibilem* [60] obvius erit menti nostrae? [61].

72. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Veritas est adaequatio rei et intellectus: quae ergo intellectui conformari nequeunt veritates non sunt. **Resp.** *Dist. ant.:* h. e. veritas formalis est cognitio alicuius intellectus *conc.;* non est verum nisi quod ab omni intellectu cognoscitur *neg.* Praescindendo a quaestione de veritate *obiectiva, subiectiva* et *formali,* concedimus veritatem proprie dictam habere ordinem transcendentalem ad intellectum; ut tamen veritas existat, sufficit quod res percipiatur ab intellectu divino, qui utique *omnia scrutatur etiam profunda Dei* [62].

73. **Obiic. 2.** Obiectum intellectus humani est *ens;* quidquid ergo habet rationem entis ab humana mente percipi potest: atqui mysteria habent rationem entis: ergo. **Resp.** Obiectum *adaequatum* mentis nostrae est *ens* analogice acceptum *conc.;* ens perfectissimum est obiectum *proportionatum* nostri intellectus *neg.* Haec est perennis aequivocatio vocis *entis,* quae, cum dicitur de obiecto mentis nostrae, sonat notionem imperfectam et abstractam, generice (vel melius analogice) convenientem pluribus, cum vero effertur de Deo, exprimit notionem concretam et perfectissimam *entis a se* et *infinitae virtutis.* Mens nostra abstractione percipit notionem *genericam* entis communem omnibus, et sic valet aliquo modo percipere mysteria, si ei debite proponantur; sed inde non sequitur eam posse omnia invenire vel comprehendere; res enim perfectione superant genericam rationem *entis* ex cuius differenti concretizatione specificantur.

THES. 9. *Mysteriorum — 1 revelatio immediata, — 2 necnon mediata est possibilis* [63].

74. **Prima pars.** *Immediata mysteriorum revelatio est possibilis.* Nam si quae esset repugnantia, haec se haberet vel *ex parte Dei revelantis,* vel *ex parte hominis* revelationem accipientis, vel ex *parte ipsius rei revelatae.* Atqui ex nulla parte. Ergo. PROB. MIN.

---

[60] 1 Tim. 6. 16.

[61] HETTINGER *Apologia del cristianesimo;* C. MAZZELLA n. 110 sqq.

[62] 1 Corinth. 2. 10.

[63] Nil dicimus de revelatione veritatum, quae per se captum humanae mentis non aufugiunt; si enim Deus potest revelare mysteria, a fortiori manifestare valet quae sunt ordinis naturalis.

Revera revelatio non repugnat *ex parte Dei,* qui *praesentissimus* homini [64] non detinetur intervallo, *sapientissimus* noscit quae revelanda sunt, *omnipotens* difficultates ignorat. Negabimus causae primae perfectiones, quae in effectibus relucent? Ergo Deus, qui aures plantans audit, et fingens oculum considerat, etiam vocem homini tribuens loquendi habet potestatem [65]. — Non repugnat *ex parte hominis,* quia homo habet potentiam receptivam locutionis divinae, scil. intellectum, cuius obiectum adaequatum est quidquid habet rationem entis, quique *obedientiali potentia* potest a virtute superiori elevari ad percipienda ea, quae naturalem virtutem excedunt. Profecto si caecus ex videntis relatione, colorum existentiam percipit et aliqualem notitiam sumit, unde etiam loquitur de illis; cur homo ex divina revelatione percipere non poterit ea, ad quae naturali facultate pertingere nequit? — Non repugnat *ex parte rei revelatae* quae, summe intelligibilis in se, potest ex ordine ad creaturas via remotionis, affirmationis et excellentiae [66], analogice proponi iuxta capacitatem nostrae mentis. Nonne sapientes eclipses et aëris futuras perturbationes annuntiant idiotis, qui, causas intimas non scrutantes, foenomenorum praedictiones percipiunt et cum eveniunt admirantur? Ergo etiam Deus, quin intimam mysteriorum *naturam* patefaciat, potest veritates supernaturales quoad *existentiam* revelare.

75. **Secunda pars.** *Etiam mediata revelatione Deus potest aliquid manifestare.* Nam Deo non sunt impossibilia, quae homini sunt in promptu: si ergo homines per legatos et litteras loqui possunt iis, qui loco et tempore distant, a fortiori poterit Deus toti multitudini sua mysteria et praecepta per legatos revelare. Ceterum si quae esset repugnantia in revelatione mediata, procederet *ex difficultate agnoscendi missionem* eorum, qui nomine Dei loquuntur, vel *ex defectibilitate* hominis qui verbum Dei incorruptum tradere non valeret: atqui Deus potest legatorum suorum legitimitatem probare miraculis, et sua Providentia ordinaria et extraordinaria verbum suum incorruptum servare, et quidem ita, ut de incorruptione saltem substantiali prudens non maneat dubium: ergo [67].

---

[64] Deus adest homini, ut probat S. THOM. 1 p. q. 8 a. 3, per *potentiam,* per *praesentiam,* per *essentiam.*

[65] Cf. Ps. **39**. 8-10.

[66] S. THOM. 1 p. q. 12 a. 11; 12; *Cg.* III c. 49.

[67] C. MAZZELLA n. 109; ZIGLIARA *Propaedeutica* II c. 2.

76. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Mysteria sunt veritates ordinis diversi a naturali, in quo homo operatur [68]: si ergo in intellectu humano consisterent, idearum confusionem inducerent, nec forent practicae utilitatis: atqui confusiones et res inutiles a Deo non sunt: ergo [69]. **Resp.** Nego *mai.* et *suppos.* Mysteriorum notitia nullam confusionem idearum inducit, siquidem ex analogia ad naturales cognitiones efformatur et principiis rationis non contradicit. Non maior idearum confusio oriri potest ex notitia mysteriorum fidei, quam ex cognitione duarum scientiarum, imo multo minor, siquidem ex fidei certitudine ipsa ratio corroboratur [70]. Porro falso Modernistae ex pragmatismi postulatis veritatem ex practica utilitate derivare volunt; *veritas* enim respicit intellectum, *utilitas* voluntatem, nec sola datur utilitas naturalis, quam modernistae exclusive considerant, sed supernaturalem et aeternam cuius obliviscuntur. Caeterum « mysteriorum revelatio maximam perfectionem animae confert, *a*) cum cognitio etiam imperfecta de re nobilissima, dignitate praestet omnibus rerum inferiorum perfectioribus cognitionibus, *b*) clare ostendit limitatam esse nostram cognitionem, et ideo humilitatem fovit; *c*) magnam Dei aestimationem excitat, et consequenter desiderium eum uberius cognoscendi, eum amandi et possidendi, siquidem ostendit Deum tam magnum esse ut comprehendi nequeat; *d*) familiaritatem cum Deo fovet; amici est enim se manifestare; *e*) causa est ut exerceatur fundamentalis religionis actus obsequii nostri intellectus erga Deum, cuius revelationi adhibetur fides; *f*) etiam naturalem cognitionem perficit dum plura, ad naturalem ordinem spectantia, plenius et firmius intelliguntur, suppositis revelatis mysteriis »[71].

77. **Obiic. 2.** Velis, nolis, ultimum veritatis criterium est *ratio,* qua tandem et aliquando in veritatis dominium venimus: atqui mysteria principiis rationis dijudicari nequeunt: ergo [72]. **Resp.** *Dist. mai.* Ratio est criterium obiectivum *neg.,* subiectivum *subd.:* est criterium negativum, quatenus falsa sunt quae rectae rationi opponuntur *conc.,* positivum, quatenus admitti nequeat quod ratio amplectendum non dicit, *iterum dist.:* quod ratio nullo modo proponit *conc.* vel *trans.,* quod ratio non proponit, ut sibi notum et a se inventum, *neg.* Ut praescindamus a quaestione de criterio subiectivo et obiectivo, de qua agunt philosophi, damus rationem esse lumen vultus Dei, quod creator in nobis accendit ut verum a falso secernamus; sed ratio quaedam nobis mani-

---

[68] Falso supponitur revelationem non esse in eo ordine in quo *operamur;* sicut enim supernaturalis est *revelatio,* ita supernaturales sunt *operationes* quae ordinantur ad vitam aeternam.

[69] LE ROY *Dogme et critique.*

[70] Cf. n. 6.

[71] H. MAZZELLA n. 112.

[72] LE ROY *Dogme et critique.*

festat directe et *per se*, sua ipsa acie eorum veritatem detegens, alia vero indirecte et *per alios*, quos fide dignos ostendit. In divina revelatione hoc alterum contingit; etsi enim actus fidei sit in se caecus, praesupponit tamen iudicium certum de motivis, quae revelatam veritatem faciunt evidenter credibilem.

78. **Obiic. 3.** Quae sunt *supra* rationem sunt etiam *contra* rationem ac proinde homini repugnantia: atqui mysteria sunt profecto *supra* rationem: ergo [73]. **Resp.** *Nego mai.* Contra naturam est tantum quod proprietatibus vel attributis eius contradicit: atqui mysteria nullo modo proprietates rationis impetunt: ergo. Profecto mysteria non contradicunt rationi quatenus sunt *veritates altioris ordinis*, siquidem ipsa humana ratio ex sua limitatione arguit existentiam veritatum, quae suum captum superant; non contradicunt quatenus *recipiuntur in intellectu*, quia ut vidimus analogicis conceptibus menti nostrae proportionatis percipiuntur; non contradicunt quatenus sunt veritates quae *demonstrationem effugiunt*, siquidem in ipso ordine naturali plura sunt indemonstrabilia et recta ratio docet scienti et loquenti esse credendum, etiam cum rei attestatae intrinseca motiva non apparent.

ARTIC. 2 - DE REVELATIONIS NECESSITATE.

79. **Quaestionis sensus.** Quaestionem de revelationis existentia alia praecedit de eius convenientia et necessitate. Porro *necessarium* intelligitur quod non potest non esse, quapropter *absolute* necessarium est solus Deus: necessariam dicimus revelationem *hypothetice* seu *respective* ad naturam hominis et ad ultimum finem eius. Si naturam ipsam consideras, revelatio proprie non est necessaria [1] sed solum *conveniens*, quatenus homo revelatione perficitur et nobilitatur: si ultimum finem attendas, distinguere debes inter finem *realem* quem Deus homini praestituit, eum ordinando ad vitam aeternam [2] et *naturalem* qui respondet humanae naturae ad supernaturalem ordinem non elevatae. Primo modo revelatio est *physice* necessaria, nil enim volitum quin praecognitum, nec solis naturae viribus percipi potest *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum* [3]: altero, revelatio non est necessaria physice, siquidem, quae naturalia sunt, naturae viribus percipi queunt, merito tamen dicitur necessaria *moraliter*, quod modo bene intelligendum est.

---

[73] BAYLE apud *C. Mazzella* n. 113.

[1] Nam solis naturae viribus homo *esse* et *operari* potest.

[2] De elevatione humanae naturae ad finem supernaturalem agemus in tractatu de *Deo Elevante*: interim cf. 1 Tim. 2. 4.

[3] 1 Corinth. 2. 9.

80. **Quo sensu sit moraliter necessaria revelatio.** Imprimis *a*) nota *necessitatem moralem* specifice differre a *physica:* haec enim est *intrinseca* et supponit defectum facultatis [4] vel medii obiectivi [5]; illa facultatem aptam non excludit, sed provenit ab *extrinseco* scil. ex impedimentis seu obstaculis, quae retinent potentiam ne in actum prodeat, unde reducitur ad magnam difficultatem quae de facto non superatur. *b*) Item observa hanc moralem necessitatem revelationis non vindicari de *omni vero,* ut quidam *Traditionalistae* automarunt, sed dici de *complexu veritatum moralium,* quibus religio et virtutum exercitium reguntur. *c*) Tertio attende quaestionem non moveri de quacumque cognitione vel implicita et obscura, sed de cognitione *certa, clara,* et *facili,* qualem decet subiectam materiam. *d*) Tandem tene haec omnia affirmari non de uno quodam viro peculiaris ingenii, sed de *genere humano* considerato prouti nunc est in statu naturae elevatae et lapsae, cum Deus supernaturalibus mediis indigentiae nostrae occurrens naturalia bona, quae forte in statu purae naturae daret, non suppeditat. Scil. dicimus in praesenti conditione generis humani necessariam esse revelationem ut omnes homines, quamvis parvuli et rudes, valeant prompte et facile ac sine errore cognoscere veritates rationi per se non impervias et ad religionem et mores spectantes.

81. **Errores — Veritas.** In hac materia *defectu* erraverunt THEISTAE, RATIONALISTAE, et MODERNISTAE quos supra audivimus possibilitatem ipsam revelationis impugnare; *excessu* peccaverunt TRADITIONALISTAE qui cum P. HUET († 1721), DE BONALD († 1840) [6], BAUTAIN († 1867), UBAGHS († 1875), P. VENTURA († 1861) [7], BONETTY († 1879) [8] etc., revelationem dixerunt physice necessariam. **Veritas.** *Necessitatem* revelationis profitetur CONC. VATIC. cum ait: « Divinae revelationi tribuendum est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi *per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine, et nullo admixto errore* cognosci possint »[9]: necessitatem vero hanc *non esse physicam* constat ex verbis: *quae per se impervia non sunt;* et ex sequenti can.: « S. q. d., Deum

[4] V. g. visus in caeco.

[5] V. g. lucis ad videndum.

[6] DE BONALD *Recherches philosoph. sur les prem. objets de connaiss. morales.*

[7] P. VENTURA *Annales de philosoph. chrét.* ser. IV tom. 7, 8.

[8] BONETTY *La tradizione ed i semipelagiani della filos.* c. 1.

[9] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 2.

unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, *per ea quae facta sunt naturali rationis lumine* certo cognosci non posse, a. s. »[10].

THES. 10. *Quoad complexum rationalium veritatum ad religionem spectantium, — 1 revelatio in praesenti humani generis conditione dicenda est moraliter necessaria, — 2 non tamen physice.*

82. **Prima pars.** *Revelatio est moraliter necessaria.* Illud necessarium est saltem moraliter generi humano, sine quo hominum multitudo finem suum assequi non potest: atqui sine revelatione plurium rationalium veritatum, quae religionem spectant, multi in praesenti conditione humani generis non possent assequi finem ultimum utut naturalem: ergo. MAIOR est manifesta; nam ipsa creatione omnes tendunt in finem ultimum, qui proinde non uni vel alteri, sed omnibus possibilis esse debet. MINOR PROB. Nam ad consecutionem finis requiritur cognitio ipsius finis et mediorum in illum ducentium; haec autem cognitio ex solis naturae principiis non est omnibus possibilis. Profecto in mundo sunt plures *ingenio tardi et passionibus iactati* incapaces difficilium ratiocinationum, *pueri* indociles, scientiae tantum rudimentis apti, *opifices,* qui necessitatibus vitae abrepti, tempus studendi non habent: atqui his non sunt possibiles nisi cognitiones *faciles* et *obviae,* inter quas recenseri non posse cognitionem ultimi finis et mediorum in illum ducentium vel inde patet quod circa illa et summi philosophi erraverunt: ergo harum veritatum cognitio universae multitudini sola revelatione parari potest, quae proinde necessaria dicenda est in praesenti hominum conditione.

83. **Secunda pars.** *Revelatio non est physice necessaria.* Nam veritates, de quibus agimus, non sunt *supernaturales,* sed *rationales,* quae ex creaturis recta ratione deduci possunt: sunt ergo veritates proportionatae intellectui nostro, qui ad illas cognoscendas habet physicam virtutem. Neque instes originali peccato intellectum esse obscuratum; hoc enim contigit privatione donorum supernaturalium et praeternaturalium, non corruptione potentiae. Ceterum si revelatio physice foret necessaria ad finem, debita esset homini creationis titulo et sic non esset supernaturalis.

---

[10] CONC. VATIC. *Dei Filius* § 2 *int.* I c. 3; SCHIFFINI *Metaph.* I n. 337. cn. 1. Cf. LIBERATORE *Della conosc.*

84. **SOLVITUR DIFFICULTAS. Obiic.** Si revelatio esset necessaria ad finem naturalem consequendum, vel Deus arguendus esset insipientiae, quia fecit hominem ineptum ad assequendum finem suum vel revelatio dicenda foret naturalis, utpote naturae debita : atqui utrumque repugnat : ergo. **Resp.** *Dist. mai.:* si esset necessaria physice *conc.*, si moraliter tantum *neg.* vel *sub.:* si homo inveniretur in statu naturae purae, *trans.*, dum est in statu naturae lapsae *neg.* — Non una est theologorum sententia de statu naturae purae; plures cum FRANZELIN aestimant in tali statu Deum subventurum fuisse fragilitati hominis mediis naturalibus, quae modo non dantur, quia supernaturalibus providere voluit [11] : alii putant in statu purae naturae hominem non futurum fuisse sic debilem et in malum pronum ut modo, cum *filius irae* [12] nascitur [13] : alii [14] reputant non dedecere divinam sapientiam creaturam, quae morali impotentia laboret assequendi finem ultimum; cum enim talis impotentia non sit physica, adest vera proportio facultatis ad finem, quem, si non consequitur, ex limitatione tantum virtutis et ex libertatis abusu est [15].

ARTIC. 3 - DE NOTIS DIVINAE REVELATIONIS.

85. **Quae revelationis notae.** Secundum nomen *notum* valet *cognitum*, unde revelationis notae sunt *media ad revelationem cognoscendam*. Dicuntur etiam *criteria* revelationis, quia illis de existentia revelationis iudicatur, atque *motiva credibilitatis*, quia dum manifestant revelationem, ad fidem illi praestandam nos inducunt.

86. **Notarum revelationis divisio.** Nota alia est *negativa* alia *positiva*, haec autem *intrinseca* vel *extrinseca*. Nota *negativa* di-

---

[11] SUAREZ *De Gratia* prol. 4 c. 2 n. 15; in 1-2 Disp. 15 sect. 2 n. 11; PALMIERI *De Deo Creante* p. 290 sqq.; FRANZ. *De Trad. et Script.* App. § 4 n. 2; C. MAZZELLA *De Deo Creante* n. 891 sqq.; *De Grat.* n. 402; PESCH III n. 227; TEPE II n. 797; SCHIFFINI *De Grat.* n. 54.

[12] Ephes. 2. 3.

[13] GREG. Arimin., ALVAREZ etc. apud MAZZELLA *De Deo Creante* n. 1067.

[14] SUAREZ *De Gratia* I c. 28 n. 13; BECANUS *De Aux. Grat.* Disp. 2 q. 4 a. 5 p. 1; MAZZELLA *De Grat.* n. 401.

[15] Prima sententia, quae hodie fere communis est, non solum est probabilis quia naturali necessitate Deus supernaturali medio potest occurrere; sed etiam quia conditio rei *integrae* diversa est a *reparata*: tertia tamen sententia probabilior mihi videtur quia Deus non tenetur facere quod est *optimum* vel *convenientius*, sed quod est *bonum;* natura autem, quae ex debilitate virtutis laborat morali impotentia assequendi finem ultimum, bonitate non caret, quia dum contradictionem non involvit positiva realitate suae potentiae defectibiliter quidem sed vere repraesentat divinam essentiam, possibilium omnium radicem.

citur quae *possibilem* revelationem ostendit, quaeque si desit, revelatio non est[1]: *positiva* non modo revelationem possibilem, sed vere *factam* esse manifestat. Porro si notae positivae desumuntur ex proprietatibus revelationis, puta ex doctrinae pulchritudine, sublimitate, harmonia, quae intelligentiae creatae aciem superant, vocantur *intrinsecae;* si vero argumenta pro revelationis veritate aliunde petuntur, v. g. quia confirmata miraculis, martyrio, vitae sanctimonia, etc., dicuntur *extrinsecae.*

87. **Quae de notis intrinsecis sunt observanda.** Ne in modernistarum errores incidas tene imprimis argumenta intrinseca nec *sola* nec *validiora* esse, his enim praestant extrinseca quae vere apodictica sunt, dum intrinseca saepius gradum convenientiae et probabilitatis non praetergrediuntur. Insuper cave ne in *solis* exigentiis naturae manens in subiectivismum alias improbatum incidas[2]. Qui ex huiusmodi exigentiis vult supernaturalem religionem invenire duo saltem postulata, aliunde nota, debet praesupponere, scil. *a*) realem *existentiam Dei* et *b*) factum existentiae *religionis quae revelationem sibi vindicat,* quaeque fontem omnium bonorum omnibus iustis desideriis animi satisfacit. *a*) Qui enim notitiam existentiae Dei naturae auctoris, (qui naturae desideria frustari non vult) non praesupponit, ex desideriis et necessitatibus naturae nil concludit, cum probare non poterit huiusmodi desideria satisfieri oportere[3]; *b*) qui vero ignorat existentiam religionis, quae iusta desideria satisfaciens supernaturalem revelationem sibi vindicat, ad *hypotheticam* religionem deveniet, vel saltem ad *naturalem* tantum, siquidem desiderio et necessitati *naturali,*

---

[1] Praecipuae *notae negativae* quae assignantur sunt quod veritas uti revelata proposita *a*) non repugnet rectae rationi, *b*) non dedeceat divina attributa maxime sapientiam, potentiam et bonitatem (Cf. 1 Corinth. **12**. 2-3), *c*) nec fuerit fraude inducta.

[2] Cf. n. 25 sqq. Etiam ex phaenomenis *psychologicis* quis ascendere potest ad Deum et consequenter ad notitiam verae religionis, sed argumentum tunc procedit ex huiusmodi foenomenis prout sunt effectus causae primae. Cf. DE BROGLIE. *Preuves psychologiques de l'existence de Dieu.*

[3] Qui Deum ignorat, de religione, quae relationes nostras ad Deum moderatur, cogitare nequit; qui vero legitimitatem et indefectibilitatem naturalis desiderii ex sapientia auctoris naturae non deduxerit, nil evincet ex appetitione animi; desiderium enim vel necessitas per se non est *demonstratio* existentiae rei appetitae, sed *occasio* tantum vel motivum quaerendi et inveniendi.

supernaturale per se non respondet [4]. Porro illa duo praesupposita non via immanentiae probari debent, sed *existentia* Dei via causalitatis ex mundo reali, *existentia religionis* factorum studio, aliorum relatione et historia quo modo solemus de factis certiorari.

88. **Errores — Veritas.** RATIONALISTAE verae religionis unam notam *negativam*, h. e. conformitatem cum ratione, agnoscunt, PROTESTANTES et MODERNISTAE ponunt *intrinsecas*, quas illi revocant ad impulsum Spiritus S., hi ad necessitates vitae religioso instinctu detectas [5], fatentur autem huiusmodi notae probabilitatis gradum non superare [6]. **Veritas** definita est in CONC. VATIC. « Ut fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus S. auxiliis *externa* iungi revelationis suae argumenta... quae divinae revelationis *signa* sunt *certissima* et omnium intelligentiae accomodata »; itaque « s. q. d. revelationem divinam *externis signis* credibilem fieri non posse, ideoque sola *interna* cuiusque *experientia* aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; a. s. »[7].

THES. 11. *Divinae revelationis — 1 adsunt notae, — 2 non mere negativae, nec tantum subiectivae, sed — 3 positivae tam extrinsecae quam intrinsecae, quae si positivis vi probativa cedunt, 4 — utiles tamen sunt.*

89. **Prima pars.** *Dantur divinae revelationis notae.* **Argum.** desumitur a S. THOMA ex revelationis *obscuritate*. « Quia sermo propositus (scil. enuntiatio revelatae veritatis) confirmatione indiget ad hoc quod recipiatur, nisi sit per se manifestus, ea autem, quae sunt fidei, sunt humanae rationi immanifesta, necessarium fuit aliquid adhiberi quo confirmaretur sermo praedicantium fidem. Non autem confirmari poterat per aliqua principia rationis

[4] Non dicimus quod inquirens debeat cognoscere revelationem *qua talem*, hoc enim est conclusio deducenda non praesupponenda; sed dicimus quod debet cognoscere *factum* ipsum seu existentiam illius religionis quae supernaturalem revelationem sibi vindicat. Argumentum quod dicitur *intrinsecum* non habet nomen a *subiecto* in quo evolvitur (esset enim *subiectivum*), sed a *revelatione* ex cuius *proprietatibus* deducitur; nemo autem potest ex proprietatibus rei naturam arguere, nisi prius rem ipsam et proprietates uti *facta realia* cognoverit.

[5] Hinc patet PROTESTANTES falsum medium inveniendi assignare, sed obiectivitatem rei inventae non negare; MODERNISTAS vero errare in medio, et insuper religionem mere subiectivam sibi aedificare.

[6] « Assensus fidei ultimo innititur in congerie probabilitatum ». In DECR. *Lament.* pr. 25.

[7] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 3; § 3 cn. 3.

per modum demonstrationis, cum ea, quae sunt fidei, rationem excedant. Oportuit igitur aliquibus indiciis confirmari praedicantium sermonem, quibus manifeste ostenderetur huiusmodi sermonem processisse a Deo »[8]: atqui haec indicia, seu signa divinam fidei originem comprobantia, dicuntur revelationis notae: ergo.

90. **Secunda pars.** *Revelationis notae negativae et subiectivae falsae vel insufficientes sunt.* Profecto notae NEGATIVAE non probant *factum* sed solam *possibilitatem,* unde non sunt propriae revelationis, sed aeque conveniunt veritatibus ratione vel fide humana notis. Quod si conformitas cum principiis rationis non assumitur sensu negativo de *non repugnantia,* sed positivo de *intrinseca proportione,* non amplius haberi potest uti nota revelationis, siquidem excluderet mysteria, quae tamen, ut vidimus, revelari possunt. Quod attinet ad notas SUBIECTIVAS distinguendum est inter systema Protestantium et Modernistarum. De his sufficienter probavimus *exigentias spiritus* non ducere ad revelationem sed ad religionem mere naturalem, imo ad religionem phantasticam et hypotheticam non realem: de *interno instinctu* maxime ex Spiritus S. impulsu a Protestantibus inducto[9], dicemus agentes de interpretatione Scripturae, interim nota *a*) contradicere experientiae, ut patet ex testimonio conscientiae, *b*) dedecere divinam providentiam utpote deceptionibus obnoxium, atque *c*) schismata fovere contra voluntatem Christi, qui Patrem rogavit ut *unum essemus*[10] omnes *idipsum dicentes, et non sint in nobis schismata; simus autem perfecti in eodem sensu et eadem sententia*[11].

91. **Tertia pars.** *Adsunt revelationis notae extrinsecae, quae intrinsecis praestant.* Revelationem probari notis extrinsecis, imo notas extrinsecas intrinsecis esse efficaciores constat *Scriptura, Traditione* et *ratione.* Revera in **Scripturis** Christus missionem suam miraculis et prophetiis comprobavit[12] et hoc signum, eorum qui crediderint, reliquit[13], unde et Apostoli ad hoc recursum ha-

---

[8] S. THOM. *Cg.* III c. 154.

[9] REIDIANISTAE. Cf. PRISCO *Lo Heghellianismo* etc.

[10] Joan. **17.** 11, 21, 22.

[11] 1 Corinth. **1.** 10.

[12] *Opera ipsa, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Joan. **5.** 36. Cf. Matth. **9.** 6; **11.** 4; Luc. **11.** 29; Joan. **11.** 42-3; **15.** 24.

[13] *Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint non eis nocebit: super aegros manus imponent et bene habebunt.* Marc. **16.** 17-8.

buerunt, ut ex Actibus Apostolorum apparet [14] et testatur Paulus [15]. Nec aliter fuit in Veteri Testamento; si enim *de iure* quaeris, miracula et prophetiae erant signa divinae missionis [16], si *de facto*, miraculis comprobata est LEX, atque vera religio est cognita [17]. **Patres** vim miraculorum et prophetiarum ad veritatem fidei profitendam non solum *a*) aperte proclamant dicentes quod « testis doctrinae *virtus* [18] est, ut quia quod praedicatur incredibile mundo est, gestis fieret credibile »[19], siquidem « si per opera et signa demonstratio est, longe quam per verba est certior »[20]; sed *b*) addunt miracula « necessaria fuisse... ad hoc ut crederet mundus »[21], nec sine illis fidem propagari potuisse [22]. *c*) Hinc ad factum descendentes affirmant quod miracula Christi, Apostolorum, martyrum et sanctorum « aedificabant fidem ad illa quae non videbantur »[23], unde, fide iam firmata, miracula imminuta sunt, « quia et nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra iam coaluisse videamus; et si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit » [24]. **Ratio.** Nam argumenta extrinseca fundantur in *testimonio divino* non voce sed opere prolato in confirmationem veritatis factae revelationis; demonstrabimus enim miracula et prophetias esse opera divina patrata in confirmationem religionis. Porro argumenta *intrinseca* non eiusdem esse efficaciae, inde patet quod non sunt omnium intelligentiae accomodata, sed *paucis* viris eruditis apta; *nec* sunt absolute *firma* et evidentia, quia extremi limites humanae intelligentiae difficillime

---

[14] Act. **2**. 6 sqq.; **3**. 1-8 coll. 11-26; **4**. 33; etc.

[15] *Praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.* 1 Corinth. **2**. 4.

[16] *Si tacita cogitatione responderis: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? Hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta ille* PRAEDIXERIT *et non evenerit: hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confixit: et idcirco non timebis eum.* Deut. **18**. 21-2; Isai. **40**. 22-3.

[17] Exod. **4**. 1-9; **7**. 10; **12**. 29; 4 Reg. **1**. 10-2; **18**. 21-39; etc.

[18] Quisque noscit in Scripturis et apud Patres *virtutem* sumi de opere divino saepius de miraculo.

[19] AMBROS. in *Rom.* **1**. 5.

[20] CHRYS. in 1 *ad Corinth.* **2**. hom. 6; AMB. in *Rom.* **1** 6; GREG. M. in *Evang.* hom. 4.

[21] AUG. *De Civ. Dei* XXII c. 8 n. 1.

[22] AUG. *De vera Relig.* c. 25 n. 47.

[23] AUG. *Serm.* 88 (De Verb. Dom. 18) n. 1; in *Joan.* tr. 49 n. 11; *De Vitalitate credendi* c. 16 n. 34; CHRYS. in *Matth.* hom. 4.

[24] GREG. M. in *Evang.* hom. 29; AUG. *De Pecc. Merit. et Remiss.* c. 32 n. 52; CHRYS. in *Matth.* hom. 49.

signantur, et quia valor eorum valde pendent a subiectiva aestimatione; quae enim his videntur clara illis sunt obscura, et quod his bonorum fons apparet, illis radix sterilis vel mala videtur.

92. **Quarta pars.** *Revelationis notae intrinsecae non sunt spernendae.* Cum enim *non possit arbor mala bonos fructus facere* [25], religio quae in omni ordine materiali et morali, privato et publico verum progressum connaturali sua virtute promovet, vera dicenda est ac proinde supernaturalis, si hanc sibi vindicat proprietatem. Profecto Deus qui utriusque ordinis est auctor non pugnam sed amicum foedus statuit inter naturam et gratiam, et omnia disponens in mensura, numero et pondere [26], non eripuit mortalia regna dans coelestia [27], sed potius pietati repromisit bona vitae quae nunc est et futurae [28]. Adde huiusmodi notas intrinsecas fidei inimicos *ad hominem* seu ipsis eorum argumentis impugnare, atque revelationis pulchritudine et utilitate ostensa, aliquando eos illuminare qui, philosophicis praeiudiciis a recto tramite deviantes, extrinsecorum argumentorum vim non percipiunt, vel ex animi levitate contemnunt [29]. Hinc PIUS X argumentorum huiusmodi abusum reprimens notat quod « in humana natura capacitatem et convenientiam... ad ordinem supernaturalem (inveniri)... apologetae catholici [30], opportunis adhibitis temperationibus [31], demonstrarunt semper »[32].

---

[25] Matth. **7**. 18-20.

[26] Sap. **11**. 21.

[27] LITURG. *Hym. SS. Innoc.*

[28] 1 Tim. **4**. 8.

[29] Argumentis intrinsecis ad fidem redierunt AUSONIO FRANCHI, BRUNETIÈRE, COPPÉE, BOURGET, HUYSMANS, etc. Etiam GIOBERTI ex civilibus utilitatibus veritatem Ecclesiae arguebat. Cf. BALLERINI *Il principio di causalità* p. 2 c. 1; TANQUEREY *De Vera Relig.* c. 1 n. 67.

[30] Historiam apologiae christianae sic sculpit *Civiltà Cattolica*: « Poetica, *artistica,* ideale nel CHATEAUBRIAUD, si ferma a descrivere l'esterno del cristianesimo, quasi la facciata dell'edificio; *eloquente,* calda, smagliante ma più concreta nel LACORDAIRE, illustra il gran fatto, le grandi virtù della Chiesa; affettuosa, *mistica,* talora anche sentimentale nel BOUGAUD, addita nel cristianesimo la soddisfazione e l'appagamento delle aspirazioni intime, profonde dell'anima: più *storica* nel DE BROGLIE, ne mostra la trascendenza rispetto alle altre religioni; più *psicologica* nell'OLLÉ-LAPRUNE, (ne dichiara) la convenienza intellettuale e morale...; mentre più compiuta e più *scientifica* appare negli scritti del NICOLAS, dell'HETTINGER, dello SCHANZER, etc. » 1 Dicemb. 1906.

[31] Cf. quae n. 87 animadvertenda diximus ad valorem argumentorum intrinsecorum.

[32] PIUS X Enc. *Pascendi.*

93. **SOLVITUR DIFFICULTAS. Obiic.** Qui aërem verberare non vult, illa argumenta contra rationalistas et incredulos adducere debet, quae eorum *mentalitati* seu philosophicae culturae respondent : atqui, kantiana critica ubique diffusa, amplius argumenta extrinseca non recipiuntur, sed, imperante agnosticismo, sola via immanentiae homines ad christianismum adduci possunt in eoque servari : ergo nova apologia via immanentiae procedere debet [33]. **Resp.** *Dist. Mai.:* contra modernos rationalistas adduci debent argumenta respondentia eorum mentalitati, foedere secum ipsis inito contra praecipua fidei nostrae propugnacula, *nego omnino;* sepositis tantum argumentis quae mentalitati rationalistarum non respondent, alia argumenta adduci debent *subd.;* si haec argumenta erroribus et sophismatibus non innituntur *conc.* secus *neg.* Argumentum quod modernistae omnibus notis resonant, nil evincit. Imprimis enim non ita sunt adducenda nova argumenta ut infirmentur antiqua, siquidem nulla prudentia docet acquisitas regiones cedere inimicis ut a novis expellantur : imo vetera argumenta nec seponenda sunt, ut non aperiatur via antiquis erroribus quae circulari lege in proximo redibunt. Porro in propositione novorum argumentorum non sola immediata utilitas est attendenda, sed caute videndum verisne an falsis innitantur principiis; erroribus enim et sophismatibus non aedificatur veritas. Atqui « apologetica modernistarum methodus... uti etiam doctrinae, errorum plenae, non ad aedificandum aptae (sunt) sed ad destruendum, non ad catholicos efficiendos sed ad catholicos ipsos ad haeresim trahendos, imo etiam ad religionis cuiuscumque omnimodam eversionem »[34]. — Cum rationalistarum fundamentalis error sit *agnosticismus* philosophicus, non scholasticae finis est promulgandus, sed iuxta RR. PP. decreta [35] adlaborandum est pro restauratione doctrinae thomisticae, in qua inest eximia vis ac virtus singularis ad multiplicia mala nostrae aetatis sananda [36]. Caeterum rememorari oportet fidem, quae non persuasibilibus humanae sapientiae verbis est aedificata sed ostensione spiritus et virtutis [37], solis rationis argumentis non firmari, sed potius *sermone Dei* qui est penetrabilior omni gladio ancipiti [38], *oratione* cui omnia sunt repromissa [39], et *bonis operibus* quibus homines illuminantur et ad bene agendum suaviter inducuntur [40].

[33] MODERNISTAE passim. Cf. *Il Programma* p. 95-6; 98-9; MURRI *Rivista di cultura* Agosto 1906; Maggio 1907; MINOCCHI *Studi religiosi* 1906 p. 113; BONAIUTI *Cultura sociale* 16 Ott. 1905; SEMERIA *Idealità buone* p. 23; etc. apud CAVALLANTI *Modernismo* etc. p. 173.

[34] PIUS X Enc. *Pascendi.*

[35] LEO XIII Enc. *Aeterni Patris;* PIUS X Enc. *Pascendi.*

[36] LEO XIII Litt. 4 Aug. 1880; MATTIUSSI in *Il Cattolico Militante* 15 Agosto 1904.

[37] 1 Corinth. **2**. 4.

[38] Hebr. **4**. 12.

[39] Matth. **21**. 22.

[40] Matth. **5**. 16.

ARTIC. 4 - DE MIRACULIS.

94. **Quid miraculum secundum nomen.** « *Miraculi* nomen, inquit S. THOMAS, a *mirando* est sumptum. Ad admirationem autem duo concurrunt... quorum unum est quod *causa* illius quod admiramur, *sit occulta;* secundum est, quod in eo quod miramur, appareat aliquid per quod *videtur contrarium* eius debere esse quod miramur... Hoc autem contingit dupliciter : uno modo *secundum se;* alio modo *quoad nos. Quoad nos* quando causa effectus, quem miramur, non est occulta simpliciter, sed occulta huic vel illi, nec in re, quam miramur, est dispositio repugnans effectui, quem miramur, secundum opinionem admirantis... *Secundum se* autem aliquid est mirum vel admirabile, cuius causa simpliciter est occulta, et quando in re est contraria dispositio secundum naturam effectui qui apparet : et ista non solum possunt dici *mira* in actu vel potentia, sed etiam *miracula,* quasi habentia in se admirationis causam »[1].

95. **Virtus, signum, portentum, prodigium.** Etsi aliquando haec dicantur de miraculo improprie dicto seu *quoad nos* tantum, saepe efferuntur de vero miraculo, cui addunt specialem ordinem ad causam, vel ad finem, vel ad excellentiam rei. « In miraculis, inquit S. THOM., duo possunt attendi : unum quidem est id quod fit, quod quidem est aliquid excedens facultatem naturae; et secundum hoc miracula dicuntur *virtutes.* Aliud est id propter quod miracula fiunt, scil. ad manifestandum aliquid supernaturale; et secundum hoc communiter dicuntur *signa:* propter excellentiam autem dicuntur *portenta,* vel *prodigia,* quasi procul aliquid ostendentia » [2].

96. **Quid miraculum secundum rem.** Ex nominali notione iam sequitur realis definitio, qua « dicitur esse miraculum *quod fit praeter ordinem totius naturae creatae* »[3]. Revera miraculum quatenus supponit *ignorantiam causae* rei, quae in admirationem abripit, excludit a ratione miraculi quidquid est in virtute creaturarum; licet enim ex his plurima nos ignoremus, alii tamen maxime angeli cognoscunt, unde non sunt mirabilia secundum se, sed solum per accidens et quoad nos. « Miraculum, inquit S. THOM., dicitur quasi *admiratione plenum,* quod scil. habet causam simpli-

---

[1] S. THOM. *De Potentia* q. 6 a. 2.

[2] S. THOM. 2-2 q. 178 a. 1; CORNELY in 2 *Corinth.* p. 333.

[3] S. THOM. 1 p. q. 110 a. 4.

citer et omnibus occultam. *Haec autem est Deus* »[4]. Qua vero parte miraculum supponit in subiecto *dispositionem repugnantem effectui,* quem miramur, excludit a sui ratione operationes quae sunt a Deo uti a *causa prima* ordinis naturalis [5] et supernaturalis [6]. — Miraculum itaque est id quod *fit,* quia est quidam effectus divinae virtutis : *praeter* (et non *supra*) *ordinem naturae,* quia admirationis ratio non repetitur ex supernaturalitate effectus [7], sed ex modo quo effectus (caeteroquin naturalis) obtinetur : praeter ordinem *totius naturae,* quia non sufficit quod operatio miraculosa excedat cursum alicuius *particularis* essentiae, sed requitur quod sit supra vim totius naturae creatae; si enim esset in potestate alterius creaturae, iam foret mirabile solum per accidens : praeter ordinem totius *naturae creatae,* quia miraculum non excludit divinam virtutem, neque ordinem divinae providentiae praetergreditur.

97. **Miraculum praeter, supra et contra naturam.** Nota imprimis quod particulae *praeter, contra,* et *supra,* non respiciunt proprie *effectum,* qui miraculo obtinetur; hic enim saltem ordinarie est in ordine eorum, quae natura efficiuntur [8]; sed signant modum divinae operationis, quae aliquando est tantum *praeter* naturam, cum scil. Deus effectum obtinet sine creata causa, quae posset illum producere [9]; aliquando est *contra* inclinationem naturae, cum scil. Deus per creaturam operatur effectum, quem illa non est nata inducere [10]; aliquando *supra naturam,* cum scil. Deus effectum producit qui, etsi inveniatur in aliqua creatura, tamen virtute creata produci nequit *in tali subiecto,* sive absolute [11], sive respective [12].

98. **Daemonum praestigia non sunt miracula.** « Dicendum, inquit S. THOM., quod..., si miraculum proprie accipiatur, daemones miracula facere non possunt nec aliqua creatura, sed solus

---

[4] S. THOM. 1 p. q. 105 a. 7.

[5] Scil. *creatio, conservatio, motio* ad agendum.

[6] Scil. *sanctificatio* et *iustificatio.*

[7] Ordinarie effectus miraculi non est *supra naturam* etsi, ut glorificatio corporis, esse possit.

[8] Sic v. g. *aperitione aurium* surdus acquirit auditum idem specie cum illo qui est in sano, et resurrectione collata est Lazaro vita, quam nos habemus nativitate.

[9] V. g. fugando febrim imperio sine medicina.

[10] V. g. sputo aperiendo oculos caeci nati vel refrigerando igne.

[11] V. g. glorificatio corporis.

[12] V. g. reditus vitae in mortuo.

Deus; quia miraculum proprie dicitur quod fit praeter ordinem totius naturae; sub quo ordine continetur omnis virtus creata. Dicitur tamen quandoque miraculum *large*, quod excedit humanam facultatem et considerationem: et sic daemones possunt facere miracula, quae scil. homines mirantur, in quantum eorum facultatem et cognitionem excedunt. Nam et unus homo, in quantum facit aliquid, quod est supra facultatem et cognitionem alterius, ducit alium in admirationem sui operis, ut quodammodo miraculum videatur operari »[13].

99. **Quomodo daemon praestigia sua operetur.** Ex tractatu *De Angelis* praesupposito angelos sive bonos sive malos solo imperio non operari, non posse animae illabi, neque immediate et per se corpora mutare sed ea tantum *contactu virtutis* motu locali transferre, dicendum est daemones dupliciter sua praestigia operari, *apparenter* et *realiter*. Et *apparenter* quidem dupliciter: « uno modo *ab interiori*, secundum quod daemon potest mutare phantasiam hominis, et etiam sensus corporeos ut aliquid videatur aliter quam sit...[14]. Alio modo *ab exteriori*. Cum enim ipse possit formare corpus ex aëre cuiuscumque formae et figurae, ut illud assumens in eo visibiliter appareat, potest eadem ratione circumponere cuicumque rei quamcumque formam corpoream, ut in eius specie videatur »[15]. Potest etiam daemon mirabilia *realiter* operari sive quam citissime substituendo uni rem aliam, quae ex prima videatur effecta, sive applicando activa passivis, quod ex perfecta naturae cognitione[16] ipsi facillimum est. « Et ideo dicendum, quod omnes mutationes corporalium rerum, quae possunt fieri per aliquas virtutes naturales, ad quas pertineant praedicta semina[17], possunt fieri per operationem daemonum, huiusmodi seminibus adhibitis, sicut cum aliquae res transmutantur in serpentes, vel ranas, quae per putrefactionem generari possunt »[18].

100. **Quomodo daemonum praestigia a veris miraculis, vel saltem ab operibus sanctorum angelorum secernantur.** Hoc iterum explicat S. THOM.: « Signa facta per bonos possunt distingui ab illis, quae per malos fiunt, *tripliciter* ad minus. Primo *ex efficacia virtutis operantis*. Quia signa facta per bonos *virtute divina* fiunt in illis etiam, ad quae virtus activa naturae nullo modo se extendit, sicut suscitare mortuos et huiusmodi, quae daemones

[13] S. THOM. 1 p. q. 114 a. 4.
[14] S. THOM. 1 p. q. 111 a. 3 et 4.
[15] S. THOM. 1 p. q. 114 a. 4 ad 2.
[16] S. THOM. 1 p. q. 58 a. 5; 64 a. 1.
[17] Quae scil. sunt in elementis mundi.
[18] S. THOM. 1 p. q. 114 a. 4 ad 2.

secundum veritatem facere non possunt; sed (apparenter imitare) in praestigiis tantum, quae durare non possunt. Secundo *ex utilitate signorum*. Quia signa per bonos facta sunt de rebus utilibus ut in curatione infirmitatum et huiusmodi, signa autem per malos facta sunt in rebus nocivis vel vanis, sicut quod volant in aëre, vel reddunt membra hominum stupida, et huiusmodi... Tertia differentia est *quantum ad finem*. Quia signa bonorum ordinantur ad aedificationem fidei et bonorum morum; sed signa malorum sunt in manifestum nocumentum fidei et honestatis. Et *quantum ad modum* differunt. Quia boni operantur miracula per invocationem divini nominis, pie et reverenter, sed mali quibusdam deliramentis, sicut quod incidunt se cultris et huiusmodi turpia faciunt. Et ita signa per bonos facta manifeste possunt discerni ab iis quae virtute daemonum fiunt »[19].

---

[19] S. THOM. *II Dist.* 7 q. 3 a. 1 ad 2. Cf. AUG. *De Civ. Dei* X c. 16 n. 2; XXII c. 10. *NB*. Si haec velis exemplo illustrare confer quae de prodigiis magorum Aegypti et de miraculis Moysis, habentur in Exodo **4-12**. Ea profecto differunt EFFICACIA VIRTUTIS, *a*) quia magi non potuerunt *omnia* facere quae Moyses operatus est (Exod. **8**. 18) : *b*) quia non fecerunt *eodem gradu,* siquidem magorum prodigia ludorum instar arctis limitibus continebantur, Moysis opera pene immensa erant, unde « Moyses percussit aquam *fluminis*... quae versa est in sanguinem (**7**. 20)» ; « extendit Aaron super aquas Aegypti et ascenderunt ranae *operueruntque terram Aegypti* (**8**. 6) » ; « extendit Moyses manum in coelum et factae sunt tenebrae orribiles *in universa terra Aegypti tribus diebus* (**10**. 22)» ; « percussit Dominus *omne primogenitum in terra Aegypti* a primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat, usque ad primogenitum captivae, quae erat in carcere et omne primogenitum iumentorum (**12**. 29) : *c*) quia *inaequali potentia* agebantur, siquidem serpens Aaron Aegyptiorum serpentes devoravit (**7**. 12), et Moyses poterat etiam plagas removere, quod non erat datum Aegyptiorum magis (**8**. 8-11). — Differunt UTILITATE SIGNORUM. Nam magorum prodigia nullum bonum afferebant, imo indurabant cor Pharaonis (**7**. 13, 22) ; Moysis miracula populi Israël liberationem obtinerunt. — Differunt FINE, siquidem miracula Moysis ostendebant Dei virtutem, quam ignorare jactaverat Pharao (**5**. 2) et ad liberandum Israël ab iniusta (Gen. **47**. 1-6) et crudeli (Exod. **1**. 10 sqq. ; **3**. 7 sqq. ; **5**. 5 sqq.) oppressione ordinabantur (**3**. 19. 20) : magorum prodigia detinebant Pharaonem ne iustitiam sequeretur. — Differunt MODO OPERANDI. Nam Moyses operabatur *in aperto* coram Pharaone et servis eius (**7**. 10, 20), *solo imperii signo* (**7**. 20, **8**. 6; 17 etc.), magi e contra fecerunt *per incantationes et arcana quaedam* (**7**. 11). — Differunt SANCTITATE AGENTIUM, nam magi Aegypti erant *malefici* (**7**. 1), Moyses vir *dilectus Deo et hominibus cuius memoria in benedictione est* (Eccli. **45**. 1).

101. **Miraculi duplex consideratio absoluta et relativa.** Hucusque miraculum consideravimus *absolute,* uti est effectus quidam in admirationem ducens, cuius causa principalis est Deus; sed interest nosse miraculum *relative,* h. e. in ordine ad revelationem, cuius est *nota* seu signum. Porro duplex est miraculi relativa virtus: *quoad se* et *quoad nos,* scil. miraculum habet *in se* vim testificandi veritatem revelationis in cuius confirmationem operatur, et *nos valemus* huiusmodi efficaciam cognoscere.

102. **Triplex miraculi cognoscibilitas historica, philosophica et moralis seu relativa.** Opus factum praeter ordinem totius naturae creatae considerari potest *secundum se,* prout est ens aliquod physicum, v. g. quod Lazarus, qui prius erat mortuus, nunc vivat: *in ordine ad causam* a qua processit, scil. quod Lazarus vivat non casu aut virtute humana, sed divina operatione: et tandem *in ordine ad veritatis demonstrationem,* scil. quod Lazari resurrectio facta sit ad probandum Christum esse Messiam. Secundum primum cognoscibilitas miraculi dicitur physica seu *historica,* secundum alterum *philosophica,* secundum tertium moralis seu *relativa.*

103. **Errores — Veritas.** Duae sunt errorum classes: eorum qui miraculi *possibilitatem* impugnarunt, et eorum qui *vim demonstrandi* revelationem ei inesse negarunt. Possibilitatem impetiti sunt NATURALISTAE et RATIONALISTAE [20] qui cum SPINOZA († 1677), LOCKE, KANT, WEGSCHEIDER, SCHLEIERMACHER, etc.[21] ipsam miraculi notionem corruperunt illud dicentes *effectum causae ignotae,* vel *id quod pietatis necessitas Deo tribuit,* et cum NEGRI tam repugnare miraculum opinantes, ut, si de visu constaret, non de illius veritate sed de propria infirmitate iudicandum existimarent [22]. Non denegata ipsa possibilitate miraculi, uti revelationis no-

---

[20] « In qualsiasi storia miracolosa, che venga riferita da un apologeta cristiano, non solo si deve considerare come inamissibile il miracolo dal punto di vista *storico,* ma ancora qualunque altra *circostanza* cristiana del medesimo miracolo » MOMMSEN in *Hermes.*

[21] Cf. H. MAZZELLA n. 146 in nota.

[22] Cf. quae diximus de interpretatione *psychologica* PAULI, DE-WETTE et STRAUSS, quibus addes W. JAMES *Princ. di Psic.;* SABATIER, HOLTZMANN, IÜLICHER, necnon quae de *defiguratione* et *trasformatione* fidei a MODERNISTIS proposita enarravimus.

tam maxime impugnant MODERNISTAE [23] qui de eius veritate historica vel philosophica vel relativa cum RENAN [24] constare certo non posse dixerunt. Contra utrumque errorem est **Veritas** definita in CONC. VATIC. : « S. q. d. miracula nulla *fieri posse*... aut miracula *certo cognosci* numquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem *rite probari;* a. s. »[25].

THES. 12. *Miracula, seu effectus qui fiunt praeter ordinem totius naturae creatae, sunt possibilia.*

104. Profecto si quae esset repugnantia miraculi vel se haberet ex parte *effectus,* qui contradictionem involveret, vel ex parte *causae,* quatenus praeteriret divinam virtutem, aut dedeceret divinam sapientiam et sanctitatem : atqui ex neutra parte desumi potest miraculi repugnantia ergo. MAIOR est evidens, siquidem res, quae non involvit contradictionem, est *intrinsece* possibilis; si vero adest causa, quae physice et moraliter valet illam producere, est possibilis etiam *extrinsece.* — PROB. MIN. *quoad* 1 *partem.* Nam non implicat miraculum *supra naturam,* quia, cum mundus sit perfectione finitus, plurima sunt possibilia quae praesentem naturae cursum praetergrediuntur : non implicat miraculum *praeter naturam,* quia si unus effectus obtineri nonnumquam potest a diversis causis naturalibus [26] a fortiori effectus naturalis supernaturaliter produci poterit a causa prima, quae per se potest quidquid est in virtute causarum secundarum [27] : non implicat miraculum *contra naturam,* quia effectus contrarius naturae cursui non obtinetur naturali virtute ipsius causae creatae, sed virtute Dei qui vel naturae creatae proprietates mutat vel contraria validiori activitate impedit modo simili quo in creatis virtus infirmior contraria validiori effectu frustratur [28]. — PROB. MIN. *quoad 2 partem.* Nam miraculum non repugnat *divinae virtuti,* quia *non est impossibile*

---

[23] DECR. *Lament.* p. 17; *Il Programma* p. 96; HUYSMAN *Les foules de Lourdes;* LE ROY in *Annales de phil. chrét.* apud *Civiltà* Gen. 1905; 18 Mag. 1907.

[24] RENAN *Vie de Jésus.* Intr. n. 96.

[25] CONC. VATIC. *Dei Filius* § 3 cn. 4.

[26] V. g. calefactio aquae motu, igne, electro obtinetur, et sanitas diversis medicinis.

[27] Hinc B. AGATA tyranno sciscitanti de recepta salute respondebat : « Medicinam carnalem corpori meo numquam exhibui, sed habeo D. J. C. qui solo sermone restaurat universa » LITURG. Off. *S. Agat.*

[28] V. g. magnes attrahit ferrum quod gravitatis lege terram appeteret, medicina fugatur morbus, qui mortem erat illaturus, chymicis substantiis impeditur combustio ignis, qui caeteroquin

apud Deum omne verbum [29] : non repugnat *divinae sapientiae,* quia « Deus ab aeterno praevidit et voluit se facturum quod in tempore facit; sic ergo instituit naturae cursum, ut tamen praeordinaretur in aeterna sua voluntate, quod praeter cursum istum quandoque facturus erat »[30] : non repugnat *divinae bonitati,* quia miracula raro contingunt et gravi de causa, unde non perturbant naturales nostras cognitiones de cursu naturae, et si quando cedunt in damnum physicum quorumdam [31], ordinantur tamen ad altius bonum morale, siquidem melius manifestant divinam bonitatem [32], « ad intelligendum Deum de visibilibus admonent humanam mentem »[33], atque credibilem reddunt revelationem cuius « signa sunt certissima et omnium intelligentiae accomodata »[34], et quodammodo necessaria, ne rudes et simplices ex falsis miraculis paganorum et haereticorum in errores inducantur [35].

105. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Illud fieri nequit in creatura, ad quod creatura potentiam receptivam seu passivam non habet : atqui... : ergo. **Resp.** *Dist. ant.:* ad quod creatura non habet potentiam naturalem nec obedientialem *conc.;* ad quod non habet potentiam naturalem *subd.:* fieri nequit virtute creata *conc.,* virtute divina *neg.* « Nihil prohibet quin natura creata sit in potentia ad aliqua, per divinam potentiam facienda, quae inferior potentia facere non potest; et ista vocatur *potentia obedientiae,* secundum quod quaelibet creatura Creatori obedit »[36].

---

excandesceret etc. Hinc HIER. in *Dan.* **3**. 24 loquens de tribus pueris, qui in fornace Babylonis igne non sunt consumpti, scribit quod Deus fecit ut « arderent vincula quibus ligati fuerant sed victorum corpora timens *flamma non tangeret* », scil., ut clarius explicat THEOD. apud *Knab.* in *Dan.* p. 122, angelus « flammam dissipabat et mediam fornacis partem ignitis carbonibus nudans, auram quamdam frigidam ac mediocriter humidam, quaeque sanctis multam afferret voluptatem, ignem afflare ac parere faciebat atque hanc in corpora sanctorum immittere».

[29] Luc. **1**. 37. Scil., ut explicat KNAB., Deus omnipotens cuncta efficere potest.

[30] S. THOM. *De Potent.* q. 6 a. 1 ad 6. Miraculum est pars Providentiae, unde « Deus contra *solitum cursum* naturae facit; sed contra *summam legem* nullo modo facit, quia contra seipsum non facit ». AUG. *C. Faust.* XXVI c. 3.

[31] Cf. plagas Aegypti.

[32] S. THOM. *Cg.* III c. 99.

[33] AUG. in *Joan.* tr. 24 n. 1.

[34] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 3.

[35] Cf. Matth. **24**. 24; AUG. *De Civ. Dei* XXII c. 8-10; DE-BROGLIE *Problemi e Conclus.* c. 10 p. 403.

[36] S. THOM. *De Potent.* q. 6 a. 1 ad 18.

106. **Obiic. 2.** Insipientis est statutas leges mutare : atqui leges naturae sunt a sapientissimo Deo : ergo [37]. **Resp.** *Nego suppositum,* nam miraculis neque mutantur *leges naturae,* neque mutatur divina *providentia* : non mutantur leges naturae quia miraculum est *opus* divinum *praeter* ordinem naturae ; non mutatur divina providentia, quia Deus in ordinatione mundi exceptiones praevidit et sapientissimis de causis voluit. « Ex divina providentia, inquit S. THOM. loquendo de efficacia orationis, non solum disponitur *qui effectus* fiant, sed etiam *ex quibus causis* et *quo ordine* proveniant... Unde oportet homines agere aliqua, non ut per suos actus divinam dispositionem immutent, sed ut per actus suos impleant quosdam effectus secundum ordinem a Deo dispositum » [38].

107. **Obiic. 3.** Si miraculum esset possibile, scientia physica esset impossibilis, siquidem de phaenomenorum causis dubitari posset : atqui... : ergo[39]. **Resp.** De causis phaenomenorum dubitari posset si miracula ordinarie fierent et de divino interventu constare non posset *conc.;* si raro contingant et morali diligentia adhibita exceptio a naturae cursu probari queat, *neg.* — Non solum miracula non impediunt notitiam legum naturalium, sed potius actum esset de harum certa cognitione si miracula non essent *praeter* ordinem totius naturae ; cum enim quaedam facta miraculosa [40] negari nequeant, pro eorum explicatione recurrendum foret ad causas ignotas, quae, cum nec adverti, nec praecaveri, nec dignosci possent, iudicium mentis semper in ancipiti tenerent [41].

108. **Obiic. 4.** Ordo naturae fluit ab essentiis rerum : atqui essentiae sunt immutabiles : ergo. **Resp.** *Dist. mai.:* connaturaliter fluit ab essentiis *conc.,* essentialiter *neg. Dist.* etiam *min.:* essentiae abstractae sunt immutabiles *conc.,* in concreto, prout sunt res naturae, *neg.* Cursus naturae non est aliud quam constans explicatio virium naturalium, unde ad essentias rerum se habet, sicuti se habent vires naturae, quae ab essentiis quidem procedunt, sed illas non constituunt nec eis essentialiter competunt ; non repugnat ergo divina virtute rerum proprietates mutari vel cursum naturae suspendi. Adde essentias dici immutabiles si *abstracte* considerantur [42] ; in *concreto* enim quotidie videmus naturas

---

[37] SPINOZA, *Trac. Theol.* pol. c. 6 ; SEAILLES *Les affirmations de la consc. mod.* Paris 1903 p. 33-4.

[38] S. THOM. 2-2 q. 83 a. 2.

[39] SEAILLES *l. c.* p. 35.

[40] V. g. incurabilis infirmitatis repentina sanatio, ignotae linguae locutio, etc.

[41] Cf. MONSABRÈ *Int. al Dogma catt.* III p. 97 ; FARGES *L'idée de Dieu d'après la raison* etc. p. 3 c. 3 et 4 ; MACINAI *Natur. e Sopran.* in *Armonie* 10 Nov. 1906.

[42] V. g. quod homo sit animal rationale ex anima intellectiva et corpore coalescens.

corrumpi et generari, ut patet de ligno quod transit in cineres et de alimento quod fit caro manducantis: porro miraculum non essentias abstractas sed concretas naturas respicit.

THES. 13. *Miraculum, quod fit in confirmationem revelationis, — 1 invicte probat huius existentiam: — 2 nobis autem constare potest de veritate historica, philosophica et relativa miraculi quod in confirmationem revelationis patratum est.*

109. **Prima pars.** *Miraculum, quod fit in confirmationem veritatis revelatae, huius existentiam invicte probat.* Nam cum miraculum sit opus divinum, si apponatur doctrinae, est quasi sigillum Dei seu testimonium divinitatis de illa: atqui Deus falsum testificare nequit: ergo si miraculum fit in confirmationem doctrinae, quae ut revelata proponitur, veritatem revelationis indirecte quidem sed invicte probat.

110. **Secunda pars.** *Cognosci potest veritas historica miraculi.* Profecto uti iam supra notavimus essentia miraculi non est in *re producta* sed in *modo* quo fit; unde supernaturalitas miraculi respicit causam, non effectum, qui in ordine rerum sensibilium continetur et non secus ac cetera facta historica de *visu* percipitur a praesentibus, de *auditu* ab absentibus. Nisi ergo veracitatem sensuum negare velimus, concedere debemus cognoscibilitatem miraculi pro his qui eius effectioni adsunt; nisi omnem fidem humanam, omnemque historicam veritatem evertere maluerimus, fateri debemus de miraculo olim vel alibi patrato certam haberi posse notitiam. Profecto quae difficultas pro his, qui in domo Mariae et Marthae aderant, ut cognoscerent Lazarum quatriduanum foetentem voce Christi ad vitam fuisse revocatum, nec solum apparenter sed realiter, cum dein eum viderint mensae assidere, Christum comitari, episcopatu potiri ac tandem pro fide mori? Quae difficultas ut huiusmodi factum publicum per testes fide dignos certis documentis traderetur? — COGNOSCI POTEST VERITAS PHILOSOPHICA. Nam de miraculis *supra naturam* probari potest ea excedere virtutem totius naturae creatae [43]; de miraculis *praeter* vel *contra* naturam ostendi potest non esse ab homine, neque a daemone sed

[43] Resurrectionem mortui et generationem organi vitalis nulla creata vi fieri posse infra declarabimus. Interim cf. S. THOM. 1 p. q. 91 a. 1 et 3; q. 114 a. 4 ad 2; 3 p. q. 75 a. 4 ad 3.

a Deo vel saltem ab angelo bono [44] : ergo. MINOR. prob. per partes. Et primo quidem *factum superare virtutem humanam* costat ex *nobilitate* effectus, qui limites nostrae virtutis praetergreditur, vel ex *modo* quo contigit, puta solo imperio sine virium naturalium usu : *non deberi* autem *diabolicae deceptioni* deducitur : *a*) ex ordine divinae providentiae, *b*) ex voluntate salvifica, *c*) ex daemonum conditione. Profecto *a*) Deus qui in mundo diversas creavit naturas, sua Providentia impedire debet ne inferiores a superioribus impediantur in prosecutione proprii finis : unde sicut in ordine physico feras sylvis detinet, ne, in civitates irruentes, humanum genus extinguant, ita in morali, cum veraces nobis tribuerit sensus, curare debet ne per daemones invincibiliter decipiamur [45]. *b*) Accedit [46] quod Deus *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* [47], *non patiens nos tentari supra id quod possumus* [48] : atqui si falsa a veris miraculis secerni non possent in tentationem plus quam humanam saepius incideremus et veritatum supernaturalium cognitio foret impossibilis : ergo [49]. *c*) Tandem nota daemones, rudentibus inferni detractis in tartarum cruciandis [50], esse in termino; quapropter si nobis est *colluctatio adversus principes et potestates, contra spiritualia nequitiae in coelestibus* [51], potius quam ex ordinario naturae cursu, provenit a speciali dispensatione Dei [52], qui imperscrutabili suo iudicio in peccatorum nostrorum poenam, in virtutis experimentum, et ad coronas augendas, eos permittit hominem tentare : atqui profecto suae *bonitati et sanctitati* debet Deus ne daemonibus licentia fiat supra modum nocendi [53] : ergo. Ceterum si absque gravi motivo

---

[44] Opus *supra-humanum* quod fiat per angelum non esse verum miraculum ex ipsa miraculi definitione constat; esse tamen argumentum veritatis inde patet quod angelus, utpote sapiens, decipi nequit, utpote bonus, decipere non potest.

[45] Daemones non posse, nisi quod Deus iustis de causis permittit, videbis etiam apud CHRYS. in *Matth.* hom. 29 c. med.; AUG. *De Trin.* III c. 7 et 8; in *Ps.* **96** n. 12; GREG. M., *Moral.* 18 c. 2 n. 4; S. THOM. 2-2 q. 165 a. 2 ad 3; 3 p. q. 29 a. 1 ad 4.

[46] Si argumentum ab instantia circuli vitiosi eximere vis, elevationem ad ordinem supernaturalem considera quoad *possibilitatem*.

[47] 1 Tim. **2**. 4.

[48] 1 Corinth. **10**. 13.

[49] Quomodo Christi passione diaboli potestas fuerit coarctata videbis apud AUG. *De Trin.* XIII c. 13 et 14; S. THOM. q. 3 p. q. 49 a. 2.

[50] 2 Petr. **2**. 4.

[51] Ephes. **6**. 11.

[52] Job. **1**. 7-12; **2**. 1-6.

[53] SUAREZ *De myst. vitae Christi* disp. 31 sect. 2 n. 8.

de diabolico interventu suspicari liceret, de obiectivitate cognitionum nostrarum semper dubitandum foret et in putridum scepticismum ruendum. — COGNOSCI POTEST VERITAS RELATIVA. Nam ad hoc sufficit quod miraculum ex aperta declaratione agentis vel ex natura rei vel ex circumstantiis fieri constet in confirmationem doctrinae, quae uti revelata proponitur. *Ex aperta declaratione* quando scil. homo vel angelus, qui uti instrumentum Dei miraculum operatur, expresse adducit ad ostendendam veritatem suae missionis, vel supernaturalitatem propositae doctrinae, ut v. g. cum Isaias offerebat Achaz miraculum pro signo futurae liberationis Iudae de manibus Rasin et filii Romeliae [54], et Christus manifestabat suam potestatem remittendi peccata sanando paralyticum [55] legitimitatemque suae missionis resuscitando Lazarum [56]. *Ex natura rei,* quando scil. miracula plurima, ad peculiarem finem non ordinata, manifestant sanctitatem agentis, cui tamquam familiari et amico Dei fidem conciliant, sicut contigisse novimus in Christo et Apostolis [57]. *Ex circumstantiis* quando scil. ratione temporis, locorum, quaestionis propositae, etc., miraculum cedit in confirmationem alicuius doctrinae, sicut cum Christus coram discipulis Joannis, patratis miraculis, voluit ut illa renuntiarent magistro [58]. Ratio est quia operatio instrumenti et principalis agentis una eademque est, et ideo bonitas vel malitia operationis instrumenti imputatur principali agenti si ab ipso pendet quod actus sit vel non sit. Cum itaque intentio [59] operantis miraculum in confirmationem doctrinae influat in bonitatem vel malitiam ipsius operis miraculosi [60], merito eius intentio imputatur Deo. Nonne obsignatio decreti facta a ministro sigillo regis imputatur regi qui scienter non contradicit? atqui miraculum est sigillum Dei a Dei ministro appositum, Deo non contradicente imo libere cooperante. **Confirmatur** ex generali regula divinae providentiae, quia si in opere

---

[54] Isai. **7**. 7 sqq.

[55] Matth. **9**. 6. *NB*. testimonia infra dabimus veritatem miraculorum Christi et Apostolorum probantes.

[56] Joan. **11**. 42-3.

[57] Cf. Joan. **9**. 3-6.

[58] Matth. **11**. 3-6.

[59] Non loquimur de *intentione* pure interna *agentis,* sed de intentione *operis,* quae ex circumstantiis innotescit, quaeque una est in causa principali et instrumentali.

[60] Profecto opus, quod confirmat veritatem, est bonum, quod autem in falsum inducit est malum.

miraculoso alia esse posset intentio hominis et intentio Dei, foret impossibile hanc ab illa discernere et sic perpetuo dubio laboraremus omnes [61].

111. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Miraculum est opus *hyperphaenomenicum* seu supernaturale [62]: ergo historicam cognitionem aufugit et debetur defigurationi et transformationi fidei [63]. **Resp.** *Dist. ant.* Uti saepius diximus miraculum est supernaturale quoad *causam* non quoad *rem* effectam [64]: causa vero supernaturalis etsi sensu non percipiatur, ex insufficientia causarum naturalium detegitur, non secus ac existentia invisibilis Dei arguitur ex existentia mundi visibilis.

112. **Obiic. 2.** « Facilius est mille testes errare aut decipere, quam factum legibus naturae repugnans existere: primum moraliter tantum impossibile et experientiae consonum; secundum vero physice impossibile, et experientiae contrarium est »[65]. **Resp.** *Nego suppositum,* nam miraculum *non repugnat* legibus naturae, sed est aliquid *praeter naturae cursum* effectum.

113. **Obiic. 3.** « In omni miraculo contra unum testem mille insurgunt; ex gr. si unus testetur mortuum resuscitatum fuisse, milleni testes affirmant mortuos ad vitam non redire »[66]. Ergo. **Resp.** *Neg. ant.* Nam contradictio est affirmatio et negatio *unius eiusdemque, sub eodem respectu;* porro qui testantur mortuum resurrexisse non loquuntur de lege naturae neque de illis mortuis, quos milleni viderunt, sed de exceptione a lege et de illo uno quem caeteri ignoraverunt.

114. **Obiic. 4.** CONTRA VERITATEM PHILOSOPHICAM. Ut quis iudicet factum esse supra naturae virtutem, omnes naturae vires cognoscere deberet: atqui multas naturae virtutes ignoramus: ergo de miraculi veritate iudicare nequimus [67]. **Resp.** *Neg. mai.,* vel *dist.*: cognoscere deberet singulas naturae vires *neg.,* limites virium naturalium vel saltem eorum non usum *conc.* Ordinarie veritas miraculi non petitur ex defectu virium naturalium sed ex *non usu* earum, qui constat ex circumstantiis et maxime quia miracula *sine temporis mora* et *solo imperio* vel *re* omnino *inepta* [68] fiunt. Cum vero miraculum desumitur

---

[61] Cf. C. MAZZELLA n. 214 sqq.

[62] MODERNISTAE in *Il Programma* p. 111.

[63] W. JAMES *Principii di Psicol..;* LE ROY *Annales de phil. chrét.* apud *Civiltà* 18 magg. 1907; PIUS X Enc. *Pascendi.*

[64] Cf. n. 110.

[65] HUME'S Works ed. 1770 III p. 178.

[66] HUME'S *l. c.*

[67] Cf. SPINOZA, BAYLE, HUME, VOLTAIRE, FONTENELLE, SABATIER apud H. MAZZELLA n. 167; SEMERIA *Venticinque anni* etc., ed. 2 p. 255-6.

[68] V. g. aquam fontis Lourdes non

ex defectu virium naturalium argumentum non procedit ab exquisita notitia legum physicarum, sed a limitatione virtutis creatae et a generica ratione operationis eius, quae inductione [69] et principiis metaphysicis innotescunt [70]. In quaestione itaque de miraculis non iudicamus de *ignotis,* sed ex *notis* [71].

115. **Obiic. 5.** Constat praestigiatores multa facere quae a vulgo miracula reputantur : atqui in scientia omnes sumus infantes ab eius perfectione magis remoti quam rudes a scientia praestigiatorum. Ergo. **Resp.** *Non est paritas* inter vulgum, qui curiose spectaculis adest, et sapientem, qui solicite miraculum examinat ut de veritate fidei certioretur : ille rem mirabilem expectat, hic contrario praeiudicio movetur : ille in theatro, pluribus intentus, ad singula non attendit, hic in secreto omnes circumstantias diligenti subiicit considerationi : ille mere spectatur, quae histrio agit, hic expendit quod ipsemet vel alius in testimonium veritatis adducit : ille scit a mimo decipi, hic divina providentia a deceptionibus praeservari noscit. Ceterum inter prodigia praestigiatorum et miracula fidei infinita est distantia *a*) quoad res effectas, *b*) quoad finem agentium, et *c*) quoad circumstantias temporum et locorum, ut consideranti patet.

116. **Obiic. 6.** Phaenomena hysterismi, hypnotismi, telepatiae, radiorum X. Y etc. omnino similia sunt miraculis sanctorum [72] : miracula ergo potiusquam opera divina aestimanda sunt facta *psychologica,* quae sub initio diffusionis cuiusvis religiosae societatis ex palingenesis expectatione reproducuntur [73]. **Resp.** Phaenomena hysterismi et radiorum X, Y, etc., naturae legibus includuntur, determinatas conditiones

---

habere naturalem virtutem sanandi, constat *a*) ex chymica eius compositione, *b*) quia unicum remedium diversis malis mederi nequit, et *c*) quia non omnes nec semper sanat.

[69] *Inductio* non necessario esse debet *physice* universalis; secus qui vellet v. g. de asino iudicare irrationalitatem, omnes asinos mundi examinare deberet. Profecto cum diversa entia eiusdem speciei in diversissimis circumstantiis idem agunt, merito tenetur operationem non deberi individuo, sed naturae, seu speciei, quae sola immutata permansit : si ergo diversissimae species creatae in eadem generica ratione operandi, v. g. *exeundi de potentia in actum,* conveniunt, dicendum est talem modum operandi non sequi speciem sed rationem ipsam entis creati, ac proinde convenire etiam creaturis nobis ignotis.

[70] Quaenam sint haec principia dicemus agentes de miraculis religionis christianae.

[71] Cf. MACINAI *Naturale e sopran.* in Armonie 25 ott. 1906.

[72] CHARCOT *La foi qui guérit;* BERNHEIM *De la suggestion;* NORIAGOF *N. D. de Lourdes et les sciences de l'occulte;* MANTEGAZZA *Le estasi umane;* GATIOLET *Anatomie comparée du système nerveux dans les rapports avec l'intelligence;* etc.

[73] ANONYM. *Il Programma* etc. p. 81.

supponunt quas necessario sequuntur et regulis traditis a BENED. XIV optime distingui possunt a miraculis [74]. - - Multa hypnotismi et telepatiae foenomena vires physicas profecto superant, nec explicantur sola humana industria, ac proinde assimilantur miraculis *praeter naturam,* eo quod fiant interventu daemonum [75]; distingui tamen possunt a veris vel aequivalentibus miraculis regulis supra traditis cum S. THOMA [76]. — Quod autem miraculorum notitia sit factum mere psychologicum non determinatum a realitate eventus sed a commotione nervorum vel ab instinctu religioso, gratis asseritur; miraculum enim, ut supra notavimus quoad ipsas circumstantias supernaturales percipi potest sensu et ratione iudicari non secus a phoenomenis naturae.

117. **Obiic. 7.** CONTRA VERITATEM RELATIVAM. In omni religione sunt miracula ut patet de oraculis Delphi et Mempheos, de prodigiis Zoroastri, Vespasiani et fackirorum Indiae, qui duobus horis semen germinare ramosque extendere faciunt [77]. Ergo non sunt signum revelationis. **Resp.** *Nego paritatem.* Quae miracula falsae religionis dicuntur generatim miracula non sunt [78], sed prodigia diabolica fraude patrata, quae certitudine, numero, magnitudine, effectu, fine et circumstantiis [79] tam differunt a veris, ut, quin infirment, illa potius confir-

---

[74] BENED. XIV *De serv. Dei beatif.* IV p. 1 cp. 8 n. 2; F. SALIS-SEEWIS *Le estasi, le stimmate e la scienza;* BOISSARIE *Lourdes Storia medica* IV c. 10 et 11 p. 419 sqq.; etc.

[75] De his agemus in trac. *De Angelis.*

[76] Cf. n. 100.

[77] TAC. *Hist.* IV n. 81; SUETON., in *Vesp.* n. 7; JACOLLIOT *Spirit. dans le monde.*

[78] Per se non repugnat vera miracula in falsa religione operari in testimonium veritatis vel virtutis.

[79] *Certitudine* siquidem, ut ait AUG. *De Civ. Dei* XXI c. 6, « non habemus necesse omnia credere quae continet historia gentium, cum et ipsi inter se historici, ut notat VARRO (Cf. etiam C. MAZZELLA n. 216 in nota), quasi data opera et quasi ex industria per multa dissentiant », ac fabulosas circumstantias manifeste addant (DE BROGLIE *Problemi* etc. c. 11 p. 404); *numero* nam falsarum religionum portenta pauca enumerantur, miracula vero Christi, Apostolum et Sanctorum ut infra videbimus pene inumera sunt: *magnitudine,* nam in nulla falsa religione exhibetur vel una resurrectio mortui aut restitutio organi vitalis deperditi, sed opera tantum quae angelica virtute fieri possunt, (Cf. AUG. *De Civ. Dei X* c. 16, FARGES *L'idée de Dieu* etc. p. 3 a. 3, DE BROGLIE *l. c.*): *effectu* nam daemon hominis inimicus vera bona non confert, unde videmus hypnoticas curationes non esse constantes aliasque infirmitates pejores adducere (DES MOUSSEAUX *La magie au XIX siècle* ch. 12): *fine* nam prodigia falsarum religionum vel curiositatis satisfaciendae causa, vel ex levitate, vel impio quodam fine, Deo indigno, patrantur (S. THOM. 1 p. q.

ment, non secus ac commune vitrum lapillum pretiosum sua imperfectione ostendit. Hinc CHRYS. suo iam tempore notabat quod « ideo interdum falsa fieri Deus signa concessit, ut abundantius vera monstraret. Propterea et pseudoprophetas tempore prophetarum, et pseudoapostolos cum Apostolis apparere permisit, ut disceres, quia splendentes eius ubique virtutes nequaquam obscurare posset similitudo et umbra quaedam virtutum »[80].

118. **Obiic. 8.** In confectione sacramentorum minister potest sibi constituere finem diversum a fine Dei : ergo etiam in miraculis. **Resp.** *Nego paritatem* et insuper *dist. antec.:* potest sibi praestituere alium finem agentis *conc.,* operis *neg.* Imprimis non est paritas inter sacerdotem et virum thaumaturgum; virtus enim ministerialis innitur characteri, qui indelebiliter sacerdoti inest, quique proinde pro arbitrio sua utitur potestate; virtus e contra thaumaturga saepe in nullo habituali dono fundatur [81] et cum procedit a gratia gratis data [82] quoad usum a Deo pendet [83], a quo per modum actus [84] precibus saltem ordinarie obtinetur [85]. Porro *finis operis* sacramentorum non est demonstratio alicuius veritatis, sed collatio gratiae in eoque intentio ministri et intentio principalis agentis, scil. Christi et Dei, inter se cohaerere debent, ut ex tractatu *De Sacramentis* constat. Si ergo paritas teneret, non argumenti infirmatio, sed confirmatio potius haberetur, siquidem finis demonstrandi veritatem, etsi sit extrinsecus miraculo per se inspecto, ex circumstantiis tamen fit ei intrinsecus seu *finis operis;* unde sicut in sacramentis, cum agitur de fine operis, intentio ministri cohaerere debet cum intentione Dei, ita et in miraculis finis hominis comprobandi aliquid miraculo consonare debet cum fine Dei.

ARTIC. 5 - DE PROPHETIIS.

119. **Quis propheta.** A graeco προφάναι prophetam noncupari omnes dicunt, sed quid exprimat graeca vox disputant auctores. Scholastici communiter cum S. Thoma vertunt *ante* seu *procul videre* aut *dicere;* unde prophetas vocant qui « cognoscunt ea quae

---

114 a. 4 ad 3) : *circumstantiis* nam non solo imperio fiunt, sed incantationibus, ritibusque ridiculis et obscenis (S. THOM. II Dist. 7 q. 3 a. 2 ad 2, DE BROGLIE *Problemi* p. 219).

[80] CHRYS. *De Laud. S. Pauli* hom. 4 cir. med.

[81] Cf. Num. **23-24**; Joan. **11**. 49-52.

[82] Cf. 1. Corinth. **12** et **14**.

[83] Cf. 2 Reg. **7**. 2-3.

[84] Jud. **14**. 6; 1 Reg. **10**. 12-3.

[85] Jud. **16**. 28 sqq.; 1 Reg. **8**. 6; Jer. **32**. 16 sqq.; **33**. 2 sqq.; etc. Cf. etiam S. THOM. 2-2 q. 171 a. 2; 178 a. 1 ad 1; CORNELY *Introd. in S. Scrip.* Disp. VI § 1 n. 4; in 1 *Corinth.* **14**. 28 p. 440.

sunt procul et remota ab hominum cognitione »[1]; sed apud graecos προφάναι est *pro aliquo* seu *vice alicuius loqui,* unde, teste FESTO, « prophetae nominabantur fanorum antistites et oraculorum *interpretes* »[2]. Alter hic sensus notissimus Judaeis, qui munus propheticum tribuebant legatis Dei ad Israël[3], derivatur ab *Exodo*[4], qui Aaron vocat *prophetam Moysis* utpote eius *interpretem* apud Pharaonem, insinuatur a Petro cum prophetis tribuit quidquid ex divina inspiratione scriptum est[5], innotuit Patribus[6] et praefertur a CORNELY, qui docet prophetas V. T. fuisse « supremos et authenticos magistros filiis Israël a Deo constituitos, ut foedus per Moysen datum conservarent, explicarent, excolerent, atque novum foedus per Christum dandum praepararent »[7]. Verum prophetae, antequam munus interpretis Dei et magistri populi assumerent, *signis* propriam missionem comprobare debebant, maxime annuntiatione futuri, quod, si eveniebat, fidem eis conciliabat, si non implebatur, falsus propheta extremo supplicio adiudicabatur[8]. Hinc synedoche nomen prophetae eis est impositum qui futura praedicunt[9], licet aliquando dicatur etiam de scrutatore cordium[10], de sacro scriptore[11], de compositore seu cantore sacrorum hymnorum[12], imo de viro prae vulgo erudito[13].

120. **Quid prophetia.** Ex sensu vocis *prophetae, prophetia* intelligitur; si enim propheta vocatur legatus Dei ad populum, prophetia est admonitio vel instructio ex divina missione hominibus data; si vero propheta dicitur qui futura annuntiat, prophetia est *inspiratio et revelatio divina immobili veritate eventus rerum denuntians*[14]. De hac, cum nobis agendum sit, praestat quaedam addere. Itaque prophetia est *inspiratio divina,* quia creatis viribus non

---

[1] S. THOM. 2-2 q. 171 a. 1.

[2] Cf. ROB. STEPH. *Thes. graec. ling.* s. v.

[3] CORNELY *Intr. in S. Scrip.* Diss. I § 2 n. 3.

[4] Exod. **7.** 1; cf. **4.** 6.

[5] 2 Petr. **1.** 20-1.

[6] CHRYS. in 1 *Corinth.* hom. 36 n. 4; in *Act.* hom. 19 n. 3; AUG. *Quaes.* 17 in *Exod.* **7.** 1.

[7] CORNELY *Int. in S. Script.* Diss. VI § 1 n. 3; in 1 *Corinth.* **13** in fine; BECAN. *Analog. V et N. T.* VIII quaes. 2.

[8] Deut. **18.** 22 coll. **13.** 5; **34.** 10-2; Ps. **76.** 9. Vide supra n. 89.

[9] Act. **3.** 18; **11.** 28; **21.** 10 etc.

[10] Joan. **4.** 19.

[11] 2 Petr. **1.** 19-21.

[12] 1 Reg. **10.** 5-6.

[13] Tim. **1.** 12 sqq.

[14] CASSIOD. apud *S. Thom.* 2-2 q. 171 a. 1 ad 4; a. 3 ad 1.

potest homo futurum cognoscere, sed eget supernaturali influxu gratiae, qui generico nomine dicitur *inspiratio* seu motio (in intellectu et voluntate recepta) ad aliquid agendum vel recipiendum. Est *revelatio,* quia inspiratio dari potest etiam pro usu praecedentium cognitionum, dum prophetia importat manifestationem rei occultae, quae, nisi Deus manifestasset, penitus ignoraretur. Revelatio *rerum eventus,* quia obiectum prophetiae non sunt mysteria, qua talia, sed res contingentes scil. futura libera. *Denuntians,* sive quia prophetia aliquid praedicit, sive et principalius quia prophetia non ordinatur in bonum solius prophetae, sed praecipue aliorum, qui prophetae magisterio ad cognitionem futuri adducuntur. *Immobili veritate,* quia non agitur de coniecturali notitia, sed de cognitione certa; licet enim prophetia non auferat libertatem creaturarum, ex aeternitate tamen Dei, qui praesentialiter adest futuro [15], mutuatur absolutam certitudinem. Immobilitas prophetiae exprimit etiam eius sensum *determinatum* qui, si ante eventum non semper innotescit [16], post eventum tamen manifeste patere debet.

121. **Errores — Veritas.** Ut praetereamus antiquos EPICUREOS et STOICOS qui ex fatalismi principiis [17], ipsum obiectum prophetiae adversati sunt, notum est CICERONEM prophetiam negasse utpote libero arbitrio contrariam [18]. Accesserunt SOCINIANI nihil rationi impervium admittentes [19], et secuti sunt RATIONALISTAE et MODERNISTAE [20] qui vel penitus prophetias negarunt [21] vel verbotenus admittentes, dixerunt esse vagum futuri sensum, vel sonambulismi statum, vel generalem quamdam promissionem Dei [22], vel etiam illusionem, qua perfecti reputant se ideas Dei intueri[23]. **Veritas** proposita est a PIO IX docente fidem *vaticinationibus* esse confirmatam et a CONC. VATIC. quod inter revelationis invicta

---

[15] S. THOM. 1 p. q. 114 a. 13; *De Verit.* q. 2 a. 12; *Cg.* 1. 67.

[16] CORNELY *Intr.* etc. Diss. VI § 3 n. 4.

[17] ROHRBACHER *Stor. univ. della Chiesa* Lib. 6 et 20.

[18] CIC. *De div.* II c. 6.

[19] WOUTERS *Comp. Hist.* Ecc. ep. X n. 56.

[20] Miracula et prophetiae, inquiunt in *Il Program.* p. 96, « urtano anzichè meravigliare la coscienza contemporanea ».

[21] VOLTAIRE *Essai sur les moeurs et l'esprit des nations;* KANT *Anthropol.* S. 103.

[22] HASE *Dogmatique* § 139; WEGSCHEIDER *Inst. theol.* I p. 300; BRETSCHNEIDER *Dogmat.* I § 20; STRAUSS etc.

[23] EDWALD *Die Propheten des alten Bundes erklärt;* REUSSE etc.

argumenta cum miraculis recenset *prophetias,* infinitam Dei scientiam ostendentes [24].

THES. 14. *Prophetia, quae* — 1 *certe est possibilis, si datur in confirmationem veritatis revelatae,* — 2 *eam demonstrat* QUOAD SE — *et* 3, *cum eventu est comprobata, etiam* QUOAD NOS.

122. **Prima pars.** *Prophetia est possibilis.* Duo requiruntur ad prophetiae possibilitatem: *a*) quod Deus futurum contingens cognoscat, et *b*) quod possit manifestare. Atqui *a*) Deum non solum cognoscere praesentia et praeterita, sed omnia futura contingentia demonstrabimus in tract. *De Deo* ex immutabilitate divinae scientiae, ex aeternitate qua Deus iam adest futuro et ex perfectione suae essentiae, quae est imago futuribilium; ex his enim constat quod Deus *omnia scrutatur* [25], *abyssum* quoque *et cor hominis* [26], et *vocat ea quae non sunt ac si essent* [27]. Porro *b*) futurum posse a Deo hominibus manifestari patet ex praedictis de possibilitate revelationis.

123. **Secunda pars.** *Prophetia habet* QUOAD SE *vim comprobandi veritatem revelationis in cuius confirmationem adducitur,* Nam non secus a miraculo est opus divinum, quod cum cedit in confirmationem doctrinae est infallibile argumentum veritatis. Profecto futurum contingens viribus naturae nullo modo cognosci potest: non *in se* quia *futurum,* non in *causa* quia *contingens;* si ergo homo illud cognoscit et praedicit, profecto est ex divino interventu, ex quo sequitur prophetiam esse quasi sigillum Dei, illud confirmans ad quod probandum adducitur. Confirmatur **universali consensu** populorum qui praedictiones futuri ex origine *divinationes* [28] nuncuparunt, et deos de futuris contingentibus consuluerunt [29]. Nec aliter loquitur **Scriptura,** quae futuri annuntiationem pro signo divinitatis [30] atque divinae missionis [31] habet; unde et Christus appellat ad prophetias tamquam ad infallibile signum veritatis suae praedicationis: *Amodo dico vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis quia ego sum* [32].

---

[24] PIUS IX Enc. *Nostis;* CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 3.

[25] 1 Corinth. **2.** 10.

[26] Eccli. **42.** 18.

[27] Rom. **4.** 17 iuxta graec.

[28] CICER. *De divin.* I c. 1.

[29] CICER. *De divin.* I c. 5; XENOPH. *Memor.* I; OVID. *Fast.* I, 456; AMMIAN. *Marcel.* XXI 1; ISID. *Etymol.* VIII.

[30] *Annuntiate quae ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos.* Isai. **41.** 23; **44.** 6-7, etc.

[31] Deut. **18.** 22; Exod. **3.** 12; 1 Reg. **2.** 24; Isai. **7.** 11, etc.

[32] Joan. **13.** 19; **14.** 29; etc.

124. **Tertia pars.** *Cum prophetia rerum eventu impleta est, vim demostrandi revelationem habet etiam* QUOAD NOS. Statim ac prophetia est data, sigillum Dei est appositum et veritas confirmata, sed non illico innotescit hoc sigillum; posset enim aliquis fingere divinum commercium et falsas divinationes dare, sicut ad idolorum fana persaepe contigit. Ut itaque agnoscatur veritas prophetiae, eius implementum expectandum est [33]: tunc enim de triplici veritate *historica, philosophica* et *relativa* convincimur. Veritas *historica* innotescit experientia vel certo testimonio de praecedenti praedictione et subsequenti implemento; veritas *philosophica* elucescit quando futurum eventum, attenta temporis distantia vel circumstantiarum multitudine, varietate et determinatione, ne coniecturaliter quidem praevideri potuerit; veritas *relativa* est manifesta cum vel expresse adducitur in confirmationem doctrinae vel implicite ad illam refertur (n. 118).

125. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Prophetae, ut hebraica vox dicit, sunt *legati* Dei [34]: sola ergo linguae imperitia praedictiones futuri in prophetarum libris invenit. **Resp.** Non de *voce* sed de *re* est nostra quaestio; in libris autem V. et N. T. veras praedictiones futuri contingentis contineri suo loco probabitur; ceterum, ut diximus, cum prophetae divinam missionem manifestarent annuntiatione futuri, merito synecdoche futuri praedictio dicta est prophetia.

126. **Obiic. 2.** Cum certum sit « narrationem facto anteverti » prophetiarum implementum reputari debet « artificium quoddam praedicationis »[35] seu accomodatio verborum et factorum. Nil ergo ex prophetiis pro revelationis existentia potest deduci. **Resp.** Nego *suppositum* et *assertum.* Prophetia non est *narratio* facti sed eius *praedictio,* non humana virtute data sed divina revelatione cognita; unde, secus a narrationibus, non omnia nec praecipua subiecti effert, sed quaedam tantum (nonnumquam secundaria) prout Deus manifestat: *accomodatio* vero prophetiae ad factum non praedictum, etsi in quibusdam prophetiis singillatim inspectis fieri posset, de prophetiarum complexu, quae circumstantias etiam temporis et locorum signant, omnino repugnat, ut videbimus infra et maxime in tractatu *De Messianitate Christi.*

127. **Obiic. 3.** Prophetiarum authentiam demonstrare non possumus, siquidem ignoramus auctores librorum Scripturae; nil ergo inde evincitur [36]. **Resp.** Prophetiae veritas non pendet ab humano auctore

---

[33] Cf. Deut. 18. 22.

[34] CORNELY Intr. in Sacr. Script. Diss. VI § 1 n. 1-2.

[35] MODERNISTAE in Enc. *Pascendi.*

[36] ANONYM. *Il Programma* p. 26 sqq.

Scripturae, sed *secundum se* vim habent a Deo, a quo manifestantur; *quoad nos* efficaciam probativam desumunt ex notitia praedictionis et perfecti implementi, quorum primum constat hebraica traditione et versione LXX, quae, saec. 3 a. Ch. translata, continet prophetias messianicas; alterum historia Christi. Ceterum in schola exegesis biblicae fere omnes libri S. Scripturae maxime vero prophetiae Jacobi, Davidis, Isaiae et Danielis suis auctoribus vindicantur.

128. **Obiic. 4.** Docet S. THOM. post GREG. M. quod « anima quando appropinquat ad mortem, praecognoscit quaedam futura subtilitate suae naturae »[37]. Ergo futuri cognitio non est solius Dei. **Resp.** *Dist. ant.:* anima, maxime cum ad mortem appropinquat, cognoscit futura necessaria *conc.*, libera *subd.:* coniecturaliter et illa tantum quae ad breve tempus sunt implenda *conc.*, secus *neg.*

129. **Obiic. 5.** Qui magnetico aguntur spiritu futura praevident, prophetismus vero est phoenomenon commune idolorum cultoribus et maxime populis primitivis glorificationem patriae expectantibus [38]. **Resp.** Hypnotici et pagani prophetias similes vaticiniis iudaeorum et christianorum dedere in confirmationem erroris *neg.;* apparentes tantum vel in confirmationem veritatis, *trans.* Cum prophetiae donum sit *gratis datum* et non *gratum faciens* etiam in peccatoribus potest inveniri; unde per se non repugnat paganos veras edidisse prophetias, quae non fuerint ordinatae ad falsi testificationem. Nonne Caiphas, Christi inimicus, prophetavit dicens: *expedit ut unus moriatur homo pro populo et non tota gens pereat?* [39] Quod vero attinet ad factum, non constat de prophetiis paganorum, quorum responsa fraudibus et aequivocationibus reddebantur [40]: porro desiderio glorificationis patriae explicari nequeunt multiplices et determinatae praedictiones quae Christi adventum et Ecclesiae propagationem respiciunt, multo magis quod huiusmodi desideria regnorum ruinis sunt frustrata, dum Scripturarum prophetiae pleno eventu sunt comprobatae. Quod tandem attinet ad

---

[37] S. THOM. 2-2 q. 172 q. 1 a. 1 ad 1.

[38] SABATIER *Esquisse d'une philosophie de la Religion;* STRAUSS, RENAN, DRAMESTETER apud *Ballerini* in *Scuola* febr. 1904.

[39] Joan. **11.** 50; Num. **23-4.**

[40] Sic Apollum interpellat CICERO apud C. MAZZELLA n. 248: « Tuis oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione saepissimae, partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete et sors ipsa referenda sit ad sortes, partim ambiguis et quae ad dialecticam deferenda sint ». Quod attinet ad oracula Sybillae de Christo, relata ab AUG. (apud ALCUIN. hom. 13 *de Sanct.*), dicimus esse spuria, vel, si vera, derivata a Scripturis quae paganis non erant penitus ignotae et notissimae diabolo. Cf. DE BROGLIE *Problemi* etc. c. 10 p. 379 sqq. Append. nota 8 p. 486 sqq.

magnetismi responsa, saltem ordinarie non sunt de futuris, sed *de absentibus* vel de his quae coniecturaliter possunt praevideri, vel, ut funesta experientia docet, implementum habent ex ipsa praedictione, quae phantasiam rudium ita accendit, ut caeco quodam instinctu moveantur ad faciendum quod eis eventurum a *medio* praedictum est.

CAPUT III.

De religione Christiana.

130. **Dicendorum ratio.** *Possibilitatem* revelatae religionis necnon apodicticam *vim argumentorum,* quibus dignoscitur, vindicavimus; principia ad factum applicantes contendimus religionem christianam, ulpote comprobatam argumentis extrinsecis et intrinsecis, veram esse atque divinam. In praesenti abstinemus a peculiari consideratione Ecclesiae catholicae, de qua in sequenti tractatu agetur: in generica quaestione de religione christiana manentes, argumenta maxime depromimus ex Evangeliis historice consideratis quorum proinde auctoritas historica seu profana prius demonstranda est. Tribus igitur articulis absolvemus caput: — 1 *De Evangeliorum historica veritate.* — 2 *De argumentis extrinsecis, quibus veritas christianae religionis evincitur.* — 3 *De argumentis intrinsecis quibus ipsa confirmatur.*

ARTIC. 1 - DE EVANGELIORUM HISTORICA VERITATE.

131. **Quid Evangelium.** *Evangelium* (*graece* εὐαγγέλιον) etymologice *bonum sanctumque nuntium* significat, unde non solum universam Scripturam maxime N. T. aliquando designat[1], sed integram doctrinam Christi ab Apostolis oretenus praedicatam[2]: per antonomasiam tamen dicitur de quatuor libris a *SS. Matthaeo* (c. a. 44-50), *Marco* (c. a. 52-62), *Luca* (c. a. 63) et *Joanne* (c. a. 100), scriptis[3], quibus praecipua facta et principaliores sermones Domini enarrantur. « Quoniam autem ob argumentum suum hoc titulo decorantur, etiam *de quatuor libris unius Evangelii* rectius quam de quatuor Evangeliis cum S. AUGUSTINO loquimur; " quod enim, inquit ORIGENES, per quatuor

---

[1] CLEM. Rom. 1 *Corinth.* n. 47; ORIG. in *Joan.* tom. 1 n. 6; S. THOM. in 1 *Corinth.* **1** lect. 1.

[2] Matth. **26.** 13; Act. **20.** 24; 1 Corinth. **4.** 15; Gal. **1.** 6-7, etc.: 1 Petr. **4.** 17.

[3] CORNELY *Intr. in S. Script.* Diss. VII sub fine cuiusque paragraphi.

scriptum est, unum est Evangelium „[4], atque hinc evenisse nonnulli putant, ut Evangelia ipsa non S. Matthaei, S. Marci, etc., sed Evangelium *secundum* Matth. etc. sint inscripta »[5].

132. **Evangelii duplex auctoritas.** In tractatu de Scripturis videbimus Evangelium accensendum esse libris inspiratis, qui divina gaudent auctoritate; sed in praesenti ab inspiratione praescindimus et quatuor Evangeliorum libros veluti humana industria conscriptos considerantes contendimus esse historicos utpote exaratos per homines, qui testes oculares (*Matth.* et *Joan.*) vel auriti (*Marc.* et *Luc.*), sed fide digni, fuerunt.

133. **Genuinitas, integritas, veritas.** De quolibet libro maxime antiquo tria quaeri solent: *auctor, identitas* et *valor*. Prima quaestio est de *genuinitate* seu de paternitate libri, unde *genuina* dicenda sunt Evangelia si scripta vere fuerunt a Matthaeo, Marco, Luca et Joanne, quibus attribuuntur. Cum vero processu temporis omnia inveterascant ac immutentur, quaestio de genuinitate aliam excipit de *integritate* seu de conformitate nostrorum codicum cum originalibus: porro *integer* dicitur liber qui *interpolatione* non est auctus, *mutilatione* non est imminutus et *depravatione* non est corruptus[6]. Verum neque libri genuinitas et integritas iuvant, si auctor ex malitia (defectu *sinceritatis*) decipere voluerit, vel ex ignorantia (defectu *scientiae*) deceptus sit: hinc pro historica veritate Evangeliorum probanda quoque est scriptorum *scientia* et *veracitas* seu quod scienter et sincere scripserint.

134. **Errores — Veritas.** Cum, admissa historica veritate Evangeliorum, divinitas Ecclesiae sole lucentior fulgeat, nil mirum quod RATIONALISTAE et MODERNISTAE toto marte eam impetiti sint. Revera negarunt *genuinitatem* Evangeliorum originem tribuendo ignotis auctoribus saec. 1 vel 2[7]: impugnarunt *integritatem* partes

---

[4] AUG. in *Joan.* tr. 36 n. 1; ORIG. in *Joan.* tom. 5.

[5] CORNELY *l. c.* Diss. VII § 1 n. 1.

[6] Integritas libri est *absoluta* seu *etiam modalis* si exemplaria originalibus respondent in omnibus, *substantialis* si, verbis quibusdam mutatis, consonantia manet in principalioribus, maxime in iis quae finem libri respiciunt. In quaestione historica integritas *substantialis* profecto sufficit, et hoc sensu Evangeliorum integritatem demonstrandam assumimus.

[7] Ex rationalistis adduci possunt H. A. W. MEYER *Exeg. Handbuch;* H. I. HOLTZMANN *Einl. in das N. T.;* F. CH. BAUR *Die song. Pastoralbriefe des Apostels* etc.; *Paulus der Apostel J. C.* etc.; STRAUSS *Vita di G. C.;* HARNACK *L'Essenza del cristianesi-*

nonnullas primis auctoribus abiudicantes [8], et Evangelia fragmentorum coadunationem vel primigenii cuiusdam textus retractationes dicentes [9]: aggressi sunt *veritatem,* Evangelia attribuentes fraudibus [10], mendaciis [11], ignorantiae [12], mythis [13] vel defigurationi et transformationi fidei [14]. **Veritas** definita est in CONC. TRID. quod de libris sacris contentis in Vulgata ait: « S. q. libros ipsos integros... pro sacris et canonicis non susceperit...; a. s. » [15].

THES. 15. *Evangeliorum historica veritas est summa, siquidem Evangelia sunt* — 1 *genuina,* — 2 *substantialiter integra,* — *et* 3 *veridica* [16].

135. **Prima pars.** *Evangelia sunt genuina.* Nam saec. 2 et initio 3 iam communis erat Patrum sententia *Matthaeum, Marcum, Lucam, Joannem* vere scripsisse Evangelia, quae eis adiudicantur, si vero a nominibus praescindimus, de eorum genuinitate extant testimonia Patrum qui, cum apostolis commorati, *apostolici* dicuntur: atqui testimonium huiusmodi erroneum esse nequit. Ergo. **Prob. maior.** — *a*) Revera de quattuor Evangeliis testimonium reddunt JUSTINUS M. († c. a. 167), ATHEN. († 177), THEOPH. († 181), IREN. († c. a. 202) qui circiter 350 vicibus citat Evan-

---

mo; ex modernistis videri possunt LOISY *Le quatrième Évangile;* DECRET. *Lamentabili* prop. 13 et 15; ENC. *Pascendi; Il programma* p. 49 - 55.

[8] Cf. CORNELY *Introd.* Diss. VII § 2 n. 6, § 3 n. 5, § 4 n. 5, § 6 n. 7.

[9] Ex Rationalistis hoc affirmarunt EICHHORN *Einleitung;* MARSH *Abhandlung über die Entstehang,* etc.: GRATZ *Neuer Versuch, die Entstehung der drei etc.;* SCHLEIERMACHER *Ueber die Schriften des Lucas;* ex Modernistis ANONYM. *Il Programma* p. 61; LOISY *Autour d'un petit livre* p. 120-7. Cf. etiam BUONACOSSI *I primi tre vangeli* in *Scuola* Febbr. 1904.

[10] J. SAL. SEMLER, apud *Cornely, Introd.* etc. Diss. III § 18 n. 5.

[11] E. KANT apud *Cornely, l. c.* n. 3.

[12] H. E. G. PAULUS apud *Cornely* l. c. n. 4.

[13] BAUR, STRAUSS, RENAN apud *Cornely, l. c.* n. 5, et *Vigouroux et Bacuez* III n. 20.

[14] LOISY passim apud *Billot* De Trad. p. 114 sqq.; ANONYM. *Il Programma:* « Nel N. T. non si hanno libri storici nel puro senso della parola, ma storie sacre in gran parte determinate dalla fede a servizio della quale furono scritte » p. 61, 64 etc. Cf. supra n. 64.

[15] CONC. TRID. Sess. 4 Decr. *De can. Scrip.*

[16] Quae dicimus de Evangeliis aeque valent de ceteris *Scripturis N. T.* et maxime de *Act. Apost.,* qui Lucam habent auctorem. Cf. CORNELY *Intr.* Disp. VII § 11.

gelia, CLEM. Alex. († 217) qui eadem citat 577, HYPPOLYT. († 230), TERTUL. († 245) qui citat 1550, ORIG. († 254). — *b*) *Patribus* addendi sunt *haeretici* 1 et 2 saec. qui, uti GNOSTICI, BASILIDES (120-138), VALENTINUS (120-140), MARCION († 140), HERACLEON (150-160), MONTANUS (160-170), TATIANUS († 180), licet Evangelia corrumperent et ad falsa dogmata traherent, de eorum tamen genuinitate non dubitarunt [17]; imo addendi sunt iudaei et pagani, qui cum TRIPHONE, CELSO, PORPHIRIO, PTOLOMAEO, etc., testibus *Origene, Cyril. Alex., Hieron.* etc., Evangelia agnoverunt [18]. — *c*) Accedunt *testimonia collectiva* Ecclesiarum : huiusmodi sunt FRAG. MURATORIANUM (circa a. 170) pro Ecclesia *Romana,* versiones VETUS ITALA (saec. 2) pro Ecclesia *Africana,* SYRIACA (initio 2 saec.) pro ecclesiis Orientalibus, COPTICA (sub fine 2 vel initio 3 saec.) pro Ecclesia *Aegyptiaca* [19]. — *d*) Validum argumentum pro genuinitate Evangeliorum sumitur etiam ex TITULIS (*secundum Matthaeum, secundum Marcum,* etc.); licet enim evangelistae eos non scripserint [20], « quia antiquorum mos non fuit, ut operibus, quae ad historicum genus magis minusve pertinent, nomina praefigerent »[21], medio tamen saec. 2 extabant. « Porro inscriptionem εὐαγγέλιον κατὰ Μαθθαῖον (Evangelium *secundum* Matthaeum) per se nondum demonstrare Matthaeum esse libri auctorem fatemur, quia apte praefigi potuit, etsi liber secundum Matthaei praedicationem ab altero erat compositus; nihilominus eam ad auctorem designandum esse appositam asserimus. Etenim Hellenistis hic praepositionis κατὰ usus omnino erat frequens [22], atque aptius in nostris libris adhibebatur, qui non sunt nisi eiusdem Evangelii variae formae. Hinc intelligitur, cur ab omnibus antiquis scriptoribus, nullo excepto, tituli nostri de Evangeliorum auctoribus sint explicati. Itaque Hellenistarum loquendi usu et unanimi

---

[17] Cf. IREN. *Adv. haer.* III c. 11; VIGOUROUX ET BACUEZ *Manuale Biblico* III n. 23; TANQUEREY *De Relig.* c. 2 n. 113.

[18] VIGOUROUX *Manuale* III n. 23; C. MAZZELLA *De Relig.* n. 261.

[19] *Peschito* seu syriaca simplex N. T. 2 saec. vindicatur a CORNELY *Intr.* Diss. II § 14 et a VIGOUROUX *Manuale Bibl.* I n. 122. *Veterem Italam* CORNELY *l. c.* § 12 n. 2 reputat primam versionem latinam 2 saec., VIGOUROUX tamen *l. c.* n. 126 aestimat recensioris originis.

[20] CHRYS. in *Rom.* hom. 1 n. 1; in *Matth.* hom. 1 n. 2.

[21] CORNELY *l. c.* Diss. VII § 1 n. 4.

[22] 2 Mach. 2. 13 et apud Patres.

Patrum interpretatione omne prudens dubium de titulorum sensu excluditur »[23]. — *e*) Nec desunt testimonia *Patrum Apostolicorum,* qui licet non semper nomina evangelistarum recitaverint, certissime nostris Evangeliis usi sunt. Tales fuerunt, *Epist.* BARNAB. (initio 2 saec.), CLEM. ROM. († 101), IGNAT. M. († 107), DOCT. DUODECIM APOST. (sub fine 1 vel initio 2 saec.), POLYC. († 166), PAPIAS († med. saec. 2). — *f*) **Confirmatur** *ex picturis in catacumbis* inventis, quae exhibent plurima facta archeologorum sententia ex Evangeliis desumpta [24]. — *g*) Nil ergo mirum quod *rationalistae moderni* [25], concedant Evangelia primo saeculo scripta esse. — **Probatur minor.** Nam repugnat secundo saeculo de Evangeliorum auctoribus Patres errasse. Profecto *a*) tunc *facillime veritas detegi poterat,* siquidem PAPIAS et POLYCARPUS *Joannis Apost.* discipuli fuerunt, IRENAEUS vero a *Polycarpo* doctrinam Joannis accepit, cui Evangeliorum ignorantiam tribuere ridiculum est. Adde Evangelia *synoptica* post medium saec. 1 esse conscripta et *Joannis* sub fine eiusdem; testimonia ergo PP. paucis annis post Evangeliorum scriptionem sunt data, quando ignorantia facti erat plane impossibilis. — *b*) Agebatur *de re summi momenti,* siquidem Patres Evangelia habebant uti sacram Scripturam, cui fides innitebatur: de authentia ergo Evangeliorum Patres non inquisiisse, sed caeca fide opera nova et apocrypha pro antiquis et genuinis recepisse contra prima historicae criticae principia asseritur. *c*) Adde Patrum *sollicitudines* de his quae fidem spectant. Dicemusne eos qui laboribus non pepercerunt, ut iudaicum canonem agnoscerent [26], minus solicitos fuisse de christiano? Profecto qui, testibus POLYCARPO et DIONYSIO [27] litteras *Ignatii M.* et *Clementis R.* summa custodia servarunt, minori cura de Evangeliorum veritate non inquisierunt. *d*) Ceterum consensus plurium testium independentium ipsemet est veritatis argumentum: atqui allata testimonia non solum multa sunt, sed prorsus independentia; *haeretici* enim non a *Patribus,* Ecclesiae *orientales* non ab *occidentalibus,* versio *La-*

---

[23] CORNELY *l. c.*

[24] VIGOUROUX *Le Nouv. Test. et les découv. arch. moder.* IV c. 6 p. 431 sqq.

[25] HOLTZMANN, KEIM, VOLTZMAZ, EWALD, JÜLICHER, HARNACK, apud *H. Mazzella,* De Vera Relig. n. 187; STRAUSS apud *Nicolas,* La divinità di G. C. c. 7; RENAN apud *Knab.* in Matth. II p. 568.

[26] MELITO apud *Cornely* l. c. Diss. I § 4 n. 4.

[27] POLYC. *Ad Philip.* n. 13; DIONYS. apud *Euseb.* H. E. IV n. 23.

tina non a *Syriaca* vel *Coptica* suum testimonium derivare potuerunt : ergo antequam versiones fierent, antequam haeretici surgerent, ipso saeculo 2 in tota Ecclesia [28], uno ore laudabantur Evangelia, quae proinde iam tunc non erant *nova* sed *antiqua* et vera. — *e*) Accedit *argumentum intrinsecum*. Apocryphus enim auctor agnoscitur oscitantia et levitate narrationis, anachronismis, erroribus et contradictionibus quibus eius opera scatent; sed Evangelia, quae minutissima quoque narrant et circumstantias plurimas geographicas et politicas accurate signant, numquam in errore vel contradictione sunt inventa, licet peracutae et ostili criticae subiecta fuerint [29]. Ergo. Adde nunc stylum, genus metaphorarum, terminologiam philosophicam, quae hebraeis palestinensibus saec. 1 apprime respondent [30], et videbis an non hypercritici moderni vere evanuerint in cogitationibus suis.

136. **Secunda pars.** *Evangelia sunt substantialiter incorrupta.* **Argum. 1.** *Ex ratione*. Probavimus Evangelia scripta fuisse ab Apostolis eorumque discipulis et quasi rem sacram a Patribus custodita : atqui divinae providentiae, solicitudini Patrum et naturae rerum obstat substantialis corruptio huiusmodi documentorum : ergo. PROB. MIN. Repugnat *divinae providentiae;* nam divina providentia debet impedire ea quae hominem, a se creatum, removerent a consecutione ultimi finis : atqui Scripturarum corruptio hominem deciperet circa ultimum finem, ut per se patet : ergo. Repugnat *solicitudini Patrum;* si enim magna cura, ut diximus, litteras Ignatii et Clementis servabant, si haereticorum depravationes vigilanti studio detegebant et impugnabant [31], si amanuensium minora menda studiose corrigere curabant [32], quomodo Scripturas substantialiter corrumpere sinebant? Repugnat *fidelium aestimationi* qui, si pro Scripturis vitam dabant, profecto eius corruptionem

---

[28] EUSEBIUS Evangelia recenset ἐν τοῖς ὁμολογουμένοις, scil. inter Scripturas de quibus numquam dubitatum est. Cf. CORNELY *l. c.* Diss. I § 6 n. 7.

[29] Cf. GLAIRE *Introd. aux livr. de l'A. et du N. T.*

[30] VIGOUROUX *Le N. T. et les découv. archéol.* c. 5; TANQUEREY *l. c.* n. 116-22.

[31] IREN. *Adv. haer. I* n. 27; ORIG. *C. Cels.* II n. 27; TERTUL. *C. Marc.* c. 5; EPHR. *Haer.* 42 n. 9 sqq.

[32] Scripturae expurgationem ab amanuensium erroribus iam incoeperat IREN. *Adv. haer.* V n. 20, tentarunt HESYCHIUS et LUCIANUS, perfecerunt ORIGEN., EUSEB. et HIERON. Cf. CORNELY *l. c.* Diss. I § 6 n. 3, § 10 n. 1-3, § 16 n. 1.

non tolerassent [33]. Repugnat *naturae rerum*. Evangelia enim non erant primis christianis res secundi ordinis, sed fundamentalis cui fere innitebatur tota religio. Quomodo ergo ne dubium quidem, ut patet per ORIG. et HIER. [34], aliquando prorupit de Evangeliorum substantiali integritate? Simplices fideles de religionis fundamentis non multum inquisiisse transeat, sed theologos et apologetas Ecclesiae uti ATHEN., IUST. M., ORIGEN., AUG., HIER. etc. pari ratione egisse merito negamus. — **Argum. 2.** *Ex historia*. Nam nemo dubitat de integritate libri qui antiquis codicibus et versionibus respondet: atqui nostra Evangelia respondent codicibus saec. 5 (*Alexand.* et *Ephrem. rescrip.*) et 4 (*Vatic.* et *Sinait.*), imo et testimoniis scripturisticis operum Patrum saec. 3 et 2; ita ut laboribus TISCHENDORF vix edi non potuerit textus, qui prae fidelium manibus erat 2 saec.: ergo. Adde nunc *Vers. Syriacam* simplicem seu *Peschito* atque, *Veter. Italam* saec. 2 [35], *Coptic.* saec 3, quae si non ad verbum, certe quoad substantiam respondent nostris codicibus, et videbis an prudenter de integritate Evangeliorum dubitari queat. Profecto si critica cum positivis innitur documentis, non obstante magna accidentali varietate [36], Evangeliorum substantialem integritatem testatur, quo iure, cum documenta desunt, de corruptione iudicat? O magna sapientium stultitia! **Argum. 3.** *Ex absurdis*. Nam Evangeliorum corruptio vel contigit initio 2 saec. vel sub fine eiusdem: atqui *non initio 2 saec.*, quia tunc supererant authographa vel saltem prima exemplaria quibuscum novi codices conferri poterant, et aderant Apostolorum successores [37], qui contra Scripturae corruptionem inclamassent; *non post medium saec.* 2 quia iam codices in immensum erant multiplicati et versiones hinc inde exornari cooperant: ergo.

137. **Tertia pars.** *Evangelia sunt veridica* [38], nam eorum scriptoribus nec scientia nec sinceritas defuit. **Non defuit scientia;**

---

[33] Quanta fuerit fidelium cura de integritate Scripturae vel inde patet quod reclamaverint contra episc. TRIPHILLUM, quia voci *grabato* substituerat *lectum* et recipere nolebant Vulgatam quia Vet. Italae non in omnibus consonam. Cf. VIGOUROUX ET BACUEZ *Manuale Bibl.* III n. 24.

[34] ORIG. *C. Cels.* II n. 27; HIER. *C. Helv.* n. 16.

[35] Cf. supra notam 19.

[36] Cf. CORNELY *l. c.* Diss. II § 6; VIGOUROUX etc., III n. 15.

[37] Cf. VIGOUROUX etc., *l. c.* 23.

[38] Etiam STRAUSS *Vita di G. Cristo*, intr. 13, concédit Evangelia esse vera si scripta sunt a testibus oculariibus vel immediatae auditionis.

quia MATTH. et JOAN. tribus annis Christum secuti fuerant, et quae viderant enarraverunt [39]; MARCUS, testibus *Papia, Iren., Clem.* Alex. et *Origen.* [40], Petri praedicationem scripsit, et LUCAS suum exaravit evangelium postquam omnia a principio diligenter didicerat ab illis, qui ab initio viderant et ministri fuerant sermonis [41] : Evangeliorum ergo scriptores fuerunt *oculares* vel saltem *immediati* et *diligentes auditores,* de quorum scientia ambigi nequit. **Non defuit sinceritas,** nam haec *a*) imprimis praesupponenda est cum contrarium non evincitur; et *b*) insuper positive constat de scriptorum *probitate,* qui de nullo crimine convicti [42], sed de sola Evangelii praedicatione damnati [43], *c*) tanta *simplicitate* sermonis scripserunt ut « ne ea quidem taceant, quae ipsi vel magistris eorum vel rei, quam defendunt dedecori sunt, ut negotium Matthaei, iudaeis detestabile, imperfectiones apostolorum, proditionem Iudae, fugam omnium discipulorum, ignominiosa omnia, quae Christus passus est, reiectionem populi Iudaici, eversionem futuram urbis Ierusalem. Si quis comparaverit modum, quo Flavius Josephus de iudaeis loquitur, cum modo, quo Evangelistae de apostolis et iudaeis loquuntur, statim videbit, quanta differentia intercedat inter causidicum et sincerum veri narratorem »[44]. Tandem *d*) nemo gratis est malus, et nullum sufficiens motivum adduci potest quo ad mentiendum sacri scriptores fuerint inducti. Profecto moveri non potuerunt α) *bonis temporalibus,* quia Evangelii praedicatio aerumnas et labores afferebat et non divitias et commoda : β) non *inani gloria,* quia Evangelium scandalum erat Judaeis, Gentibus autem stultitia [45], de futura vero gloria humiles piscatores naturaliter, ne cogitare quidem poterant : γ) non *aeterna felicitate,* quia mendacium odibile est Deo et in religione sacrilegium. **Confirmatur** *argumentis intrinsecis.* Nam *a*) Christus, qui in Evangeliis describitur, omnino diversus est ab idea messianica iudaeorum, qui terrenum regem magna Davidis

---

[39] Cf. Joan. **1**. 14; **21**. 24; 1 epist. **1**. 1.

[40] CORNELY *l. c.* Diss. VII § 3 n. 3.

[41] Luc. **1**, 2-3.

[42] 1 Petr. **4**. 15. Cf. PLIN. Jun. *Epist.* 10 n. 96. Etiam COR. TACITUS *Annal.* XV c. 44 docet non criminis esse convictos christianos sed *odio humani generis.*

[43] Act. **4**. 17 sqq.

[44] PESCH *Prael. theol.* I n. 137; HETTINGER *Theol. fund.* I c. 1; PASCHAL *Pensieri* p. 2 a. 10.

[45] 1 Corinth. **1**. 23.

et Salomonis facinora renovantem expectabant; a iudaeis ergo fingi non potuit [46]. *b*) Adde omnia, quae de locis, moribus, factis conferri cum certis profanis documentis potuerunt, veracia esse inventa, neque in tanta rerum varietate et doctrinae sublimitate errores contradictiones vel absurda unquam reperta fuisse. *c*) Miracula tandem non sunt fabulosis circumstantiis ornata, ut quae in apochryphis referuntur, sed simpliciter relata et adversariorum testimonio, quod evangelistae aliquando invocant [47], comprobata [48], imo monumentis confirmata [49]. Si haec non sunt sinceritatis et veritatis signa, historica fides est vanitas.

138. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Si Evangelia scripta essent tempore apostolico, Patres 1 et 2 saeculi id testarentur et ex illis testimonia desumerent: atqui de auctoribus evangeliorum silent, et ex Evangeliis verba non desumunt sed quod traditione acceperant ad sensum referunt: ergo [50]. **Resp.** *Nego assertum* et *suppositum*. Nego *assertum* quia PAPIAS, IUST. M., IREN. loquuntur de Evangeliis scriptis, quorum auctores indicant [51], pluries testimonia ad verbum concordant, et aliquando ex scriptis testimonia desumere expresse dicunt [52]. Nego *suppositum* quia silentium, etiamsi daretur, nil evinceret contra existentiam Evangeliorum, tum ob paucitatem fragmentorum operum Patrum quae supersunt, tum ob defectum titulorum, qui libris historicis non apponebantur [53], et difficultatem transcribendi ex codicibus [54]; quae quidem difficultates suadebant ut in libris didacticis (qui non ordinabantur ad defensionem fidei sed ad simplicem expositionem), praeferretur usus allusionum et citationum ad sensum [55]. Caeterum testimonium saec. 3 ex sese authentiam et integritatem Evangeliorum evincit; Patres enim huius aetatis non de sola *existentia* Evan-

---

[46] CORNELY *l. c.* Diss. VII § 1 n. 11. Hoc concedunt etiam ROUSSEAU *Emilio* IV; RENAN *Vita di G. C.*

[47] Sic v. g. Petrus interpellat iudaeos: *Viri Israëlitae audite verba haec: J. Naz., virum approbatum a Deo in nobis, virtutibus et prodigiis, et signis, quae fecit Deus per illum in medio vestri,* SICUT ET VOS SCITIS. Act. **2**. 22; **3**. 9 sqq.; **22**. 25-6.

[48] Cf. Joan. **9**. 13-34; **11**. 47; Act. **4** 3-22, etc.

[49] VIGOUROUX etc., III n. 470.

[50] HARNACK *L'essenza del cristianesimo;* LOISY *Le quatrième évangile,* etc.

[51] Cf. CORNELY *l. c.* Diss. VII § 1 n. 2.

[52] Cf. CORNELY *l. c.* § 2 n. 4, § 7 n. 4; VIGOUROUX etc., III n. 23.

[53] Cf. CORNELY *l. c.* § 1 n. 4.

[54] Non aderant tunc Scripturae *indices* et *concordantiae,* imo neque distinctiones *propositionum;* citationes ergo determinatae erant difficiles, hinc relatio ad sensum.

[55] Cf. A. CERIANI in *Scuola.* Maggio 1904.

geliorum testantur, sed de *auctoribus*, quos fuisse Matth., Marc. Luc. et Joan. *traditione* cognoscebant [56] : porro Patres saec. 3 et 4 potuisse et debuisse cognoscere originem Evangeliorum luculenter ostendimus in thesi, ex universalitate testimoniorum et ex perspicuitate ingenii ac multiplici studio eorumdem Patrum.

139. **Obiic. 2.** In Evangeliis plura dicuntur de divinitate Christi, de sacramentis et de constitutione Ecclesiae, quae posteriori tantum tempore (iuxta aetatis conditionem) ortum habuerunt : ergo Evangelia vel non sunt authentica, vel non sunt integra, sed mutata a posterioribus auctoribus qui, ut firmarent huiusmodi doctrinas et institutiones, eas tribuerunt Christo [57]. **Resp.** *Nego antec.* Modernistae utique « addunt huius evolutionis vestigia adeo esse manifesta, ut illius fere historia describi possit. Quin imo et reapse describunt, tam non dubitanter, ut suis ipsos oculis vidisse crederes scriptores singulos, qui singulis aetatibus ad libros sacros amplificandos admorint manus »[58]; sed, ut merito notat Pius X, « res tota per *apriorismum agitur* ». Supponunt scil. fidei doctrinas evolutione tantum in Ecclesia efformari potuisse et dein ex silentio, quod ultra limites exaggerant, ad *ignorantiam* Patrum et ad *non existentiam* doctrinae procedunt. Sed *historia* non aprioristicis assertionibus aedificatur, nec multorum silentium infirmat testimonium paucorum. *Quid* et *quomodo* primi Evangeliorum scriptores dicere debuerint non praesupponendum est, sed ex ipsis scriptis deducendum. Caeterum si Modernistis Patrum inscitia tanta est ut eorum obvium testimonium de authentia et integritate Scripturae non valeat, qua ratione ex non usu aliquorum testimoniorum horum existentiam impetunt? Nonne adesse potuit et ab illis ignorari?

140. **Obiic. 3.** Saec. 1, uti patet ex Ebionitarum doctrina, divinitas Christi non agnoscebatur; ergo Evangelia, quae illam docent, deinde venerunt ex primitivorum documentorum adulteratione [59]. **Resp.** *Neg. ant.* Undenam enim probatur doctrinam Ebionitarum praecessisse Evangelia eosque de Christo veram protulisse sententiam? Qua critica respuuntur documenta certa et antiquissima, sanctitate, scientia et martyrio Patrum firmata, ut incerta et obscura, a Patribus confutata, admittantur? [60].

---

[56] ORIG. in *Matth.* tom. 1 aperte testatur « ex *traditione* se accepisse de quatuor Evangeliis, quae sola in universa Dei Ecclesia citra controversiam amittuntur ». Cf. CLEM. Alex. *Strom.* III 13; EUSEB. *H. E.* VI n. 14.

[57] LOISY *Autour* etc. p. 130-1; *L'Évang. et l'Égl.* p. 45; ANONYM. *II Program.* p. 61, 68 etc.

[58] PIUS X, Enc. *Pascendi.*

[59] HOLTZMANN *Einl in das N. T.*

[60] Cf. LAGRANGE *Revue Biblique* avril 1895 .

141. **Obiic. 4.** Apostoli rudes piscatores a Christo ipso de hebetudine mentis accusati [61], non poterant scribere libros doctos graeca philosophia plenos: atqui...: ergo [62]. **Resp.** Apostoli fuerunt sine intellectu ante descensum Spiritus S. *conc.;* etiam recepto Spiritu S. *nego.* Quae sit relatio doctrinae christianae ad graecam philosophiam dicemus infra agentes de origine christianismi; quod vero attinet ad ignorantiam Apostolorum distingue tempora et compones iura; post descensum enim Spiritus S. non fuisse idiotas, patet ex eorum sermonibus in Actibus relatis et ex facto propagationis Evangelii; inscitia enim non illuminantur sapientes nec confunduntur sophistae. Ceterum si solam substantiam Evangeliorum spectamus, quae sufficit ad divinitatem Christi et Ecclesiae existentiam comprobandam, non huiusmodi est ut aciem vulgaris scriptoris praetereat; non enim agebatur de philosophicis disciplinis explicandis, sed de simplici affirmatione quorumdam mysteriorum, quae agricolae nostri cognoscunt, cum audiunt, atque de factis sensibilibus et publicis [63] non iudicandis, sed narrandis.

142. **Obiic. 5.** Evangelia sunt scripta ab orientalibus et religiosa fasta enarrant: atqui orientales narrationibus proprias opiniones inserunt, idea vero religiosa circa nucleum (*nocciolo*) historicum creat multitudinem fictionum [64]: ergo historica Evangeliorum veritas admitti nequit. **Resp.** *Nego minorem,* quae iterum gratuitis affirmationibus innititur. De religioso *enthusiasmo* et *transfiguratione* fidei sufficienter diximus [65]; quod vero attinet ad formam litterariam Scripturae notamus eam a *priori* non fingi, sed intrinsecis characteribus et maxime historicis documentis determinari: atqui nihil est in Evangeliis quod historicae formae repugnet, sed simplicitate enarrationis, locorum et temporum determinatione, atque omnium partium studio remotione, undequaque redolent historicam indolem, quam plenissima et perantiqua traditio confirmat: ergo. Adde evangelia edita fuisse non saec. 3 et 4 quando legendae evulgabantur, sed saec. 1 cum studia historica summe effloruerunt, uti patet ex operibus *Titi Livii* († 19), *Valerii Maximi* († 28), *Vellei Paterculi* († 30), *Quinti Curtii* († 70), *Josephi Flavii* († 93), *Taciti* († 99), *Plinii* († 118), *Plutarci* († 120), *Svetonii*

---

[61] Matth. **15.** 16.

[62] HARNACK *L'essenza del cristianes.* post J. CLERICI, MOSHEMIUM et SIEGFRIED *Philo von Alexandria* p. 317 *Verbum* Joannis ex λόγῳ Platonis deducit. Cf. ANONYM. *Il Program.* p. 23.

[63] Cf. Joan. **18.** 20-1.

[64] E. LE ROY in *Annales de philos. chrét.* Gen. 1905; LABERTHONNIÈRE *Le réalisme chrétien* etc.; LOISY *Autour* etc. p. 192-7; E. BUONAIUTI *La filos. dell' azione* in *Studi religiosi* 1905; S. MINOCCHI in *Studi relig.* marzo-aprile 1906; HUMMELAUER *Exegetisches Zur Inspirationsfrage;* P. A. ROUSSELLE *Storia dell'A. T.* 1907; ANONYM. *Il Program.* p. 64.

[65] Cf. supra n. 69 et 111.

(† med. 2 saec.), atque ex numismatibus et monumentis commemorativis [66]; non ergo licuit scriptoribus Evangeliorum fabulas evulgare iis ipsis, qui J. Christi adventum non ignorabant [67], nec fabulis et legendis viros sapientes et eruditos, quemadmodum DIONYS., IUST., ATHENAG., TERTUL., ORIG., AUG. etc., ad religionem arduam et exagitatam adducere.

143. **Obiic. 6.** Christus, qui a Synopticis (*Matth., Marc., Luc.*) proponitur, humanus est, omnino diversus a divino, quem *Joannes* exhibet [68]: ergo. **Resp.:** Synoptici Christi divinitatem alia via (h. e. miraculis et prophetiis) demonstrant a Joanne, qui potius ex ipsius Christi testimonio rem evincit, *conc.;* Synoptici non agnoscunt Christi divinitatem vel annuntiant Christum cui notae Joannis repugnant *neg.* — Cum Joannes scripserit ad opera Synopticorum complenda atque ad christianos adultos in fide contra haereticos confirmandos, profecto, repetere non debuit quae Synoptici dixerant, sed Christi auctoritate, relatis eius sermonibus quos auditores recipiebant, finem suum assequi: hinc multae differentiae inter Joannem et Synopticos, sed nulla contradictio [69].

144. **Obiic. 7.** Tamen multae adsunt in Evangeliis contradictiones; ergo fidem non merentur. **Resp.** *Dist. ant.:* in rebus principalioribus *neg.* in rebus secundariis *sub.:* adsunt contradictiones apparentes (*antiphanias*) *conc.,* veras (*antiphonias*) *neg.* Iam Patres apparentes contradictiones in Scripturis invenerunt, regulas pro illorum compositione tradendo [70], sed ne una quidem vera contradictio vel insolubilis difficultas est proposita circa Scripturas in genere et quoad Evangelia in specie [71].

ARTIC. 2 - ARGUMENTIS EXTRINSECIS CHRISTIANAE RELIGIONIS VERITAS DEMONSTRATUR.

145. **Dicendorum ratio.** Hucusque de methodo et de historico fonte, quibus veritas religionis christianae evincitur, diximus; iam tempus est ut ex principiis conclusiones deducamus. Porro *argumenta*

---

[66] MENAIM *Connaissance de temps évang.* p. 1 c. 2; VIGOUROUX ET BACUEZ *Manuale* III n. 23.

[67] Cf. J. FLAVIUM *Antiq.* XVIII c. 3 n. 3; TACIT. *Annal.* XV n. 44; SUETON. *Claud.* XXV; PLIN. *epist.* X 96.

[68] HARNACK *L'essenza del crist.;* LABANCA *G. C. nella lett. contemp.*

[69] CORNELY *Introd.* etc. Diss VII § 6.

[70] CORNELY *Introd.* Diss. III § 6 n. 2.

[71] CORNELY *Introd.* Diss. VII cum de singulis Evangeliis agit, maxime § 6 et 8; VIGOUROUX *Manuale* bibl. III n. 462.

extrinseca, quibus religio christiana probatur, sunt prophetiae et miracula, ad quae reducuntur mirifica Ecclesiae propagatio et conservatio, atque martyrium. De singulis quaedam.

THES. 16. *Veritas christianae religionis invicte probatur — 1 miraculis Christi, Apostolorum et sanctorum, — 2 de quorum historica, — 3 philosophica et — 4 relativa veritate nullatenus dubitare licet.*

146. **Prima pars.** In religione christiana multa miracula sunt patrata. De **Christo** merito dixit S. THOMAS miracula fecisse in omni creaturarum genere. Revera *a*) quod attinet ad *spiritus,* daemones expulit a corporibus obsessorum [1] et sanctorum angelorum ministeria suscepit [2]: *b*) *homines* a febribus [3], fluxu sanguinis [4], paralysi [5], membrorum ariditate [6], hydropisi [7], lepra [8], caecitate [9], surditate et linguae impedimento [10], mentis hebetudine [11], et aliis infirmitatibus [12] innumera multitudine [13] sanavit, mortuosque resuscitavit [14]. *c*) *Ex creaturis irrationalibus* stella eius nativitatem annuntiavit [15], tenebrae et terraemotus mortuum luxerunt [16], velum templi totali scissione fundationem sui regni annuntiavit [17], sepulchra in signum resurrectionis eius aperta sunt [18]; ipse vero arbori [19], piscibus [20], venti et mari [21] praecepit, super aquas ambu-

---

[1] *Vespere autem facto, obtulerunt ei multos daemonia habentes: et ejiciebat spiritus verbo: et omnes male habentes curavit.* Matth. **8.** 16; Marc. **1.** 23-7; Luc. **6.** 17-8 et alias saepius.

[2] *Relinquit eum diabolus: et ecce Angeli accesserunt et ministrabant ei.* Matth. **4.** 11. Cf. Luc. **2.** 13-4; **22.** 43.

[3] Matth. **8.** 15; Joan. **4.** 52.

[4] Matth. **9.** 20.

[5] Matth. **8.** 6 sqq.; Marc. **2.** 4.

[6] Luc. **6.** 6 sqq.; Joan. **5.** 3.

[7] Luc. **14.** 2 sqq.

[8] Matth. **8.** 3; Luc. **17.** 12.

[9] Matth. **9** 27-30; Marc. **10.** 46; Joan. **9.** 1-7.

[10] Matth. **11.** 5; Marc. **7.** 32.

[11] Matth. **4.** 24; **17.** 14.

[12] *Circuibat... curans omnem languorem et omnem infirmitatem.* Matth. **9.** 35; Marc. **6.** 56; Luc. **4.** 20.

[13] *Abiit opinio eius in totam Syriam et obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus... et curavit eos.* Matth. **4.** 24; **14.** 35-6; Luc. **6.** 17-8.

[14] Matth. **9.** 18-26 (filia Jairi); Luc. **7.** 11-7 (filius viduae Naim); Joan. **11.** 1-45 (Lazarus).

[15] Matth. **2.** 2.

[16] Luc. **23.** 44.

[17] Matth. **27.** 51.

[18] Matth. *l. c.* 52.

[19] Matth. **21.** 19.

[20] Matth. **17.** 26; Luc. **5.** 6; Joan. **21.** 6.

[21] *Exurgens comminatus est vento et dixit mari: Obmutesce. Et cessavit ventus et facta est tranquillitas magna.* Marc. **4.** 38.

lavit [22], ianuis clausis domum ingressus est [23], panes multiplicavit [24], aquam in vinum convertit [25], testimonium accepit de coelo [26], et transfiguratus est [27]. — Nec solum Christus, sed **Apostoli** quoque miracula operati sunt. Adhuc Christo vivente Petrus ambulavit super aquas [28], Apostoli et Discipuli daemonia ejecerunt [29]; post descensum vero Spiritus S. eorum prodigia excreverunt; nam linguis ignotis locuti sunt [30], *Petrus* claudum a nativitate sanavit [31], Ananiam et Saphiram morte ob mendacium punivit [32], confractis compedibus ad suos reversus est [33], obumbrando innumeros aegrotos ab infirmitatibus sanavit [34]: *Paulus,* supernaturali visione conversus [35], Elymam magum caecitate percussit [36],claudum curavit [37], pythonem a daemonibus liberavit [38], a vinculis solutus est [39], infirmos plurimos ad salutem restituit [40], mortuum suscitavit [41], a naufragio se et alios exemit [42], a viperae morsu sanatus est [43]. Ceteri *Apostoli* [44] et *Discipuli* faciebant prodigia magna [45] et loquebantur variis linguis [46]. In **Ecclesia** tandem miracula etsi non pari multitudine [47] semper fuerunt, uti constat ex historia ecclesiastica, et quotidiana experientia, maxime si considerentur, quae ad sanctuaria B. V. M. et sanctorum in dies fiunt [48].

147. **Secunda pars.** *Veritas historica horum miraculorum extra omne dubium est posita.* Nam si agitur de miraculis Christi, Apostolorum priorumque fidelium, haec continentur in Evangeliis

---

[22] Matth. **14.** 25.
[23] Joan. **20.** 29.
[24] Matth. **14.** 17 sqq.; **15.** 33 sqq.
[25] Joan. **2.** 1 sqq.
[26] *Vox de coelo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi.* Luc. **3.** 22.
[27] Matth. **17.** 1-2.
[28] Matth. **14.** 29.
[29] Luc. **10.** 17.
[30] Act. **2.** 4 sqq.
[31] Act. **3.** 2 sqq.
[32] Act. **5.** 1 sqq.
[33] Act. **12.** 3 sqq.
[34] Act. **5.** 15.
[35] Act. **9.** 1 sqq.
[36] Act. **13.** 8-11.
[37] Act. **14.** 7-9.
[38] Act. **16.** 16.
[39] Act. **16.** 26-27.
[40] Act. **19.** 10-11; **28.** 9.
[41] Act. **20.** 9-10.
[42] Act. **27.** 15 sqq.
[43] Act. **28.** 1 sqq.
[44] Act. **2.** 43.
[45] Act. **6.** 8; **8.** 40.
[46] Act. **10.** 46; 1 Corinth. **12.** et **14.**
[47] Cum miracula sint revelationis signa, religione iam propagata, ut audivimus a CHRYS. multiplicari non debuerunt.
[48] Vide numerum seq.

et Actibus Apostolorum, quae esse documenta historice vera iam supra ostendimus. Nunc adde huiusmodi miracula *a*) non contigisse in ignotis, sed in certis et determinatis personis, quorum nomina vel signa characteristica indicantur [49]; non *b*) fuisse in occulto patrata, sed palam, in magno populi concursu [50]; nec *c*) *obiter* visa, sed attente considerata a populo, qui inde magnificabat Deum, acclamabat Messiam et ad eius sermones audiendos accurrebat [51], atque *d*) subtiliter discussa a scribis et Pharisaeis [52] qui, facta confitentes [53], de veritate philosophica ex invidia, avaritia [54] et falsis praeiudiciis [55] disputabant, dicentes quod in Beelzebub Christus ejiceret daemonia [56]. — Quoad miracula sanctorum extant monumenta antiquitatis, et scimus quam diligenter examinentur a Romanis Congregationibus. De miraculis Lourdes videbis H. LASSERRE, BOISSARIE, CROS necnon ANNALES DE N. D. DE LOURDES qui illorum historicam veritatem extra omne dubium ponunt [57].

148. **Tertia pars.** *Constat etiam de veritate philosophica miraculorum.* Nam restitutio organi vitalis, quod nativitate non est acceptum, et resurrectio mortui nulla creata virtute fieri possunt; in ceteris, etsi forte adsint virtutes naturales, constat eas adhibitas non fuisse : atqui illud quod creata virtute fieri nequit, vel saltem de facto praeter ordinem naturae creatae operatur, est miraculum : ergo. MINOR patet. PROB. MAI. **Restitutionem organi vitalis** vires naturae excedere, constat *a*) imprimis universalissima *inductione;* etsi enim membra infirma medicina et exercitio saepe fuerint sanata numquam procreatum est membrum nativitate non acceptum. Profecto huiusmodi membrum effici nequit *virtute infirmi,* quia desiderio et usu, ut melius explicabimus agentes de

[49] Sic. v. g. : *socrus* Simonis Petri — *filia* principis Jairi — *Bartimaeus* filius Timaei — *Lazarus* — *Maria* de qua ejicerat septem demonia — claudus *quem portabant quotidie* ad portam templi etc.

[50] Cf. Paralyticum demissum e tecto et filiam Jairi in cuius domum convenerat turba ob caeremoniam planctus.

[51] Cf. resurrectionem filii *viduae Naim* et *multiplicationem panis* quae promissionem Eucharistiae praecessit.

[52] Cf. quae contingerunt in sanatione *caeci nati* (Joan. **9** per totum) et *claudi* qui sedebat ad portam speciosam templi Jerosolymitani (Act. **3**. 2. **4**. 22).

[53] Joan. **11**. 47. Act. **4**. 14.

[54] Joan. *l. c.*

[55] Scil. quia Christus curabat die sabbati, unde contradicere videbatur Moysi.

[56] Matth. **12**. 14.

[57] LASSERRE *Notre-Dame de Lourdes;* BOISSARIE *Les grandes guérison de Lourdes;* P. L. CROS *Notre-Dame de Lourdes.*

transformismo, non producuntur nova organa : effici nequit *causa extrinseca* quia principium causalitatis exigit viventem a solo vivente eiusdem speciei gigni, et genitus non potest in ventrem matris iterato introire et renasci. « Natura, inquit S. THOM., *determinatis mediis* procedit ad suos effectus : unde illa quae naturaliter generantur ex semine, non possunt naturaliter sine semine generari »[58] ; quia ergo causa proxima productionis organi vitalis est generatio, sine generatione naturaliter effici nequit. **Quoad resurrectionem** *a*) valet imprimis argumentum modo datum, manifestum est enim vitam *generatione* acquiri, nec generatione quemque a mortuis posse resurgere. *b*) Accedit universalis inductio qua constat naturam non ad restitutionem primi entis ordinari, sed ad productionem *novi,* secundum notum adagium : *corruptio unius est generatio alterius;* unde et cum post mutationes redit primum ens, reditus est specificus, non numericus : atqui resurrectione nihil *novi fit,* sed quod fuit redit, ut patet de Lazaro, qui post resurrectionem eamdem specie et numero existentiam prosecutus est, quam ante mortem habuerat : ergo. — *c*) Confirmatur argumento morali ; ipsa enim ratio docet morte cessare tempus viae et defunctum constitui in manu Dei, ut, prout gessit, sive bona sive mala a iusto iudice recipiat : atqui de manu Dei nulla creatura potest defuncti spiritum eripere[59] : ergo nulla creatura valet mortuum resuscitare[60]. **Quoad cetera miracula.** Etsi non negemus *possibilitatem* sanandi infirmos naturalibus medicinis, atque quaedam *mira* causis nunc ignotis aliquando futura, experientia tamen et ratione constat huiusmodi effectus non obtineri solo imperio vel mediis omnino improportionatis : atqui miracula Christi, Apostolorum et sanctorum solo imperio aut invocatione patrata sunt absque usu cuiusvis medicinae aut naturalis substantiae, vel mediis omnino improportionatis, v. g. tactu[61], sputo[62], aqua[63], etc. : ergo.

---

[58] S. THOM. 1 p. q. 71 a. 1 ad. 1 ; *De Potent.* q. 3 a. 5.

[59] Si essent in natura vires ad resurrectionem operandam, quis posset mortuum revocare ad vitam et sic a termino in statum viae restituere.

[60] Similia dici possent de transfiguratione, glorificatione corporis etc. Cf. S. THOM. 1 p. q. 91 a. 2 ad 3.

[61] V. g. manus, reliquiae, etc.

[62] Joan. **9**. 6.

[63] LASSERRE physicos et medicos incredulos provocavit, proposito praemio 10.000 libellarum, ut vel unum de miraculis a se relatis naturaliter explicarent.

149. **Quarta pars.** *De miraculorum veritate relativa nullatenus potest dubitari.* Nam *a*) Multa expresse sunt patrata ad veritatem missionis Christi Domini [64] et Apostolorum [65] comprobandam, qua posita, iam constat de veritate et divinitate christianae religionis, siquidem Christus millies suam divinitatem testatus est [66]. *b*) Pro ceteris valet argumentum naturalis consequentiae: ex fructibus enim agnoscitur arbor et miracula praedicta erant veluti fructus missionis apostolicae et fidei quam credentes recipiebant (n. 118). *c*) Similia repeti possunt de miraculis sanctorum, quorum plurima ad conversionem infidelium vel haereticorum expresse erant ordinata, alia vero sunt patrata ad manifestandam sanctitatem beatorum necnon ad fiduciam in illis repositam rependendam, quae profecto cedunt in demonstrationem veritatis religionis quae tales sanctos generat et alit. *d*) Revoca tandem Christum miracula ordinasse ad fidei confirmationem secundum illud MARCI: *Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super aegros manus imponent, et bene habebunt* [67]: omnia ergo Ecclesiae miracula ex Christi dispositione in fidei demonstrationem cedunt, quemadmodum de dono linguae expresse docet Apostolus [68].

THES. 17. *Veritas Christianae revelationis demonstratur etiam — 1 prophetiis, — 2 Christi testimonio, — ac 3 eius resurrectione.*

150. **Prima pars.** *Christianae religionis veritas demonstratur prophetiis.* Adduci possent in primis prophetiae plurimae V. T. quae in Christo et in Ecclesia sunt completae, quaeque demonstrant Christum esse Messiam promissum verumque Deum, et Ec-

---

[64] *Sciebam quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti. Haec cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus.* Joan. **11.** 42-4; Matth. **9.** 6; Luc. **7.** 19-23; Joan. **10.** 37-8. etc. Cf. supra n. 91.

[65] *Quid intuemini quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?... Fides, quae per eum* (J. C.) *est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.* Act. **3.** 12-6; **13.** 10-1.

[66] Matth. **16.** 13-20; Luc. **24.** 13-27; Joan. **3.** 13-18 ,etc.

[67] Marc. **16.** 17.

[68] *Linguae in signum sunt... infidelibus.* 1 Corinth. **14.** 22.

clesiam illam veram religionem, quam omnes amplecti tenentur; sed de iis in tractatibus *De Ecclesia* et *De Verbo incarnato* uberius dicetur. Nunc commemorasse sufficiat prophetias ab ipso Christo datas; praedixit enim suam passionem [69] et resurrectionem [70], discipulorum fugam [71], trinam negationem Petri [72], Judae proditionem [73], persecutionem Apostolorum [74], crucifixionem Petri [75], effusionem Spiritus S. [76], Ecclesiae propagationem in mundum universum [77] eiusque perpetuitatem [78], excidium Jerusalem [79]; quae *revera contigisse*, ut fuerant praedicta [80], ex Evangeliis, ex Actibus Apostolorum, ex Patribus [81], et ex scriptoribus profanis [82] indubie noscimus. Atqui haec fuisse *veras prophetias* clarum est; siquidem praevideri cum certitudine, imo nec cum probabilitate, poterant; easdem vero habere etiam *veritatem relativam* patet, siquidem *a*) Christus aliquando expresse eas ordinavit ad fidem confirmandam [83], *b*) in T. V. erant statutae uti signum legati Dei [84], et *c*) ex sese ostendunt prophetam esse virum Dei eiusque amicum, cui credendum omnino est [85].

151. **Secunda pars.** *Christiana religio confirmatur Christi testimonio.* Christum de veritate suae missionis, imo de sua divinitate dedisse testimonium, universa docent Evangelia, quae referunt Christum *a*) approbasse opinionem qua reputabatur propheta [1], Messias [2], Filius Dei [3], *b*) aperte haec docuisse [4], atque requisivisse

---

[69] Matth. **20.** 17. Marc. **10.** 33.

[70] Matth. **12.** 39-40; **16.** 4.

[71] Matth. **26.** 31.

[72] Matth. **26.** 34.

[73] Matth. **26.** 21.

[74] Matth. **10.** 17 sqq.

[75] Joan. **21.** 18.

[76] Act. **1.** 8.

[77] Matth. **26.** 13.

[78] Matth. **16.** 18; **28.** 19-20.

[79] Matth. **24.** 7 sqq.; Luc. **19.** 43-44; **21.** 20-24.

[80] Rationalistae, ut notat TANQUEREY n. 189, negare tentaverunt praedictiones has praecessisse eventum, sed hodie et ipsi admittere coguntur saltem quoad prophetiam de excidio Jerusalem, uti videre est apud HOLTZMAN, WELLHAUSEN, DUBLIN, REVIEW, A. LOISY locis citatis ab eodem auctore.

[81] Cf. CLEM., IREN., EUSEB. de morte S. Petri.

[82] SUETON., TAC., J. FLAV. de excidio Jerusalem deque circumstantiis eius.

[83] *Amodo dico vobis, prius quam fiat: ut cum factum fuerit, credatis, quia ego sum.* Joan. **13.** 19; Matth. **12.** 38-40; Joan. **14.** 29.

[84] Deut. **18.** 21-22, supra n. 91.

[85] Cf. supra n. 110.

[1] Luc. **7.** 16-23 etc.

[2] Joan. **4.** 25-26.

[3] Matth. **16.** 16-17.

[4] Matth. **26.** 59-66; Joan. **7.** 14 sqq.; **10.** 24 sqq.

a suis discipulis ut haec crederent [5]. Porro Christi testimonium verax esse inde elucet quod ipse nec *a*) decipi, nec *b*) decipere potuit. *a*) **Christus decipi non potuit,** nam, si amentem excipis, unusquisque suipsius conscientiam habet; sicut ergo Joannes ex aliorum opinione non reputavit se esse Messiam [6], ita profecto nec Christus. Dicemus ergo cum quibusdam rationalistis *ex enthusiasmo* hoc contigisse? Sed quae fuit huius enthusiasmi occasio? Quomodo perduravit contra persecutiones Pharisaeorum, inconstantiam plebis, derelictionem Apostolorum, dolores et ignominias suae passionis? Quomodo enthusiasmo concipi potuit Christus omnino diversus ad illo qui expectabatur? *d*) Sed insuper « ubinam in eius historia vestigia huiusmodi inveniri possunt? Fortasse in quieta suorum praeceptorum auctoritate, in spiritu leni, practico et benefico suae religionis, in ingenua sermonis simplicitate, qua suam admirabilem potestatem et religionis sublimes veritates manifestat, aut in recto sensu, in humanae naturae cognitione, quam clare prodit dum sermonem habet cum variis hominum ordinibus quibus familiariter utitur? »[7]. *b*) **Christus decipere non potuit.** Nam hypocrisis , sicut et ceteri humani habitus, limitem habet, unde, qui attente hypocritam considerat, vitium detegit : atqui Christus *a*) semper et in omnibus eximia dedit virtutum exempla : pietatis erga Deum [8], charitatis erga proximum [9], dilectionis inimicorum [10], sinceritatis [11], humilitatis [12] et magnanimitatis [13]; *b*) tanta vero fuit claritas sanctitatis eius, quod infensissimi adversarii, provocati ad ipsum arguendum de peccato [14], nihil adducere contra eum potuerint; ita ut, instituto iudicio, et adductis falsis testibus, in synedrio [15], apud Herodem [16] et apud Pilatum [17] eius virtus meri-

[5] *Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite.* Joan. **14.** 10-12; Luc. **24.** 13-27; Joan. **3.** 13-8; **9.** 35-8; etc.

[6] Joan. **1.** 19-23.

[7] CHANNING *Character of Christ* p. 306, apud TANQUEREY *De vera Relig.* c. 2. n. 170.

[8] Matth. **21.** 12; Luc. **2.** 49; Joan. **4.** 34 etc.

[9] Matth. **11.** 28 etc.

[10] Cf. historiam proditionis Judae, orationem pro crucifixoribus et promissionem paradisi factam latroni poenitenti.

[11] Matth. **4.** 37; Joan. **6.** 26.

[12] Matth. **9.** 20; Joan. **6.** 15 .

[13] Joan. **18.** 23.

[14] *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Joan. **8.** 46.

[15] Matth. **26.** 59-66.

[16] Luc. **23.** 7-11.

[17] *Ecce coram vobis interrogans, nullam causam inveni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes.* Luc. **23.** 14-5; Joan. **18.** 38; **19.** 4; 6; etc.

diana luce effulserit: ergo. — Neque dicas Christum acriter exprobrasse Scribis et Pharisaeis [18]; non enim fecit ex odio, praecipitatione vel vindicta, sed zelo gloriae Dei, ut populo a seductionis periculo praecaveret. Quapropter, cum de se ipso agebatur patienter iniurias sustinebat et, *cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur; tradebat autem iudicanti se iniuste...* [19].

152. **Tertia pars.** *Religio christiana confirmatur resurrectione Christi.* Admissa historica veritate resurrectionis Christi evidenter probari revelationem christianam patet, siquidem ex praedictis ambigi nequit de eius veritate philosophica et relativa [20]. Iamvero quod attinet ad veritatem historicam constat Christum vere *esse mortuum,* vere *apparuisse,* vere *resurrexisse.* Et primo quidem Christus **vere mortuus est.** Etsi enim SALVADOR iudaeus et PAULUS rationalista initio saec. XIX id negaverint [21], aperte constat *a*) *historia passionis,* siquidem flagellatio, spinearum impositio, crucifixio abunde sufficiebant ad mortem inferendam; de qua omne dubium abstulit cordis transverberatio [22]. *b*) Accedunt mortis *certissima testimonia;* Christum enim esse mortuum non solum testatur *Joannes* qui sub cruce stans agnovit quod inclinato capite tradidit spiritum [23], sed affirmant *milites* qui expirasse viderunt [24], unde, cum cognovissent iam esse mortuum, non fregerunt eius crura [25], *Pilatus* qui certiorari a Centurione voluit de Christi morte antequam eius corpus traderet Josepho ab Arimathea [26], *discipuli* qui sepellierunt [27], *Apostoli* qui de Christi occisione incusarunt iudaeos [28] et ex veritate mortis eius dogmaticas conclusiones deduxerunt [29], *Scribae* ipsi et *Pharisaei* qui, ut notat Renan [30], ex odio quo prosequebantur Christum nihil intentatum reliquerunt ut moreretur, et de morte certiorarentur, quique custodire voluerunt

---

[18] Matth. **23** per totum.

[19] 1 Petri **2**. 23.

[20] Christus pluries suam resurrectionem annuntiavit tamquam *signum* suae missionis. Matth. **12**. 39-40; **16**. 4 coll. **27**. 63; Luc. **29**. 30; Joan. **2**. 19.

[21] Idem dixerunt K. HASE, AMMON, HERDER, THEILE, SCHLEIERMACHER, etc.

[22] Joan. **19**. 34.

[23] Joan. **19**. 30.

[24] Marc. **15**. 39; 44.

[25] Joan. **19**. 32-33.

[26] Marc. **15**. 43-45.

[27] Matth. **27**. 57 sqq.

[28] Act. **3**. 15.

[29] 1 Corinth. **15**. 15 sqq.; 28 etc.

[30] RENAN *Vie de Jésus Chr.* c. 26.

sepulchrum, non timendo quod sanatus exiret, sed ne discipuli furarentur eum [31]. *c*) Ceterum si mortuus non fuisset, adhuc foret miraculum quod tertia die in perfecta valetudine apparuerit Apostolis et comitatus sit discipulos euntes in Emmaus. **Christus vere apparuit.** Hoc constat *a*) *ex multitudine* eorum qui eum viderunt, siquidem visus est Petro, Joanni, Paulo, Magdalenae, piis mulieribus, Apostolis, discipulis euntibus in Emmaus, plus quam 500 simul, ut refert Apostolus [32]; impossibile est autem tot homines semper esse deceptos : *b*) *ex diversitate personarum,* nam apparuit viris et mulieribus, Apostolis et discipulis, iis qui statim crediderunt et iis qui credere noluerunt : atqui repugnat tot personas tam diversae conditionis et diversimode affectas, mentis infirmitate vel levitate aut malitia cordis detineri : *c*) *ex differentia locorum,* siquidem apparuit in coenaculo, prope monumentum, in via Emmaus, ad lacum Genezareth, in monte Galilaeae et in monte Olivarum unde ascendit in coelum; illusio vero nec ubique nec semper contingit. Adde *c*) *testimonia militum et Pharisaeorum,* qui aperto mendacio inviti pro veritate resurrectionis pugnarunt [33]. **Christus vere resurrexit.** Resurrectionem Christi fuisse veram et non apparentem tantum constat *a*) ex *operationibus,* nam apparens Apostolis, locutus est eis, ipsis dedit potestatem absolvendi a peccatis et praedicandi Evangelium, atque coram eis manducavit [34] : *b*) ex *testimonio sensuum,* siquidem visu, auditu, tactu veritas carnis eius est comprobata : *c*) ex *testimonio ipsius Christi,* qui de veritate suae resurrectionis testatus est discipulis euntibus in Emmaus [35],

---

[31] Matth. **27**. 62-66.

[32] 1 Corinth. **15**. 6. Ex multitudine apparitionum evanescit obiectio CELSI et RENAN (apud DE BROGLIE *Problemi* etc. c. 10 p. 411) fidem resurrectionis tribuentes illusionibus Magdalenae.

[33] Falsitas testimonii militum dicentium se dormientibus apostolos furatos esse corpus Christi, non solum inde patet quod dormiens *videre* non potest, sed quia Apostoli *timidi* (Joan. **20**. 19) numquam ausi essent militum *custodiam* (Matth. **27**. 63) provocare, non potuissent sine *strepitu* lapidem magnum revolvere (Marc. **16**. 3-4), nec *linteamina* in sepulchro reliquissent et multo minus plicuissent. Cf. AUG. in Ps. **63**. 7.

[34] Christus non apparenter solum sed vere manducavit, siquidem « fides Christiana, ut ait AUG., non dubitat quod etiam post resurrectionem iam quidem in spirituali carne sed tamen vera, cibum ac potum cum discipulis sumpsit; non potestas sed egestas edendi ac bibendi talibus corporibus aufertur ». *De Civ. Dei* XIII. c. 22. Cf. S. THOM. 3 p. q. 55 a. 6 ad 1.

[35] Luc. **24**. 25 sqq.

Apostolis congregatis in coenaculo [36] et maxime S. Thomae [37]: *d*) *ex testimonio angelorum,* qui mulieribus Christum vivere dixerunt [38]: *e*) *ex testimonio Apostolorum* qui prius increduli [39] dein in multis argumentis [40] ad fidem resurrectionis ita sunt adducti, ut non solum saepius eam praedicarint [41], sed pro eius veritate mori non dubitarint [42], eamque basim ac fundamentum constituerint totius fidei secundum illud Pauli: *Si Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, inanis est et fides vestra* [43].

153. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Christi resurrectio est obiectum fidei ergo scientiae experimentali non subiacet [44]. **Resp.** Resurrectio sub diverso respectu fidei est *obiectum* et *argumentum;* scil. in quantum est factum a Deo revelatum *credimus,* in quantum independenter a revelatione historice examinatur et cognoscitur est *motivum credibilitatis,* secundum ea quae in thesi exposuimus.

154. **Obiic. 2.** Post resurrectionem corpus Christi utpote glorificatum non erat eiusdem rationis ac nostrum, sed suprasensibile et hyperphoenomenicum [45] ita ut appareret et dispareret [46], discipuli non agnoscerent [47] et apostoli timerent [48]; non ergo poterat sensibus percipi et certitudinaliter cognosci [49]. **Resp.** Corpus glorificatum potest occultari *conc.,* non potest manifestari *nego.* Corpus gloriosum proprietatibus differre a nostro constat veluti a priori ex ratione aeternae beatitudinis [50], et aperte docetur a Paulo, qui ait: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate surget in gloria; seminatur in infirmitate surget in virtute: seminatur corpus animale surget corpus spirituale* [51]; sed novae proprietates non immutant na-

---

[36] *Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum: palpate et videte: quia spiritus carnem et ossa non habent, sicut me videtis habere.* Luc. **24**. 39.

[37] Joan. **20**. 24-31.

[38] Luc. **24**. 5-7.

[39] Matth. **28**. 17; Marc. **16**. 14; Luc. **24**. 25; 38 sqq.

[40] Act. **1**. 3.

[41] Act. **4**. 33.

[42] Act. **5**. 29 sqq.

[43] I Corinth. **15**. 14.

[44] LOISY apud *Billot* De Trad. c. 4 § 2 p. 109; LE ROY *Dogme et critique* p. 184.

[45] LOISY *L'Évang.* etc. p. 117-8; LE ROY *Dogme* etc. p. 162-3.

[46] Loisy *l. c.* p. 118-9; Le Roy *l. c.* p. 164-6.

[47] Luc. **24**. 15 sqq.; Joan. **20**. 15; **21**. 5 sqq.

[48] Luc. **24**. 37.

[49] Cf. DECR. *Lamentabili* prop. 36.

[50] Profecto si eodem modo se haberet ac in vita praesenti, subiaceret activitati virium physicarum nec esset impassibile et immortale. Cf. quae diximus de renovatione mundi Vol. 2 n. 399.

[51] 1 Corinth. **15**. 42-44.

turam veri corporis, unde de consensu animae videri potest [52]. Caeterum quae sint proprietates corporis gloriosi a priori statui non debet, corpus autem Christi, etsi resuscitatum, visum esse et tactum ex historia evangelica apertissime constat. Quod autem Magdalena et discipuli non *statim* agnoverint, facile explicatur ex apparentis habitu et inconsideratione videntium, qui dein, eo bene intuito, agnoverunt. Timor apostolorum eorumque incredulitas, quin infirmet veritatem testimonii, confirmat, sola enim facti evidentia ex incredulis facti sunt fideles.

155. **Obiic. 3.** Resurrectionis persuasio sufficienter explicatur expectatione illius eventus et desiderio videndi magistrum; religioso enim enthusiasmo atque defiguratione et transfiguratione fidei uti verum apprehenditur quod desideratur [53]. **Resp.** Nego assertum. Quam inepte distiguatur inter modum cognoscendi veritatem religiosam et profanam atque Apostoli obtrudantur quasi hysterici et dementes [54], sufficienter diximus in praecedentibus.

156. **Obiic. 4.** Circumstantiae resurrectionis scil. *vacuitas* sepulchri, inventio *sindonis*, custodia *militum*, etc. paucae sunt, nec omnes verae [55], in apparitionibus autem contradictiones habentur [56]: ergo sufficiens argumentum de resurrectionis facto non praebent. **Resp.** Etsi quaedam circumstantiae singillatim inspectae probabile tantum argumentum vel suspicionem praebeant, simul inspectae cum apparitionum multitudine et varietate absolutam certitudinem inducunt. Quod vero idea resurrectionis aliis hypotesibus explicari possit, non infirmat nostrum argumentum; non enim agimus de *possibilitate* sed de *facto*, quod non hypothesibus statuitur, sed documentis fide dignis. — *Antiphaniae* seu apparentes contradictiones « facile conciliantur si ad duo attenderis. Non sunt eaedem mulieres, quas Luc. **23.** 56 sqq. *ante* sabbatum aromata parasse dicit, atque illae, quas Marc. **16.** 1 *finito* sabbato aromata emisse refert; quare etiam in apparitionibus turmae mulierum sunt distinguendae. Praeterea, advertertatur oportet, varias illas apparitiones non immediate sese excepisse, aut omnia illa unius vel duabus horarum spatio esse peracta; etenim duo discipuli, quando satis diu post

---

[52] S. THOM. 3 p. q. 54 a. 1 ad 2 et 3 Cf. AUG. *De Civ. Dei*, XIII c. 22 ubi docet Christum post resurrectionem *vere* manducasse.

[53] LOISY *Autour d'un petit livre* p. 114, 119 sqq.; LE ROY apud *Scuola Catt.* Luglio 1908 p. 63.

[54] Vide quae de S. Paulo dicit LE ROY *Dogme* etc. p. 219-20. In *Annales de philos. chrétien.* (gen. 1905) evangelia comparat *Korano*, et legendariam formam deducit ex orientalium scriptorum indole. Similia habent *Ps.* GUTOPE, BUONAIUTI, MINOCCHI, LABERTHONNIÈRE, supra n. 142.

[55] LOISY et LE ROY *l. c.* Cf. *Scuol. Catt.* Luglio 1908 p. 42, 60, 64.

[56] RATIONALISTAE passim.

meridiem in Emmaus abierunt, nondum quidquam de apparitione Domini audierant »[57]. Imo huiusmodi circumstantiarum differentia veritatem facti confirmat, prout sinceritatem et independentiam enarrantium ostendit.

157. **Obiic. 5.** Resurrectionis testes omnes sunt domestici, scil. Apostoli et Discipuli : atqui testes domestici sunt suspecti : ergo. **Resp.** *Nego min.* Cur Christus noluerit apparere inimicis explicant ascetae et interpretes[58]; sed inde non infirmatur testimonium resurrectionis, quia nullum fuit Apostolis motivum mentiendi[59] et quia domesticorum testimonium exterorum opera non fuit infirmatum, sed potius confirmatum[60].

158. **Obiic. 6.** Nihil est in apparitionibus Christi quod imitari non potuerit ab angelo bono vel malo : ergo de resurrectione Christi omnimoda certitudine non constat. **Resp.** Si apparitiones Christi divisim spectentur *trans.;* si omnes simul considerentur *subd.:* ab angelo fieri potuissent physice *conc.* moraliter *neg.* Imprimis cum S. THOM.[61] nota vim argumenti non esse in una vel altera apparitione, sed in complexu omnium et attentis circumstantiis et attestationibus ipsius apparentis, quibus fit, ut bene notat SUAREZ[62], quod Christus post resurrectionem de vera vita non minora signa dederit quam ante suam passionem. Si in his circumstantiis dubitare de veritate resurrectionis liceret, de existentia quoque cuiusvis hominis dubitandum esset, imo

---

[57] CORNELY *Int. in Sacr. Scrip.* Diss. VII § 8 n. 4.

[58] Praecipua ratio est quia resurrectio est argumentum veritatis fidei cf. n. 152 not. 20 et 1 Corinth. **15.** 14). unde non omni populo, sed *testibus praeordinatis* innotescere debuit. Cf. Luc. **24.** 48; Act. **1.** 22; **10.** 41.

[59] Testimonium domesticum est suspectum quando de *scientia* vel *veracitate* potest dubitari : jamvero Apostolos *non facile credisse* constat ex Thomae infidelitate et ex verbis Christi qui saepius exprobravit incredulitatem eorum; *veraces* autem in testimonio extitisse, inde patet quod nulla utilitate ad mentiendum poterant impelli.

[60] De confirmatione *militum* iam diximus, de confirmatione *pharisaeorum* et *paganorum* testimonium reddit eorum silentium; si enim resurrectio non fuisset vera sed fraude Christum resurrexisse finxissent Apostoli Jos. FLAVIUS et CELSUS oppido dixissent, et de huiusmodi contradictione certa extarent documenta : quod enim obiicit LOISY (apud *Scuola* l. c. p. 60) impossibile fuisse *facti constatationem,* eo quod forte corpus Christi in *Haceldama* cum ceteris damnatis ad mortem erat sepultum, *gratis* asseritur et nulla vel hypothetica probabilitate gaudet, siquidem amicis et inimicis Christi corpus eius summi referebat (cf. Matth. **27.** 57-8; 62 sqq.); post paucos autem dies facti circumstantias poterant certe revocari et examinari.

[61] S. THOM. 1 p. q. 55 a. 6 ad 1.

[62] SUAREZ in *Com. S. Thom.* l. c.

multo magis, siquidem resurrectio Christi proponitur uti signum divinae missionis, unde Deus non solum permitteret invincibilem errorem, sed positive cooperaretur ad decipiendum in re fidei, quod plane repugnat.

THES. 18. *Martyrum — 1 pene innumera multitudo, — 2 qui pro christiana fide occubuerunt — 3 ex sese — et 4 ex divino interventu irrefragabile testimonium reddunt veritatis fidei nostrae.*

159. **Prima pars.** *Martyres numero plurimos valde fuerunt.* Ecclesiastico usu MARTYR dicitur qui pro supernaturalis veritatis testimonio [63] cruciatus ex sese [64] lethales sustinet. Porro non exiguo sed ingenti numero fuisse martyres, etsi negent HARNACK, KELLNER, DODWELL, AUBÈ [65], etc., concedunt alii rationalistae [66], ac probatur testimonio *Patrum* commemorantes « innumerabiles martyrio coronatos »[67] et *historicis documentis*. Inepte sane martyrum numerus coarctatur ad illos quorum nomina extant in martyrologio Hieronymiano; post ALLARD enim ex DE-ROSSI notat P. SYXTUS [68] plurimos ex servis privato supplicio occubuisse et ex ipsis illustribus quidam ignorari a martyrologio, qui ab Irenaeo et aliis commemorantur : in catacumbis vero saepe plurimos martyres simul celebrantur [69], non alia sane de causa nisi quia simul occisi sunt. Qui considerat christianos passos esse apud *Romanos, Persas, Mussulmanos, Japoneses, Sinenses, Annamitas,* aliosque po-

---

[63] Testimonium MARTYRIS duplex est : *verbalis,* qua fidei doctrinam coram tyranno confitetur, et *realis,* qua supernaturalem virtutem in tolerantia passionum manifestans confessioni suae divinum sigillum apponit. Hinc ex graeca etymologia inepte quidam (Cf. *Scuola* Luglio 1908) ad solam martyris *confessionem* coarctant eius testimonium, praecipuum enim deducitur ex *divino interventu.*

[64] Dicimus *ex sese,* nam Ecclesia uti martyres honorat etiam eos qui a morte miraculo sunt erepti.

[65] HARNACK *Die Mission und Ausbreitung des Christ.* p. 345 sqq., KELLNER *L'anno ecclesiastico* etc. p. 318-9; DOWELL *De pauc. martyr.* Disp. 12.

[66] RENAN *Journal des savants* 1874 p. 697; BOISSIER *La fin du Paganisme* I ap. p. 456; LECKY *History of European Morals* I p. 428.

[67] EUSEB. *Hist. Eccl.* VI c. 21; VIII c. 3; IUST. M., *Apolog.;* TERTUL. *Apol.* c. 12; 40; *ad Scapul.* c. 3-4; *Scorp.* c. 1 etc.; CYPR. *De exort. ad maryr* c. 11; LACT. *De persec.;* PRUD. *Perist.* XI etc.

[68] P. SYXTUS *Notiones arch. christ.* p. 1 c. 2 a. 3.

[69] Sic v. g. « Marcella et Christi martyres CCCCCL »; « CL martyres Christi »; etc. Attendas etiam in catacumbis symbolo *palmae* non omnes martyres obsignari, sed eos tantum qui *iuridice* ab Ecclesia agnoscebantur.

pulos; qui attendit in solo Romano imperio *deces* furentes persecutiones [70] excitatas fuisse *avaritia* sacerdotum idolorum et magistratuum, plebium *furore* et insatiabili spectaculorum siti, necnon superbia et falsa imperatorum *politica* qui, *deleto nomine christiano,* celebres esse volebant [71], qui noscit seviendi occasionem ubicumque esse quaesitam [72], is profecto dabit martyrum numerum « aliquot saltem millies millia comprehensurum fore »[73].

160. **Secunda pars.** *Martyres pro fide christiana occubuerunt.* Ut argumentum nostrum enervarent quidam maxime e rationalistis dixerunt martyres non in odium fidei esse occisos, sed quia violatores legum [74]. Verum imprimis tene christianos pro delictis communibus non esse damnatos, sed, ut Petrus in sua epistola admonuerat, passi sunt *ut christiani* [75]. Hoc non solum constat ex apologiis ATHENAG., IUSTINI, TERTULLIANI et LACTANTII [76], sed ex testimonio TACITI, qui docet christianos Neronis tempore esse damnatos, quia « haud perinde in crimine incendii, quam *odio humani generis* convicti sunt »[77], et PLINII qui Traiano scribebat: « *Nihil aliud inveni quam superstitionem* pravam et immodicam »[78]. Profecto si de delictis communibus veris vel aestimatis actum fuisset, sola apostasia a poenis non fuissent exempti, sufficiebat e contra quod christiani diis sacrificarent ut statim dimitterentur, et honoribus cumularentur; persecutionis ergo causa saltem *proxima* fuit professio fidei christianae [79]. — Quod si de causa *remota* inquiris, seu de titulo quo *christiani uti tales* in iudicium vocabantur, potius

---

[70] AUG. *De Civ. Dei* XVIII n. 52.

[71] In Hispania inventa est columna quam DIOCLETIANUS erexerat *Christiano nomine deleto.*

[72] « Si Tiberim ascendit in moenia, inquit TERTUL., si Nilus non ascendit in arva, si coelum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim: *Christianos ad leones* ». *Apolog.* c. 40.

[73] P. SYXTUS *Not. arch. chr.* p. 1. c. 2 a. 3. Vide etiam HERGENROTHER *Storia Un. della Ch.* I p. 336 sqq.

[74] MOMMSEN *Der Religionsfrevel nach römischen Recht;* D. LECLERCQ *Les martyres - Le Christ. et l'Empire rom.*

[75] 1 Petr. 4. 14. 16. Hodie saltem probabilius tenetur ipsam Neronis persecutionem non movisse ex titulo criminis incendii.

[76] IUST. M. *Apol.* I n. 14; ATHENAG. *Legat. pro chr.* n. 2; TERTUL. *Apol.* c. 44; LACT. *De div. inst.* III c. 26.

[77] C. TACIT. *Annales* XV c. 44.

[78] PLIN. *epist.* X ep. 96.

[79] Cf. J. E. WEIS *Christenverfolgungen* apud *Civiltà Catt.* 1901; P. ALLARD *Dix leçons sur le martyre* p. 95-6.

quam theologicam, legalem et historicam quaestionem instituis [80]; in qua aestimamus Neronis tempore christianos esse damnatos odio humani generis sub *confusa ratione flagitiorum et superstitionis* quibus incusabantur; tempore Trajani ex *solo nomine christiano;* quo titulo pariter damnantur fideles sub Hadriano et Marco Aurelio : « Ad persecutiones tertii et quarti saeculi usque ad an. 313 quod pertinet, nihil mutatur nisi modus persequendi, qui prorsus ab arbitrio imperatorum pendet »[81].

161. **Tertia pars.** *Martyrum testimonium ex sese veritatis religionis christianae validum est argumentum.* Nam testimonium est validum cum testes sunt *scientes* et *veraces:* atqui tales sunt martyres : ergo. PROB. MIN. Martyres sunt testes SCIENTES, quia ad originem ipsam christianismi ascendunt, quando inquisitio facti adventus Christi et secutae revelationis erat *facilis* et *obvia* [82] : ipsis vero erat *certa,* quia pro re dubia nemo moritur. Sunt testes VERACES quia nullo alio motivo quam veritatis amore ad mortem sustinendam pro confessione religionis christianae addici poterant. Profecto huiusmodi motiva non alia forent quam fanaticus furor, vanae gloriae cupiditas, emolumentorum spes. Atqui martyres non occubuerunt *fanatico furore,* quia fanatismus vel debetur mentis dementiae vel excitatur ab appetitu sensibilium et externo rumore [83], unde neque constans neque universalis est : martyres vero Christi *a*) saepe sapientes fuerunt, nullis suasionibus et sophismatibus iudicum decepti, *b*) quique non in aestu passionis sed post diuturnum carceris squallorem, *c*) sine sensuum lenocinio, pro factis [84] et spiritualibus bonis, *d*) exquisita tormenta diuturno tempore et *e*) ingenti numero, in universo mundo passi sunt. Non occubuerunt *inanis gloriae cupidine,* siquidem cum plures simul

[80] Persecutores egisse *secundum legem* (?) eorum culpam forte imminuit, sed nil detrahit testimonio martyrum, qui si aliorum *accusatione* inquirebantur ex *propria confessione* damnabantur.

[81] P. SYXTUS *l. c.* c. 2 a. 1.

[82] Pro martyribus 2 et 3 saec. eadem fere militat ratio, non enim de secundario quodam dogmate agebatur, sed de facto revelationis et divinitatis Christi quorum testimonia manifestissima esse debebant. Caeterum non deerant sapientes qui possent et deberent de secutae revelationis facto certiorari.

[83] Profecto fanaticus furor ex nervorum contentione et phantasiae perturbatione oritur, quae non doctrinis spiritualibus sed maxime corporalibus rebus excitantur.

[84] P. ALLARD cui consentire videtur NOVELLI in *Scuola* Luglio 1908, totum argumentum in hoc fundat, quasi pseudo-martyres pro *ideis,* veri pro *facto revelationis* decertaverint. Damus martyres Christi occubuisse *etiam*

vel in occulto interficerentur, eorum nomina silentio premi oportebat, ceteri vero in praesenti humani generis odio damnabantur [85] et in futuro Ecclesiae gloriam naturaliter praevidere non poterant. Non occubuerunt *emolumentorum spe,* quia eorum bona proscribebantur, et morte omnibus bonis temporalibus valedicebant. CONFIRMATUR, nam fanatismi et inanis gloriae motiva, cum in quibusdam defectibus radicentur, universalia esse non possunt nec omni vitae conditioni communia : atqui inter martyres « inveniuntur *nobiles,* ut Fl. Clemens, Apollonius, Chromatius; *docti,* ut Justinus, Irenaeus, Cyprianus; *plebei,* ut Theodotus, Serenus; *milites* ut Victor, Sebastianus, Mauritius...; *mulieres,* sive *nobiles* ut Perpetua, Caecilia, Agatha, sive *servilis* conditionis, ut Blandina et Potamia; *senes* ut Polycarpus et uterque Simeon; *pueri puellaeque,* ut Cyrillus, Tarcisius, Eulalia, Agnes »[86] : ergo.

162. **Quarta pars.** *Martyrum testimonium divino interventu firmatur.* Profecto humana virtus impotens erat ad taliter moriendum [87]; ut enim praescindamus ab ipso martyrum testimonio, qui ex Deo vim moriendi pro fide repetebant, considerandum est *a*) quod absque cunctatione dignitates, honores, divitias atque omnium bonorum temporalium culmen vitam ipsam, summa animi hilaritate ponebant [88] : *b*) non minis terrebantur vel sophismatibus confundebantur, sed vel rudes superabant sapientiores [89] : non improv-

---

pro factis, multo magis si factum dicitur ipsa doctrina ut revelata, sed ex hoc solo non conficitur argumentum, siquidem *pseudo-martyres* moriuntur et ipsi pro doctrinis concretis et pro facto suarum religionum.

[85] C. TACITUS *Annales* XV c. 44.

[86] TANQUEREY n. 222 ex *Brugère.*

[87] Non omnia quae leguntur in vulgatis actibus martyrum esse vera, in confesso est apud eruditos nostrae aetatis; sed omnia esse dubia negamus : quod autem in praesenti de martyribus religionis christianae dicimus constant ex authenticis actibus ceterisque archeologiae fontibus, de quibus videbis P. SYXTUM *Not. arch. christ.* c. 1. Hinc LACT. scribebat : « Cum videat vulgus dilacerari homines variis tormentorum generibus et inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam, existimant, id quod res est, nec consensum tam *multorum,* nec *perseverantiam* morientium vanam esse, nec ipsam *patientiam sine Deo* cruciatus tantos posse superare ». *De div. instit.* V c. 13. Cf. AUCT. epis. *ad Diognet.* c. 7.

[88] Cf. IGNAT. M. epist. *ad Rom.* n. 4; CYPRIAN. epist. 53; SULPIT. SEV. *Sac. Hist.* II.

[89] Matth. **10**. 19 « Neminem, inquit TERTUL. pudet, neminem poenitet nisi pristinorum (quae scil. in infidelitate sunt acta). Si denotatur gloriatur, si trahitur non subsistit, si accusatur non defendit, interrogatus confitetur, damnatus gratias agit ». *Adv. Nat.* I c. 5; *Apol.* c. 1.

viso ictu interibant, sed « quaesitissimis poenis afficiebantur »[90], nec semel sed pluries ita ut « rupta compage viscerum, torquerentur in servis Dei non membra sed vulnera »[91]; sic autem patiebantur, ut « dum latrones et robusti corporis viri eiusmodi lacerationes perferre nequeunt, exclamant et gemitus edunt victi dolore..., pueri et mulierculae tortores suos tacite vincebant, et exprimere illis gemitum nec ignis poterat »[92]. *c*) Adde miracula, quibus divinum auxilium manifestabatur: siquidem « haud raro bestiae mansuefactae martyribus parcebant; aliquando mediis in tormentis nullus aut certe exiguus eis erat doloris sensus, nonnumquam eorum vulnera subito sanabantur; unde factum est ut nonnulli pagani, his perterriti prodigiis, fidem christianam amplecterentur »[93]. *d*) Neque exitus plane supernaturalis praetermittendus est; cruciatibus enim multiplicabantur martyres, sed non imminuebantur fideles, secundum illud TERTUL. « Cruciate, torquete, damnate, atterite nos: probatio est enim innocentiae nostrae iniquitas vestra;... nec quidquam tamen proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra;... Plures efficimur quoties metimur a vobis; *semen est sanguis Christianorum* »[94].

163. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Omnes religiones habent suos martyres; *Indi* mortem appetunt sub idolorum curru; *Anabaptistae* et *Protestantes* servant sua martyrologia et *Babistae* in Perside laetantes pro suis doctrinis occubuerunt. Ergo martyrium non est verae religionis argumentum[95]. **Resp.** *Dist. ant.:* Omnes religiones habent martyres numero et qualitate iis similes, qui pro Christo occisi sunt *neg.*, habent fanaticos vel obstinatos, qui mori malunt, potius quam errorem deserere *conc.* Nil mirum quod daemon, qui imitatur prodigia Dei, suos habeat martyres; sed sicut prodigia daemonum miraculis non sunt aequanda, ita nec fanatici falsarum religionum martyribus nostris. « Sane *a*) occurrit discrimen respectu numeri; nam nulla gens tot heroas, nulla secta tot proferre martyres potest, quot Ecclesia numerat. *b*) Martyres Ecclesiae non fuerunt tantum viri robusti, sed puellae et virgines tenerae, mulieres infirmae,

---

[90] TACIT. *Annal.* XV c. 44.

[91] CYPR. *epist.* 8. Cf. quae AUG. in *Ps.* 47 n. 13 ait de periculosa pugna contra parentum lacrymas.

[92] LACT. *De div. inst.* III c. 13.

[93] TANQUEREY n. 226 ex *Ruinart;* EUSEB. *His. Eccl.* VIII c. 7; Mart. S. POLYC. apud *Tepe* n. 123.

[94] TERTULL. *Apol.* c. 50.

[95] G. BOISSIER *La fin du Paganisme,* 1907 I p. 344.

provectae aetatis senes. Differunt *c*) tormenta, talibus enim tamque horrendis tormentis, qualia sustinuerunt martyres nostri, nullus vel fere nullus eorum, qui martyribus solent opponi, subiectus fuit. Differunt *d*) alia adiuncta; in primis quod martyres christiani omnium virtutum comitatu suam confessionem ornaverint, summaque libertate obierint mortem, non ex more gentis inveterato »[96]. *e*) Martyres insuper Christi non in aestu religiosi fervoris seipsos occiderunt, sed in quiete animi pro fidei testimonio scienter et volenter occubuerunt[97]; numquam *f*) tandem miracula in fanaticorum occisione sunt patrata.

164. **Obiic. 2.** « Aegyptii patientissimi sunt in tormentis et citius moritur homo Aegyptius, dum torquetur, quam ut verum fateatur; apud indos vero eumdem ignem cum mortuis viris uxores sustinent »[98]. **Resp.** *Neg. paritatem;* nam ex confessione culpae reus aequalia vel peiora damna timet; uxores vero indicae non libere et ex amore, sed violenter ex lege et consuetudine se iniicere coguntur, dum pereuntium eiulatus sonitu tympanorum et adstantium vociferationibus suffocantur.

THES. 19. *Christianae religionis divinitas invicte probatur — 1 admirabili eius propagatione et — 2 perfecta conservatione.*

165. **Prima pars.** *Divinitas religionis christianae constat ex modo quo est propagata.* Profecto cum homo sit limitatae virtutis, eius opera paullatim crescunt, proportionatis mediis efficiuntur, et gravibus difficultatibus impediuntur: atqui christiana religio brevi tempore, sine naturalibus mediis proportionatis est propagata, ac validissimas cuiuscumque generis contraditiones superavit: ergo non humana res est sed divina. PROB. MINOR. Tam *celeriter est propagata* religio christiana, ut Apostolus Romanis scribere potuerit: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo*[1], *in omnem terram exivit sonus eorum* (praedicantium scil. evangelium), *et in fines orbis terrae verba eorum*[2]; TERTUL. vero medio 2 saec. sic inimicos catholici nominis alloquitur: « Hesterni sumus et vestras omnes replevimus urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis templa reliquimus »[3]. — *Sine proportionatis humanis mediis* chri-

---

[96] HURTER I n. 130.

[97] Indos *fanatismo* se occidere fatentur etiam DE GOBINEAU *Les Relig. et les Philos. dans l'Asie Cent.*, et RENAN *Les Apôtres.*

[98] AELIANUS *Variat. hist.* VIII c. 18.

[1] Rom. **1.** 8.

[2] Rom. **10.** 18.

[3] TERTUL. *Apol.* c. 37; CLEM. ROM. 1 *Corinth.* n. 6; IUST. M. *C. Tryph.* n. 117; TACIT. *Annal.* XV c. 44; PLIN. *epist.* X epist. 96; SUETONIUS in *Nerone* 16; AUG. *De Civ. Dei* VI c. 11 n. 36.

stianam religionem esse diffusam, meridiana luce apparet consideranti Apostolos fuisse rudes, ingenio tardos, sine pecuniis, sine armis, omni protectione principum destitutos; Evangelium vero ita annuntiasse ut ingentem hominum multitudinem ad Christum converterent sine violentia [4] et absque persuasibilibus humanae sapientiae verbis [5]. Nec aberant *gravissimae difficultates;* si enim *internas* ponderas, habes doctrinam theoreticam impenetrabilibus mysteriis plenam, practicam vero concupiscentiae mortificationem, arduum virtutum exercitium et suipsius abnegationem praecipientem: si *externas* attendis, religio christiana oppositores habuit iudaeos et gentiles, populos et sacerdotes, idiotas et mundi sapientes, privatos et principes, nec defuerunt domestici inimici (scil. haeretici), qui matri saevissimum bellum indixerint. Porro impugnata in occulto et in publico, aperta lucta et hypocrita blanditie, portas inferi ita confregit, ut HILARIUS scribere potuerit: « Hoc Ecclesiae proprium est, ut tunc vincat, cum laeditur; tunc intelligatur, cum arguitur; tunc obtineat cum deseritur »[6]. Post haec « an vobis inane vel leve videtur, et nullum vel parvum putatis esse miraculum divinum, quod in nomine unius crucifixi universum genus currit humanum »[7]?

166. **Secunda pars.** *Etiam conservatio Ecclesiae argumentum est suae divinitatis.* Revera qui considerat rerum creatarum perenne fluxum convincitur *immutabilitatem* esse attributum divinum [8]: atqui Ecclesia non obstante differentia populorum, varietate morum et legislationum, multiplicitate persecutionum et haeresum, post 19 saecula non tantum superest, sed firmissime manet et vivit eadem *fide,* iisdem *sacramentis,* eodem *regimine,* pari *virtutum exercitio,* eademque *sanctitate* communi, perfecta et heroica, qua initio apparuit: ergo est divina. Attendas, quaeso, quot regna hoc tempore in praecedentium vicem successerint, quot philosophica systemata perierint, quam mutatae sint aliae religiones, iam oblivioni datae vel, uno servato nomine, funditus corruptae! An sub coelo efficaciora media pro sui conservatione parabantur Ecclesiae? Ergo non ab hominibus repetenda est haec firmitas Ecclesiae

---

[4] Act. Apost. *per omnia.*
[5] 1 Corinth. **2**. 4.
[6] HILAR. *De Trinit.* VII n. 4.
[7] AUG. *De fide rerum* etc. c. 4 n. 7; CHRYS. *Quod Chr. sit Deus* n. 12-3.
[8] Ps. **101**. 27; Dan. **2**. 21; Malach. **3**. 6, etc.

sed a Deo, qui, manens in illa [9], suam immutabilitatem eidem participat.

167. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** « Fausta Ecclesiae propagatio et conservatio, quod eadem et *islamiticae* et *budhisticae* religioni contigit, inter documenta veritatis atque originis divinae referri non potest »[10]. **Resp.** *Neg. paritatem.* Nam **Mahumetus** armis inter homines agrestes, omnis doctrinae divinae ignaros, religionem propagavit nullatenus arduam, mysteriorum expertem, concupiscentiis faventem, et carnalium voluptatum promissis innixam; quae si in generalibus praeceptis est servata, non eadem mansit theoretice et practice, cum de *Korano* vix quidquam, exceptis forte sapientioribus, islamitae cognoscant [11]. Quod attinet ad **Budhismum,** damus non fuisse propagatum armis, sed *a*) a principe fundato, sapientes et reges statim nactus est protectores, ut merito dictum fuerit invenisse suum *Constantinum* ante *Decium* et *Diocletianum* [12]: *b*) sicut autem externas difficultates non habuit, ita internis caruit; doctrinas quidem *practicas* praedicat sed non praecipit, nulla *mysteria* credenda annuntiat, *superstitionem* vero et *atheismum* concedit: *c*) de eius tandem immutabilitate non constat, siquidem antiquis scripturis et certa historia caret [13].

168. **Obiic. 2.** Sub imperio romano, unitate politica firmata, religiosa instauratio desiderabatur; nil ergo mirum quod absurdus polytheismus, fabulis onustus, christianismo cederet, qui doctrinae profunditate et moralitatis sanctitate omnes alliciebat [14]. **Resp.** *Trans. antec.* et *dist. cons.:* nil mirum quod polytheismus cederet christianismo, si hic difficilia praecepta non imposuisset, si mysteria credenda non docuisset, si concupiscentiae non obstitissent, si persecutores non adversati fuissent, si pulchritudo, veritas, sanctitas et utilitas novae religionis persuasibilibus humanae rationis verbis a viris peritis propositae fuissent, *conc.*, secus *neg.* — Difficultas confundit providentialem *occasionem* [15], cum *sufficienti causa:* damus quidem ethnicos sapientiores et minus corruptos falsitatem polytheismi agnovisse, sed non concedimus inde solum explicari, quod inter omnis generis difficultates christianismus quam citissime sit propagatus; populus enim idololatriae addictissimus erat, romana constitutio, quae *suprema lex* agnoscebatur, ob-

[9] Matth. **28.** 30.

[10] WESGSCHEIDER apud *C. Mazzella* n. 315.

[11] Cf. S. THOM: *Cg.* 1 c. 6; HOOCKE app. c. 3, BERGIER *Della vera relig.* a. *Maomet.*

[12] DE BROGLIE *Problemi* etc. c. 10 p. 427.

[13] DE BROGLIE *Problemi* etc. c. 6 p. 190-236.

[14] LECKY *History of European morals* I c. 3.

[15] S. THOM. 3 p. q. 1 a. 5.

stabat [16], non deerant alii cultus maxime orientales, aderant Gnostici, dum christiani, potius quam amore, odio humani generis [17] prosequebantur.

169. **Obiic. 3.** Propagatio religionis Christianae potest explicari *zelo* apostolorum, *puritate morum* praedicantium, *fama miraculorum,* promissione *vitae aeternae,* spe *divitiarum* [18], nec non *gnosticismi* et *hellenicae philosophiae* propagatione [19] : ergo non fuit miraculum. **Resp.** *Neg.* ultima asserta, alia *conc.* si de veris miraculis, de supernaturalibus virtutibus, et de certa spe aeternae vitae, quae praecedenti fidei innititur ,agatur, secus *neg.* De origine dogmatum religionis christianae infra dicemus, interim nota *gnosticismum* paganismi et platonismi mixturam, erroribus et corruptione plenum, obfuisse potiusquam profuisse propagationi Evangelii, unde in Cerintho iam damnato a S. Joanne, Patres semper habuit adversarios. Nec aliter sentiendum de *hellenica philosophia* cui virtus crucis et humilis mentis obsequium veritatibus inscrutabilibus stultitia erat [20]. *Spes divitiarum* non poterat movere nobiles ac divites, imo nec plebeos qui vitam ipsam fidei professione periclitari sciebant. *Zelus* apostolorum vere heroicus et supernaturalis fuit utique medium aptum ad Evangelii propagationem, sed quia supernaturalis, est in se veritatis et divinitatis nostrae fidei sufficiens argumentum. Idem dicatur de *puritate vitae,* quae naturali virtute tantam perfectionem attingere non poterat. Caeterum christiana religio, ut notat FUNK paganis, qui mysteria ignorabant, non apparebat sancta, sed potius athea, immunda, crudelis, omnium calamitatum causa [21]. *Miracula,* si vera fuerunt, invictum veritatis sunt argumentum; si falsa, sapientes et bonos decipere non poterant. Etiam *promissio vitae aeternae* est motivum adhaerendi religioni christianae, sed utpote bonum

---

[16] DE BROGLIE *Problemi* etc. c. 10 p. 416-7.

[17] C. TACIT. *Annal.* XV c. 44. Act. **28**. 22.

[18] GIBBON *History of the fal* etc. II c. 15; RENAN *Les Apôtres; Marc-Aurèle.*

[19] BUONAIUTI *Gnosticismo;* HARNACK *La missione e la propag. del crist.;* BATTAINI in *Rivista di cultura* 16 Agosto 1906.

[20] DE BROGLIE *Problemi* c. 10 p. 418. *NB.* Negamus hellenica philosophia Platonis et Philonis explicari originem et diffusionem religionis christianae sed non negamus speculationes huius philosophiae fuisse providentialem « *praeparationem* ad plenam veritatem christianismi » (BILLOT *De Trad.* c. 2 § 3 n. 1 p. 95); hoc enim concedunt IUST. M. *Apol.* 2 n. 13; CLEM. Alex. in *Paedag.;* AUG. *De Civ. Dei* VIII c. 14, et sequitur modum revelationis, qua non *infunduntur* novae ideae sed ex praecedentium coordinatione, unione vel divisione *efformantur* iudicio affirmativo vel negativo. Cf. n. 69.

[21] FUNCK *Storia della Chiesa* 1903 I p. 48.

spirituale et futurum, non seducit fanatismo vel enthusiasmo, sed tunc solum convincit intellectum, cum existentia futurae vitae et veritas promissionis evidentibus argumentis est comprobata. Quae ergo obiiciuntur vel factum non explicant, vel ex sese praebent christianae religionis invictum argumentum [22].

ARTIC. 3 - RELIGIO CHRISTIANA PROBATUR ARGUM. INTRINS.

170. **Ad praecedentia nexus.** Jam diximus argumenta extrinseca faciliora et per se efficaciora esse, intrinseca tamen utilia et per accidens quibusdam aptiora; nil ergo mirum quod argumentis extrinsecis addamus intrinseca, quae repeti solent *a*) ex doctrinae sublimitate et veritate, *b*) ex nobilissimis eius fructibus, *c*) necnon ex comparatione cum ceteris religionibus.

THES. 20. *Divinitas christianae religionis apparet ex sublimitate et veritate doctrinae eius.*

171. **Argum. 1.** Humani ingenii fructus non sunt incomprehensibiles invenienti et iis qui eadem mentis acie sunt donati: atqui in religione christiana plurima sunt mysteria, quae, licet absurda non appareant, neque ab Apostolis, neque a viris eximii intellectus sunt umquam comprehensa: ergo christianae religionis doctrina non est fructus humanae rationis, et ideo divina. **Argum. 2.** Licet humana mens *per se* non sit fallibilis, *per accidens* tamen aliquando errat; unde completa inductione constat in operibus artis et maxime in libris historicis, philosophicis, moralibus et religiosis, a viris quoque eruditis conscriptis, errores non deesse. Atqui doctrina christiana, quae diverso tempore [1] ab hominibus non semper eruditis et diversae indolis [2], de variis argumentis, h. e. de doctrinis religiosis et profanis, historicis, didacticis et prophetis, scripta et tradita est [3], numquam in errore est inventa, licet hostili animo a suo exordio ad nostram usque aetatem [4] a viris in omni scientia peritis ad trutinam revocata fuerit, novumque splendorem accepit

---

[22] Cf. H. MAZZELLA n. 256. — Divinitas religionis christianae, evinci potest etiam ex *catholicitate* doctrinae et legislationis, siquidem res humanae iuxta locorum et personarum conditionem variant. Cf. BILLOT *De Ecclesia* p. 239.

[1] *Mosaico, Prophetico, Apostolico* et deinceps usque ad tempora nostra.

[2] A *Moyse, Josue, Samuel, David* aliisque psalmistis, *Salomon, Esdra,* 16 *prophetis,* auct. *Machab., Matth. Marco, Luca, Joan., Paulo, Petro, Jacobo, Juda.*

[3] Ab *Apostolis, Rom. Pont., Concil. Patribus* et *Doctoribus.*

[4] A *Celso, Porphyrio* et *haereticis* usque ad rationalistas et modernistas.

ab explorationibus historicis, archeologicis et scientificis. Ergo non humana sed divina est.

THES. 21. *Veritas, ideoque divinitas, religionis christianae evincitur — 1 ex bonis fructibus. — 2 qui per se evangelicam praedicationem sequuntur.*

172. Prima pars. Divinitas religionis christianae ex eius fructibus evincitur. Nam videmus religionem, quae sub omni respectu verum progressum promovet veram esse et consequenter divinam, si talem se dicit[1]. Atqui religio christiana quae divinitatem sibi vindicat, individuum, familiam et societatem, quae corrupta invenit, instauravit; ergo est divina. PROB. MIN. *Christiana religio instauravit individuum.* Nam cum praedicari coepit christianismus, in religione erat polytheismus, in philosophia ignorantia originis et finis hominis, in moribus ingens corruptio[2]; christiana autem religio monotheismum cum cultu ab omni superstitione immuni induxit, immortalitatem animae in futura vita omnibus vel rudibus patefecit, atque honestatem vitae fovit et alit, non solum in paucis bonae indolis viris, sed in multitudine fidelium[3]. *Christiana religio instauravit familiam.* Nam apud ethnicos, maxime romanos, filii sub absoluta parentum potestate reputabantur, a quibus impune variis de causis occidebantur[4]; uxores, quae libidinis explendae instrumentum habebantur, virorum dominationi subdebantur, alicubi cum viris defunctis comburi cogebantur[5], privata auctoritate occidebantur[6], praesumebant universaliter se

---

[1] Cf. supra n. 92.

[2] Rom. 1, 24 sqq.; 1 Corinth. 6, 9 sqq.; TERTULL. Apol. c. 9, 15, 46; CYPR. Ep. 1 n. 9; IUVEN. Satir. VI 282-300; SENEC. *De ira* II 8.

[3] «Qui olim, scribebat IUST. M., stupris gaudebamus, nunc castimoniam solam amplectimur; qui magicis etiam artibus utebamur, bono et ingenito nos consecravimus Deo; qui redituum et possessionum vias omnibus antiquiores habebamus, nunc etiam ea quae habemus in commune conferimus, et cum indigentibus quibusque communicamus; qui mutuis odiis et caedibus pugnabamus, et cum iis, qui tribules nostri non essent, communem focum ob diversa instituta non habebamus, nunc, postquam Christus apparuit, convictores sumus et pro inimicis rogamus». Apolog. I 14. Cf. TERTULL. Apol. I c. 44; ad Scapulam c. 2; PLINIUM ad Traian. Lib. X ep. 96; GRANIANUM ad Hadrian. apud Euseb. H. E. IV c. 8.

[4] ARISTOT. Polit. VII c. 14; SENECA *De ira* I c. 15.

[5] Cf. n. 163.

[6] VALER. MAX. VI c. 20.

donabant [11], et viris suis nulla firmitate vinculi et legitima unione adhaerebant [12]: *servi* nec uti personae habentur, sed quasi res in bonum et malum usum dominorum reputabantur [13] qui pro lubito poterant laqueo suspendere [14]. Atqui religio christiana *filios* a dura servitute liberavit, eis quidem obedientiam [15], sed parentibus solicitudinem et amorem iubendo [16]: *uxorem* ad dignitatem veri coniugis evexit [17], et *matrimonii* unitatem atque indissolubilitatem firmavit: *servitutis* rigorem statim temperavit, praecipiens dominis ut pro fratribus servos haberent [18], paullatim vero condonatione, redemptione, legibus, et specialibus institutis [19] extinctionem, quantum potuit, curavit. *Christiana religio instauravit* **societatem.** Nam apud paganos, teste ARISTOTELE, non princeps pro populo, sed populus in bonum principis reputabatur [20]: hinc enervatio subditorum et *tyrannides* imperantium [21], quam consecuta est inhumana illa *crudelitas*, qua in amphitheatris, spectante populo et principe, captivi feris devorandi tradebantur, et gladiatores usque ad 10.000 una die decertantes occumbebant [22]. Deficiente humanitatis et iustitiae sensu, nulla erant nationum legitima iura, et *vis* unica pacis et belli regula, unica finium regnorum sanctio: inde bella frequentia, victorum oppressio, mulierum, senum et infantium clades vel captivitas. Jamvero religio christiana, *principum potestatem* intra iustos fines continuit, omnis auctoritatis originem a Deo repetens [23], cui magis quam hominibus obedire oportet [24]: ipsa theoretice prius, dein practice, tyrannide sublata, cum subditorum convenienti civili libertate creavit *regimen vere politicum*, cuius uberrimi fructus

---

[11] TACIT. *Annal.* II n. 85; SUETON. *in Tiber.* 35.

[12] Rom. **1.** 26-7 PLUTAR. *in vita Catonis et Ciceronis;* SUETON. *August.* 71; CICER. *Pro Caelio* c. 20.

[13] Cf. CAT. *De re rustica* c. 2; SENEC. *de Clement.* 1 c. 18; IUVEN. *Satyr.* IV; etc.

[14] CODEX THEOD. IX, 21, 1 apud *P. Syxtum* Not. Arch. chr. c. 2 a. 3.

[15] Ephes. **6.** 1.

[16] De parvulorum cura cf. Matth. **18.** 6-10; Marc. **10.** 14; LACT. *De Div. Inst.* VI c. 20.

[17] 1 Corinth. **7.** 3-4; Ephes. **5.** 25.

[18] Gal. **3.** 28; Colos. **4.** 1; Ephes. **6.** 9; Philem. 16.

[19] Cf. LEON. XIII Litt. ad *Card. Lavigerie* 27 Oct. 1888.

[20] ARIST. *Politic.* III c. 5.

[21] Cf. TACIT. *Annal.* III c. 26-27; TIT. LIVIUM *Dec.* I c. 17; etc.

[22] Cf. J. FLAV. *De Bello Jud.* VII; MARTIAL. *De Spectaculis;* SUETON. *Claudius* 34; *Nero* c. 12; *Domitianus* c. 4; JUVENAL. *Satyr.* III 36-37; SENEC. *De brev. vitae* c. 13 etc.

[23] Rom. **13.** 1-2.

[24] Act. **5.** 29.

fuerunt progressus in arte et scientia, quos Ecclesia undequaque fovit, filios suos in omni bonarum artium genere coryphaeos proferens. Crudelitati mansuetudinem et *caritatem* opposuit, primis temporibus communionem quamdam bonorum [25] atque egenorum curam [26] inducens, dein peregrinorum hospitia, nosocomia, orphanotrophia, brephotophia, etc. erigens. Vi *ius* substituit, bella iniusta proscripsit, crudelitates vetuit, inermium incolumitati providit, *ius gentium* invexit [27].

173. **Secunda pars.** *Religionis christianae boni fructus Evangelii propagationi per se debentur.* Nam religio christiana supradictos effectus obtinet perficiendo omnes hominis *facultates* et occurrendo omnibus vitae *necessitatibus*. — Revera christiana religio perficit *intellectum* supernaturalibus veritatibus mentem illustrando, eique manifestando omnia officia, quibus erga Deum, proximum et nosmetipsos ligamur : perficit *voluntatem* exemplis Christi et sanctorum, quae ad imitationem trahunt, gratiis actualibus, quibus contra tentationes munimur et ad bonum promovemur, necnon sacramentis, quibus intime sanctificamur : perficit *facultates sensitivas* tum *negative* retrahendo a vitiis, quae dum animam maculant, corpus corrumpunt, cum *positive* recto rationis regimini illas subdendo, necessaria concedendo, atque exterioritatibus cultus inferiorem hominis partem ad nobilia elevando. Occurrit dein omnibus vitae *necessitatibus*, siquidem in prosperis ad humilitatem et charitatem inducit, omnia ex Deo omnium bonorum fonte repetendo [28], in adversis solatur spe futurorum bonorum, et infusione pacis, quae exsuperat omnem sensum, tristitiam in gaudium convertit [29], difficultatibus, quae a legis observatione retrahunt, occurrit proposita sufficienti legis sanctione, scil. aeterno gaudio [30] bene agentibus, aeterna poena [31] iis qui culpis se maculant.

THES. 22. *Christianae religionis veritas aliarum comparatione confirmatur.*

174. Profecto non omnes religiones esse falsas, sed unam veram, aperte colligitur ex divina Providentia cui spectat media sufficientia ad verum cultum Dei suppeditare : atqui inter omnes

---

[25] Act. **2**. 44.
[26] Act. **6**. 1 sqq. **11**. 29-30; I Corinth. **16** 1-3.
[27] Cf. TANQUEREY n. 152 sqq.
[28] Luc. **17**. 10.
[29] Joan. **16**. 20.
[30] 2 Tim. **4**. 8.
[31] Matth. **25**. 46.

religiones mundi christiana eminet: ergo est vera, ideoque supernaturalis. PROB. MIN. Argumentum coarctamus ad religionem *Zoroastri, Budhae, Confucii* et *Mahumeti*, siquidem *Polytheismus*[32] in quaestionem venire nequit, cum ratione constet unitas veri Dei, *Iudaica* vero ad christianam fuit pedagogus[33], ut ex tractatu de *Ecclesia* et de *Verbo Incarnato* apparebit[34]. Porro supradictis religionibus christianam praestare constat ex *auctore*, ex *doctrina*, ex *fructibus*, et ex *mediis*. — *a*) PRAESTAT FUNDATORE, nam de *Zoroastro* nihil certi scimus sed mythologiae fabulis eius vita ita consuitur, ut de reali existentia dubitare liceat: de *Budha* generaliora tantum innotescunt, dum particularia vitae legendis miscentur, nec omnia sanctitatem redolent: *Confucii* vita magis historica est, sed nihil in eo heroici apparet honestatemque communem non excedit: *Mahumetus* ex ipso Korano agnoscitur vir crudelis et lascivus[35]: *Christus* e contra historiam notissimam habet in Evangeliis de quorum veritate supra diximus; de coelo autem veniens, humanorum defectuum expers, omnium virtutum exempla reliquit, suamque missionem ac divinam originem innumeris miraculis et prophetiis comprobavit[36]. — *b*) PRAESTAT DOCTRINA, nam religio *Zoroastri*, quae arctis limitibus est comprehensa, et iam fere oblivioni data, duplex aeternum principium (boni et mali) statuit, ex quo fundamentali errore superstitiones plurimas quoad animalium usum et hominum artes sanxit[37]. *Confucianismus* confusam et fere impersonalem ideam Dei sub ratione *Coeli* exhibet, vitam

---

[32] Inter religiones polytheistas merito inscribitur *Brahamismus*, non solum in forma vulgari, quae idola adoranda plebi offert, sed etiam in forma scientifica, siquidem apparet in canticis *Veda*. Nec huiusmodi polytheismus ad unitatem Dei reducitur supremo cultu Brahama; *Brahama* enim non est persona determinata, sed mundus *in fieri;* unde non ad monotheismum ducit sed ad atheismum vel pantheismum. Adde nunc Brahamismum fundatorem non habere, et pluribus scatere erroribus; docet enim metempsychosim, sacrificio virtutem magicam tribuit illudque supra divinitatem exaltat, sacerdotibus iniusta privilegia confert et beatitudinem in impotentia agendi constituit. DE BROGLIE *Problemi* c. 5 n. 3 p. 167 sqq.

[33] Gal. **3**. 24.

[34] Vidimus scil. Ecclesiam quasi *novum foedus* in V. T. esse praedictam, Christum vero in se prophetias messianicas complevisse: qui ergo verus Israëlita est ad tabernacula christianorum, qui sunt filii Abraham (Gal. **3**. 7 sqq.), venire debet.

[35] DE BROGLIE *Problemi* etc. c. 10 p. 394 sqq. et fusius c. 5-7.

[36] Cf. supra n. 146 sqq.

[37] DE BROGLIE *Problemi* c. 5 n. 2 p. 159-67.

futuram pene ignorat, inimicorum odium approbat, nec quidquam de revelatione et supernaturali ordine docet [38]. *Budhismus,* etsi moralem satis honestam profiteatur, ita ut quidam audeant comparare vel etiam praeferre religioni Christi [39], tamen Deum supremum vindicem ignorans, efficacem sanctionem adimit legi, quam uti normam ad mala vitae praecavenda, potiusquam uti obligationem in conscientia proponit; virtutes *apparentes* tantum docet, nam externae demissioni internam copulat superbiam, eleemosynam vero suadet ob utilitatem, et castitatem ex odio vitae, sicut poenitentiam ad insensibilitatem assequendam. Adde nunc pessimisticam conceptionem vitae, quam fontem omnium malorum habet, metempsychosim, et nirvana [40] et videbis an vel a longe assimilari poterit perfectissimae doctrinae christianae religionis [41]. *De Mahumetismo* adnotari imprimis debet esse religionem *irrationalem* siquidem se exhibet uti propaginem religionis Abrahae et perfectionem christianismi, quin aliquid probet; in morali non solum polygamiam et divortium sed mulierum prostitutionem suis *harem* approbat, servitutem legitimat, divitiarum cupidinem et debilium oppressionem fovet [42]. — *c*) PRAESTAT FRUCTIBUS, nam religiones omnes orientales *polytheismum et idololatriam* non abstulerunt, *superstitionem* foverunt et *polygamiam* saltem practice tolerarunt; mahumetismus vero, quamvis servaverit monotheismum, nullam *civilizationem* promovit *superstitionem* permisit, *violentiam* et *polygamiam* agnovit. Nulla insuper ex his religionibus veram charitatem promovit, sed sola Ecclesia infirmis, pueris, senibus, amentibus omnibusque indigentibus hospitia aperuit, ingratos quoque et inimicos summa benevolentia succurrendo [43]. — *d*) PRAESTAT MEDIIS. De mediis *externis,* quibus est propagatus christianismus, h. e. de miraculis et prophetiis nihil addimus praedictis [44]: de

[38] DE BROGLIE *Problemi* c. 5 n. 1 p. 152-58.

[39] LUIGI VIOLA *Felicità Orientale e felicità Occidentale.* Non desunt tamen inter eruditiores rationalistas qui contrarium aperte fatentur. C. KUENEN et RÉVILLE apud *De Broglie l. c.* c. 6 p. 235.

[40] *Nirvana* est ultimus status perfectionis, quam dicunt *quietem,* sed non consistit in possessione *aeternae vitae* sed in *immobilitate mortis* et annihilationis, qua mala huius vitae effugiuntur. *NB.* Aliqui considerant quasi ultimam phasim pantheismi qua homines amissa propria personalitate cum supremo principio confunduntur.

[41] DE BROGLIE *Problemi* c. 6 n. 190 sqq.; TANQUEREY n. 270.

[42] DE BROGLIE *Problemi* c. 7 n. 253 sqq.

[43] DE BROGLIE l. c. passim; TANQUEREY n. 272.

[44] Cf. supra n. 117 et 129.

mediis *internis* quibus religio servatur et ad praxim deducitur hoc solum notamus, in aliis religionibus hominem sibi soli relinqui, pro reparatione delicti aptum medium non praestari, praemium vero valde remissum bene agentibus repromitti: christianus in *oratione* spem auxilii invenit, in *sacramentis* vires efficacissimas accipit, *poenitentia* remissionem peccatorum cum spe vitae consequitur, in *praedicationibus* et bonis exemplis excitamenta habet virtutum, in *inferno* adaequata sanctio legum, et in aeterno *gloriae pondere* sufficiens motivum ad vitae mala patienter sustinenda. Qui vel leviter haec consideraverit cum Isaia christianam religionem comparabit Jerusalem, quae divino lumine corruscans inter tenebras, quae operiunt terram et caliginem populos, suo splendore emicat et reges ac populos universos ad se vocat [45].

175. **SOLVITUR DIFFICULTAS. Obiic.** Etiam apud catholicos delicta patrantur, vitia crescunt, coniugum fides abrumpitur, iniustis et cruentis praeliis dimicatur, et innocentibus non parcitur; dum apud haereticos et infideles civilizatio in dies progreditur. Ergo bona, quae christianae religioni adiudicantur, potius humanitatis progressui tribuenda sunt, quam influxui religionis. **Resp.:** apud christianos multa mala et peccata extant, quae religioni imputari possint. *neg.:* quae religionis contemptui vel saltem negligenti professioni tribuenda sunt, *conc.* Argumentum nostrum non deducitur ex solo *facto* sed praeprimis ex *iure* [46]; quod ergo in Ecclesia plures male vivant non officit sanctitati eius bonisque fructibus quae ab ipsa procedunt; multo magis quod peccatores in Ecclesia minores numero sunt quam apud alias religiones, noscunt se defecisse a recta via et media habent quibus ad iustitiam redeant. Quod si in heterodoxis religionibus invenitur civilis quaedam et religiosa ascensio, non naturali humanitatis progressui [47] tribuendus est, sed influxui christianismi; sicut enim sol ante ortum sua aurora mundum illustrat, et lux quae cacumina montium tangit abyssi tenebras penetrat, ita civilizatio christiana populorum commercio optimos fructus ad exteros deducit, futuris conversionibus viam parans.

---

[45] Isai. **60.** 1-9.

[46] Cf. supra n. 117 et 129.

[47] CLAUDIUS JACQUET ex accurato examine monumentorum *Tablini Guimet* in *Nouvelle Revue* 15 mars 1890 scribebat: « Religiones Indo-orientales primis temporibus satis purae, constanti gressu desiluerunt a munditie in corruptionem, eorumque odyssea nihil aliud est quam enarratio diuturni casus ». Cf. etiam P. ANTONINI *Le Cháng-ti et le T' iën;* ALESSI *La dottrina dell'incivilimento* in *Scuola* Settemb. 1893.

TRACTATUS II.

DE REVELATIONIS SUBIECTO
seu
DE ECCLESIA.

176. **Prologus.** Revelationis factum tria revocat, *existentiam* revelationis, *subiectum* cui revelatio tradita est custodienda, et *documenta* in quibus revelatio continetur. De primo sufficienter diximus manifestando veritatem et supernaturalitatem religionis christianae; tertium explicabimus in tractatu de *Fontibus Revelationis*: in praesenti de subiecto seu depositario revelationis agendum est, scil. de Ecclesia, quam a longe magniloquus Isaias contemplans exultabundus clamabat: « Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum et gloria Domini in te videbitur... Leva in circuitu oculos tuos et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient et filiae tuae de latere surgent... Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam et complebuntur dies luctus tui. Populus autem tuus omnes iusti, in perpetuum haereditabunt terram »[1]. Ecclesia est electa CANTICORUM sponsa, quam Christus *dilexit et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret: mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata*[2]: ipsa *signum levatum* in nationes[3], invitans eos, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciens, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur[4]: ipsa *domus Dei vivi, columna et firmamentum veritatis*[5], de qua AUG.: « Ego

---

[1] Isai. **60**. 1-4; 8-9; 20-1.
[2] Ephes. **5**. 25-7.
[3] Isai. **11**. 12.
[4] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 3.
[5] 1 Tim. **3**. 15.

Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas[6] ». — Porro in Ecclesia tria consideranda sunt *existentia, natura,* et *relatio* ad alias societates : inde tria capita nostri tractatus : — 1*De veritate catholicae Ecclesiae.* — 2 *De eius intima constitutione.* — 3 *De habitudine ad alias societates.*

CAPUT I.

De veritate catholicae Ecclesiae.

177. **Quaestionis ratio.** In tractatu *De Religione* demonstravimus existentiam *religionis christianae,* quae miraculis probata et sanguine martyrum firmata, pulchritudine, sublimitate et utilitate doctrinae suam divinam originem pandit; sed in mundo plures inveniuntur societates religiosae, quae christianas se jactant; quaenam ex illis vera est Christi Ecclesia, cui miracula favent, quae fidei est indefectibilis depositaria, extra quam non est salus? Hoc est argumentum nostri capitis, in quo praemissis quibusdam notionibus, demonstrabimus religionem Christianam a Christo ipso esse institutam, qui ut suam Ecclesiam a ceteris distingueret insignivit determinatis notis, quae uni Ecclesiae Romanae conveniunt. Sic constabit Ecclesiam Romanam esse religionem illam supernaturalem pro qua Christi et Apostolorum miracula militant. Caput dispescimus in septem articulos : 1 *Notiones praeviae.* — 2 *De Ecclesiae origine.* — 3 *De visibilitate Ecclesiae deque eius notis.* — 4 *De nota unitatis.* — 5 *De nota sanctitatis.* — 6 *De nota catholicitatis.* — 7 *De nota apostolicitatis.*

ARTIC. 1 - NOTIONES PRAEVIAE.

178. **Quid Ecclesia.** « Ecclesiae *nomen,* inquit BELLARMINUS, est graecum, deduciturque a verbo ἐκκαλέω quod est *evoco.* Itaque Ecclesia est *evocatio,* sive *coetus vocatorum.* Dicitur autem populus Dei coetus vocatorum, quia nemo ad hunc populum se adiungit per se, et suo proprio instinctu, sed omnes, quotquot veniunt, a Dei vocatione praeveniuntur »[7]. Hinc patet *Ecclesiae*

---

[6] AUG. *Cont. epist. Manich.* n. 6.

[7] BELLARM. *De controv.* II *De Eccl. mil.* c. 1; CORNELY in 1 *Corinth.* 1. 2 p. 15.

nomen per prius dici de ipsa societate religiosa [8], seu de omnibus christianis simul sumptis, qui *vocati* nuncupantur [9]; synecdoche vero nonnumquam dicitur *Ecclesia* praecipua credentium pars quae fideles *regit* [10], alias ipse fidelium coetus, qui ab episcopis *gubernatur* [11], nonnumquam *locus* in quo adunantur fideles [12].

179. **Ecclesiae definitio.** Ex nominali notione sequitur realis definitio Ecclesiae, quae dici potest: *Coetus hominum a Christo evocatorum ad eius religionem profitendam.* — *Coetus* quidem *hominum,* quia Ecclesia, ut infra probabimus, est societas visibilis ex hominibus coalescens: — *hominum evocatorum* quia, ut ipsum nomen indicat, sola divina vocatione quisque Ecclesiam ingreditur: — *vocatorum a Christo,* quia ipse est Ecclesiae fundator et sacerdos in aeternum, qui per legatos suos fideles advocat et unit: — *ad eius religionem profitendam,* quia Ecclesia est unica societas religiosa in qua Deus debito modo colitur. Porro nota definitionem praesentem nominalem esse et imperfectam, realis enim et perfecta erit fructus totius tractatus eamque tradit BELLARMINUS cum ait: Ecclesia est *coetus hominum unius fidei professione et eorumdem sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum pastorum ac praecipue unius Christi in terris vicarii Romani Pontificis* [13].

180. **Ecclesia distinguitur a synagoga.** Distinguitur *nomine,* quia hebraicum קָהָל (*Chahal*), quod LXX vertunt συναγωγή numquam dicitur de Ecclesia Christi [14], nec proprie significat *vocatorum coetum,* sed meram *congregationem,* quae etiam de animalium irrationalium coadunatione, puta de ovili pecorum, dici potest [15]: differt *re,* quia Ecclesia non est continuatio synagogae, quae iuridice cessavit morte Christi, sed *novum foedus* a prophetis praedictum et a Christo institutum.

181. **Ecclesia vetus, praesens, futura.** Ecclesia in triplici statu potest considerari *praeparationis, viae* et *termini:* primus decurrit ab Adamo ad Christum; alter a Christo ad finem mundi: tertius a morte iustorum et specialius ab universali iudicio in aeternitatem. **Ecclesia vetus** seu **praeparationis** incipere ab Adamo non immerito dabit qui

---

[8] Ephes. **5**. 25.

[9] 1 Corinth **1**. 2, 9; Rom. **1**. 6; Gal. **1**. 6; 1 Petr. **2**. 9-10, etc.

[10] Matth. **18**. 17.

[11] Act. **15**. 4, 22; **20**. 28.

[12] Judith. **6**. 21; 1 Corinth. **14**. 34. *NB.* Cum *Ecclesiae* nomen sensu profano sumitur, additur adiectivum, v. g. ecclesia *malignantium* (Ps. **25**. 5) et *confusa* (Act. **19**. 32).

[13] BELLARM. *De Eccl. Mil.* c. 2.

[14] FRANZ. *De Eccl. th.* 1 p. 7.

[15] AUG. in Ps. **72** et **81**.

consideraverit institutionem matrimonii fuisse figuram spiritualis coniugii Christi cum Ecclesia [16], atque in semine mulieris conterentis caput serpentis non solam personam Christi sed universam Ecclesiam, quae est eius corpus, esse annuntiatam [17]: hinc GREG. M. metonimia V. T. reputabat initium Novi, scribens quod « sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini in membris sunt Ecclesiae constituti »[18]. Adumbrata itaque in Paradiso terrestri, tempore Patriarcali, clarius promissa est Abramo cuius semen teste Apostolo est Ecclesia [19]: in Lege mirabilibus factis [20] et sacrificiis [21] populi Israël praefigurata est a synagoga, quae fuit pedagogus noster [22]: a saec. 9 a. Ch. prophetae, qui Messiam annuntiarunt, sub nomine *Jerusalem, regni messianici, sancti sanctorum* [23] Ecclesiam in sua universalitate, sanctitate, et perpetuis splendoribus illustrarunt. **Ecclesia praesens** seu **viae** Christo fundatori debetur, qui tamen in instanti opus suum non peregit, sed naturam imitans, quae per gradus parvulum ad perfectionem adducit, paullatim suam sponsam sibi aedificavit. Ecclesiae *conceptio* contigit in Incarnationis mysterio cum Verbum ingrediens mundum se ipsum obtulit Patri pro nostra salute [24], unde, ipso nato, pastores et Magi ad presepe convenientes « Ecclesiae surgentis exordium » inchoarunt [25]: vitae publicae tempore Christus Ecclesiam *formavit* membra eius veluti compingens, cum Apostolos elegit, praecipua sacramenta instituit, legem mosaicam coelesti doctrina perfecit et socialem formam dedit Ecclesiae [26]: in cruce tandem *genuit,* « nam sicut de illo (Adami) latere Deus fecit feminam procreari, sic et de suo latere Christus aquam nobis et sanguinem dedit unde repararetur Ecclesia »[27]. Natam Ecclesiam per quadraginta dies apparens Apostolis fovit et, misso Spiritu S., ad *perfectam aetatem* adduxit, necessariamque fecit ad salutem [28]. Duobus insequentibus annis Apostolorum promulgatione, miraculorum demonstratione et celeri diffusione Ecclesia iuxta Danielis prophetiam [29] *confirmata* est et *de facto* extitit *vocatorum co-*

[16] Ephes. **5**. 31-2.

[17] Dicemus in trac. de B. V. M.

[18] GREG. M. V *epist.* 18; AUG. in *Joan.* tr. 45 n. 9; S. THOM. 3 p. q. 8 a. 3 ad 3.

[19] Galat. **3**. 16 coll. CORNELY in *h. l.*

[20] 1 Corinth. **10**. 1-11.

[21] Hebr. **10**. 1.

[22] Galat. **3**. 24.

[23] Cf. Isai. **60**. 1 sqq.; Mich. **4**. 7; Dan. **9**. 24 coll. KNAB. in *h. l.*

[24] Hebr. **10**. 5 sqq.

[25] AMBR. in *Luc.* **2** II cir. med.

[26] Cf. BILLOT *De Eccl.* th. 1 p. 74 sqq.

[27] CHRYS. in *Joan.* hom. 84; AUG. in *Joan.* tr. 120 n. 2.

[28] Marc. **16**. 15-6.

[29] Daniel **9**. 27 dixerat: *Confirmabit pactum multis hebdomada una.* Haec hebdomada, qua novum foedus multis mirabilibus erat constituendum, et ad perfectum statum confirmationis

lentium Deum coetus. Verum in terris Ecclesia ultimum complementum non assequitur; sicut enim Christum oportuit pati et ita intrare in gloriam suam [30], ita Ecclesia suo fundatori compatitur ut et conglorificetur [31]. Electorum morte non cessat christiana societas, sed incipit **Ecclesia futura** seu **termini,** scil. status gloriae in quo Deus abstergit lacrymas sanctorum qui regnabunt in saecula saeculorum [32]. Huiusmodi status gloriosus in singulis membris Ecclesiae exoritur cum coelum ingredientia divina visione transformantur [33]; complebitur autem in fine mundi quando, novissima inimica morte devicta [34], Christi inimici constituentur scabellum pedum eius [35] et sancti in aetate plenitudinis Christi [36], spirituali corpore resuscitati [37], in aëra rapientur [38], mundum iudicabunt [39] et a Christo benedicti in sua mensa aeternaliter sedebunt [40].

182. **Ecclesiae distinctiones.** Distinctiones Ecclesiae accipiuntur ex parte *status,* ex parte *extensionis,* ex parte *officii* et ex parte *rectitudinis.* Secundum primum alia est *Ecclesia triumphans* in coelis, ubi Christus est caput angelorum et sanctorum, quos cohaeredes gloriae in aeternum retinet [41], alia *Ecclesia patiens* in purgatorio, ubi Christus est caput sanctorum, qui, peccatorum poenis nondum solutis, ingredi non valent illam requiem, in quam nil inquinatum intrat [42]; alia *Ecclesia militans,* quae cum patiente et triumphante integrat mysticum Christi corpus, et, in terris degens, cum infensissimis hostibus, mundo, carne, et diabolo perpetuo dimicat, portas inferi confringens [43]. — Secundum alterum Ecclesia dispescitur in *universalem* et *particularem;* illa est Ecclesia militans adaequate inspecta, haec particularis portio gregis Christi, puta Ecclesia Mediolanensis, Laudensis, etc. [44]. — Tertia distinctione secernitur Ecclesia *docens,* quae constituitur coetu Pastorum, a *discente,* quae est plebs fidelium. — Quarto modo *Ecclesia*

---

adducendum, incipit vita publica Christi: in medio hebdomadae (h. e. an. 3 ½) morte Christi defecit hostia et sacrificium, sequenti alia media hebdomada (h. e. aliis an. 3 ½) Ecclesia in formam publicae societatis adolevit.

[30] Luc. **24.** 26.
[31] Rom. **8.** 17.
[32] Apoc. **21.** 4; **22.** 5.
[33] 1 Joan. **3.** 2.
[34] 1 Corinth. **15.** 26.
[35] Hebr. **10.** 13.
[36] Ephes. **4.** 13.
[37] 1 Corinth. **15.** 42 sqq.
[38] 1 Thes. **4.** 17.
[39] 1 Corinth. **6.** 2-3 coll. CORNELY in *h. l.* p. 136-7.
[40] Luc. **22.** 29-30.
[41] Rom. **8.** 17.
[42] Apoc. **21.** 27.
[43] Matth. **16.** 18.
[44] Ecclesia particularis numquam in Scripturis vocatur simpliciter *Ecclesia,* sed cum addito, v. g. *Ecclesia Dei, quae est Corinthi.* Cum dicitur *Ecclesia,* vel *Ecclesia Christi,* aut *Ecclesia Dei,* semper intelligitur Ecclesia universalis. Cf. CORNELY in 1 *Corinth.* p. 15.

Romana distinguitur a *sectis,* quae iniuria vocantur ecclesiae christianae siquidem Christum, quem auctorem invocant, non habent. *Sectae* christianae dividi solent in *orientales* et *occidentales.*

183. **Sectae orientales.** Teste Joanne, in ipso Ecclesiae limine *antichristi multi facti sunt,* qui *ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis* [45]. Revera primis saeculis, ut taceamus de *Gnosticis* qui Palestinam et Aegyptum corruperunt, *Nestoriani* in Mesopotamia efformarunt ecclesiam CHALDEAM; *Eutychiani* seu Monophysitae constituerunt ecclesiam JACOBITAM in Syria. COPTICAM in Aegypto et Ethiopia, ARMENICAM VETEREM in Armenia. Extensione et firmitate omnes superavit *Schisma graecum.* Praeparatum ambitione episcoporum orientalium, qui in *Conc. Cp. III* (381) episcopo Cp. primatum honoris post R. P. tribuere volebant, atque experimento probatum sub *Acacio,* qui imperatoris patrocinio Felici III pertinaciter restitit, consummatum est sub *Photio* (an. 857), qui laicus invasit Ecclesiam Cp. multasque alias ab unione Ecclesiae Romanae separavit. Morte Photii schisma extinctum suscitavit *Sergius* (1034) atque firmavit *Michaël Caerularius* (1054). In Conc. Lugdnensi (1274) et Florentino (1439) pro concordia adlaboratum est, sed vix quidquam est conclusum, siquidem, Cp. a Turcis occupata, Graeci fere omnes ad schisma rediere. — Praecipuus error Graecorum, qui se *Orthodoxos* vocant et a nobis *schismatici* dicuntur, in eo est quod Primatum R. P. solius honoris reputent, nec iuris divini, sed ecclesiastici; quapropter Ecclesiam non habent uti societatem monarchicam, sed aristocraticam, episcoporum collegio regendam: recipiunt septem priora concilia Oecumenica [46], sed negant alia, quibus iam separati ab Ecclesia Romana non interfuerunt. — Schisma Graecum diffusum est in Europa orientali et originem dedit Patriarchatis *Cp. Alex., Antioch., Hierosol.,* necnon *Ecclesiae Ruthenae* seu Russiacae atque *Hellenicae* aliisque minoribus [47].

184. **Sectae occidentales.** Praecursoribus *Waldensibus* (1160), *Wicleffitis* (1375) et *Hussitis* (1408), ortum est saec. XVI magnum schisma occidentale nomine *protestantismi* signatum, quia fautores eius contra decretum Spirae (a. 1529) *protestati sunt.* Auctorem habuit LUTHERUS († 1546) monacus augustinensis superbia et incontinentia notus, qui, solemnibus votis postabitis, deceptam monialem duxit uxorem. Occasione sumpta promulgationis indulgentiarum, contra archiep. Moguntinum prius, dein contra R. P., quem Antichristum vocare non

[45] 1 Joan. **2.** 18-19. Cf. Act. **20.** 29; Gal. **1.** 7-9; epist. Judae 4.

[46] Usque ad NICAEN. II an. 787.

[47] Qui ex his sectis conversi sunt ad catholicam fidem et, servatis propriis ritibus, R. P. adhaeserunt, dicti sunt *Graeci-uniti, Chaldaei-uniti, Syri-uniti, Copti-uniti, Armeni-uniti, Rutheni-uniti* etc.

erubuit, expudoratam frontem erexit negando Ecclesiae magisterium (scil. R. P., Patrum et Conciliorum) eiusque visibilitatem [48] ac sacerdotium (quod omnibus fidelibus commune fecit): solam auctoritatem Scripturae agnovit, quam privato examine ex Spiritus Sancti instinctu explicatam voluit. Eum secutus est CALVINUS († 1564), qui duplicem agnovit Ecclesiam, invisibilem alteram electorum numero constantem, alteram visibilem ex his qui veram profitentur religionem: rejecit primatum R. P., episcopis aequales ordine fecit presbyteros, quibus in Ecclesiae administratione sociavit laicos seniores. Tertius protestantismi pater est HENRICUS VIII (1547) impudicus Angliae rex, qui, repudiata Catharina Aragoniae, contra voluntatem R. P. duxit Annam Bolenam: ne autem canonicis subjicieretur poenis, ab obedientia R. P. se subtraxit (a. 1533), atque nationalis religionis primatum sibi vindicato, maxime ope Thom. Cromwel (a. 1535) crudeli et subdola persecutione integrum regnum ad apostasiam induxit. Ab initio anglicanismus reiciebat tantum R. P. primatum, sed sub Eduardo VI († 1553) et Elisabeth († 1603) in calvinismum ruit, retenta sola catholica doctrina de divina origine episcoporum. — LUTHERANISMUS, quibusdam varietatibus inductis, propagatus est in *Germania, Scandinavia* et *Statis Foederatis,* CALVINISMUS seu *Presbyterianismus* diffusus est in *Helvetia, Hollandia, Scotia* et *Statibus Foederatis:* paulo immutata forma, calvinistae diversum nomen habuerunt et dicti sunt *Reformatores, Puritani, Presbyteriani, Arminiani.* ANGLICANISMUS imperium *Britannicum* invasit atque in dissitis dominationis eius locis propagines misit; non una tamen secta permansit, sed in tres praecipuos ramos Ecclesiae *superioris, inferioris* et *latioris* divisus est: *Ecclesia superior* (*High Church*), maxime constans ex *Puseystis* seu Ritualistis, exceptis dogmatibus de Immaculata Conceptione et de Primatu R. P., vix differt a vera Ecclesia, cuius sacramenta quoque et sacrificium agnoscit; *ecclesia inferior* (*Low Churh*), quae etiam *evangelica* dicitur, calvinismo maxime in doctrina de sola fide iustificante consentit; *ecclesia latior* (*Broad Church*), de quadam generali fide in Christo tantum solicita, mysteria et maxime Trinitatem divinarum Personarum atque Christi divinitatem non certa sed disputabilia habet.

185. **Protestantismi propagines.** Ex Lutheranismo, Calvinismo et Anglicanismo sectae prope innumerae derivarunt: inter caeteras commemorandae sunt: *Congregationistae,* qui, negata christianae societatis stabili forma, varietatem et mutuam independentiam societatum religiosarum obtrudunt; *Methodistae* qui auctore J. WESLEY doctrinas

[48] Serius, ut ab *Anabaptistis* se liberaret, aliquam visibilitatem Ecclesiae agnovit.

speculativas spernunt, pietatis opera praedicant et caecam fiduciam in Christo exigunt; *Salvationistae* (*The Salvation Army*) Ecclesiam uti exercitum salutis concipiunt, atque enthusiasmo populum a pravis moribus ad bonam frugem reducere conantur; *Sociniani* (seu *Unitarii*), qui, ut congregationistae, omnes religiones christianas bonas agnoscunt, modo virtutes exerceantur et in Christum credatur; *Universalistae,* qui negant aeternitatem poenarum inferni et consequenter statuunt omnes ad aeternam salutem tandem perventuros; *Liberales* qui, inter primitivam christianismi formam et subsequentem historicam concretizationem distinguentes ,illam paucis doctrinis et obviis praeceptis constare dicunt, ac proinde a rationalistis modernis vix differunt [49]. Ultimus protestantismi surculus [50] est *Modernismus* omnium haeresum conlectus, qui a rationalistis SABATIER et HARNACK praeparatus a LOISY, TYRREL, LABERTHONNIÈRE, LE ROY, MINOCCHI, MURRI, etc. maxime in Gallia et Italia est propagatus ut constat ex praedictis.

186. **Ecclesia Romana.** Contra multas pseudochristianas religiones una est vera Christi Ecclesia, quae ex suo capite R. P. *Ecclesia Romana* dicitur, quo nomine non « Ecclesia particularis, quae olim fuit et adhuc est Romae » denotatur, sed « collectio omnium fidelium, qui in toto orbe dispersi, adhaerebant olim et adhuc adhaerent Romano Pontifici »[51]. Porro *romanitas* Ecclesiae universalis non sumitur in praesenti quasi *nota intrinseca* verae Ecclesiae, a Christo signata, iis addenda, quae in symbolo CP. recensentur [52], sed potius accipitur uti *nota extrinseca,* ultima et indubia *tessera* verae Ecclesiae, cui scil. exclusive competunt notae *unitatis, sanctitatis, catholicitatis* et *apostolicitatis,* quibus Christus Ecclesiam suam insignivit.

187. **Qua methodo in demonstratione veritatis Romanae Ecclesiae procedimus.** Argumenta sumimus ex *Scriptura,* ex *Patribus* et ex *ratione.* EX RATIONE, potius quam argumenta, *confirmationes* adducimus prout studio comparativo religionum constat omnibus ecclesiis Romanam praeesse quia ab erroribus et turpitudinibus aliarum immunis, antiquitate, firmitate, doctrinae veritate et sublimitate illustris, apparet divinitatis sigillo obsignata [53]. EX SCRIPTURIS

---

[49] TANQUEREY *De Eccl.* n. 6-16.

[50] Cf. PIUS X Enc. *Pascendi.*

[51] C. MAZZELLA *De Eccl.* Disp. 4 n. 831.

[52] Qua ratione Primatus Ecclesiae conveniat Rom. Pontif. infra explicabitur.

[53] Licet in praecedentibus miracula, prophetiae, propagationem Evangelii, martyrium, bonos religionis fructus,

non derivamus argumentum quasi ex libris *inspiratis,* sed uti ex libris *historice veris,* qui ante Christum (V. T.) annuntiaverunt regnum messianicum, et post Christum (N. T.) naturam et proprietates regni coelorum verbis et parabolis fundatoris obsignarunt [54]. Etiam PATRES non consideramus uti sanctae Traditionis testes authenticos [55], sed uti testes *critice veri,* qui scil. antiquitate, scientia et probitate eminentes, ignorare non potuerunt naturam Ecclesiae, cui nomen dederunt, cui facultates omnes et vitam sacrarunt, pro qua usque ad sanguinem dimicarunt. — Nulla ergo petitio principii, nullus circulus vitiosus in argumentationibus nostris; siquidem existentiam et divinitatem Ecclesiae demonstramus ex Scripturis et Patribus prout *historicis argumentis* constat de eorum *historica* veritate; qua statuta, ex Ecclesiae oraculo procedimus ad *divinitatem* Scripturae vindicandam [56].

ARTIC. 2 - DE ECCLESIAE ORIGINE.

188. **Status quaestionis.** Duae quaestiones sub proposito titulo occurrunt: altera de *immediato fundatore* Ecclesiae, altera de *fontibus* ex quibus Ecclesiae fundator suae societatis elementa deduxit: prima militat contra MODERNISTAS tribuentes Christo genericam tantum adumbrationem Ecclesiae, quae dein maxime ope S. Pauli praesentem formam assecuta est; altera pugnat contra RATIONALISTAS qui

---

etc. vindicaverimus religioni christianae in *genere* consideratae, ea profecto valent de Ecclesia Romana in *specie,* quae sola Christum habet fundatorem, et apostolos propagatores, sola martyres in dies enumerat, sola dogmatum plenitudine et immutabilitate doctrinae refulget, sola fructus veritatis et iustitiae semper edidit.

[54] Evangeliorum historicam veritatem supra vindicavimus: de ceteris agitur in schola Scripturae.

[55] De Patrum auctoritate dicemus in tractatu *de Traditione,* interim cf. CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 2.

[56] Divinitas *Scripturae* et divinitas *Ecclesiae* etiam *solis* historicis documentis vindicatur; nam quod attinet ad ECCLESIAM eius divinitas ex Evangeliis historice tantum inspectis deducitur, argumentis supra expositis: quod attinet ad SCRIPTURAM eius divinitas deducitur ex testimonio Petri (2 Petr. **1**. 19-21; **3**. 16) et Pauli (2 Tim. **3**. 16), de quorum *authentia* videbis CORNELY, Diss. VIII § 14 n. 1-2; § 20 n. 8, de quorum *auctoritate* Traditione et Scriptura (Matth. **16**. 18 sqq.; **28**. 20; Luc. **22**. 32) historice consideratis certioramur. — *NB.* Quamvis in tractatu praesenti Scripturam et Patres adhibeamus iuxta auctoritatem historicam et humanam, nil vetat quod *ad hominem* etiam ex auctoritate divina arguamus contra haereticos qui Scripturae et Traditionis divinam auctoritatem agnoscunt; imo etiam *absolute,* quia historicam demonstrationem divinitatis Scripturae, etsi remittamus ad tractatum *De Fontibus revelationis,* aliquando tamen dabimus.

ut supernaturalitatem religionis christianae impugnarent ex religionibus orientalibus et graeca philosophia eam derivatam dixerunt: prima solvitur historicitate et genuinitate Evangeliorum, altera religionum comparatione.

189. **Quis Ecclesiae fundator immediatus.** « Ille instituit aliquid, ait S. THOM.[1], qui dat ei robur et virtutem, sicut patet de institutionibus legum »; ut ergo Christus institutor seu auctor Ecclesiae habeatur, non est necesse quod omnia, quae Ecclesiae sunt, *ex novo* constituerit, sed sufficit quod, determinaverit societatis *formam,* eius *finem* statuerit, *leges* fundamentales dederit, socialia *media* paraverit, atque *firmitati* eius consuluerit. Hinc non officit rationi veri fundatoris Ecclesiae quod Christus praecepta naturae, confirmata a Moyse, receperit in sua Ecclesia, atque inspirationem V. T. agnoverit; quia his solis Ecclesiae existentia non explicatur, et quia haec praecepta et hae Scripturae in Ecclesia servantur quatenus a Christo Deo auctore naturae et gratiae in V. T. promulgata fuerunt et in Novo confirmata. — Porro fundator *immediatus* ille intelligitur, qui *per se* essentialia constitutiva societatis determinat, qui enim id facit *aliorum ope,* societatis auctor dicitur sed *mediatus.*

190. **De analogia Ecclesiae ad alias religiones.** Sive in Ecclesia consideretur *doctrina speculativa* et *practica,* sive attendatur *auctor,* sive inspiciantur propagationis *media,* inveniuntur multae similitudines saltem apparentes inter Ecclesiam et alias religiones[2]. In **doctrina speculativa** sunt analogiae in notione *Dei,* in origine *mundi* et *hominis,* et in ipsa oeconomia *redemptionis.* Revera quod attinet DEI EXISTENTIAM non solum invenimus ubique notionem *divinitatis* sed ideam Dei *personalis:* imo in initio omnium religionum apparet *monotheismus*[3] et *Trinitatis* mysterium quod aliqualem adumbrationem habet in polytheismo, clariorem vero convenientiam accipit in triadibus Platonis, indiana et aegyptiana[4]. Quid amplius si nomen ipsum Secundae Personae et generationis modum ante Joannem nomine *Verbi* expressit Plato?[5] ORIGO MUNDI per *processionem omnium rerum a Deo* per sex

[1] S. THOM. 3 p. q. 64 a. 4.

[2] Historice et philosophice christianismum aliis religionibus colligari concedunt etiam TALAMO *Le origini del cristianesimo;* DE BROGLIE *Problemi* c. 9 et 10; RICCI *Giove, Jahve, Cristo* in *Scuola* Giugno 1908.

[3] Cf. supra n. 21.

[4] PLATO posuit *Patrem, Mentem, Animam;* TRIMÛRTIS indiana constat *Brahmâ, Vishnu* et *Siva;* AEGYPTII colunt *Isidem, Orisidem, Orum.* Cf. tractatum *de Deo Trino;* DE BROGLIE *Problemi* etc. c. 3 p. 67-8.

[5] Dari potest *Verbum* Platonis, Gnosticorum theologia in quaestionibus fi-

distinctas operationes, quae in haexemero mosaico sex diebus exprimuntur, apparet in cuneis lateribus Babyloniorum et in cosmogonia Damascenorum et Phoenicium, licet mytologiae fabulis obvoluta [6]. *Diluvium,* exceptis forte Nigritis [7], apud omnes populos certa documenta habet [8]; *angelos* bonos et malos revocant progenies *Ormuzd* et *Arimane* religionis Zoroastri, *genia* Assyriorum et Aegyptiorum [9], *eones* philosophiae hellenicae et *demiurga* mytologiae [10]: in *Parsismo* autem habes *septem Amschaspand* (*angelos*) [11] quorum analogia ad septem spiritus qui adstant coram Deo [12] neminem aufugit. Quod attinet ad OPUS REDEMPTIONIS de primordiali felicitate paradisi terrestri [13], de arbore vitae, de serpentis tentatione et protoparentum casu apud indos, assyros, chaldeos et foenices [14] sunt certa documenta. Idea Redemptoris apparet in religione Zoroastri ex finali triumpho Orzmud, et in Budhismo ex incarnatione Budhae, qui venit ut viam felicitatis doceret homines, nec desunt alia testimonia apud plurimos populos saec. 6 a. Chr. [15]. Quod attinet **doctrinam practicam** iterum sunt mirae similitudines; excepto enim Budhismo, ubique apparet *cultus* Dei, adsunt *sacrificia* et *orationes* [16], nec deest repraesentatio eiusdem divinitatis sub *diversa forma* quomodo nos diversis imaginibus B. V. honoramus [17]: cultus *defunctorum* fundamentalis est apud Aegyptios [18], iudicium Dei [19] et sanctio vitae futurae (etsi metempsychosi nonnihil obscuretur in religione budhistica et brahaminica) clarissima est in aeterno praemio promisso bene agentibus et aeterna poena comminata scelestis in religione Zoroastri, sicuti in averno et Elysiis campis graecorum et romanorum [20]. Praxis virtutum et maxime castitatis, poenitentiae et ca-

---

dei inductum, fuisse Joanni *occasionem* loquendi de secunda Persona SS. Trinitatis cuius nomen tamen vel immediate a Deo accepit vel ex V. T. deduxit. Cf. KNAB. in *Joan.* p. 65.

[6] Cf. HUM. in *Genes.* p. 76-7.

[7] *Hum. l. c.* p. 236.

[8] VIGOUROUX *Manuale Biblico* I n. 321.

[9] DE BROGLIE Problemi c. 5 p. 162, HUM. *l. c.* p. 174; C. MAZZELLA *De Deo Creante* n. 442 in nota.

[10] DE BROGLIE *l. c.* Append. n. 6 p. 483; caeterum res est notissima.

[11] Cf. CORNELY *Introd. in S. Scrip.* Diss. IV § 35 n. 4.

[12] Tob. 12. 15.

[13] DE BROGLIE *l. c.* c. 2 p. 65; VIGOUROUX *l. c.* n. 288.

[14] VIGOUROUX *l. c.* n. 289-91.

[15] DE BROGLIE *l. c.* c. 2 n. p. 66.

[16] Hoc testantur evangelizatores: caeterum cf. quae diximus n. 37 et 43.

[17] Apollinis v. g. erant diversae imagines et similiter Budhae.

[18] VIGOUROUX *La Bible et les découvertes modernes.* Vol. 2 V ch. 8 p. 510 sqq.

[19] *Orisides* in religione Aegyptiorum iudicat mortuos. DE BROGLIE *l. c.* c. 5 p. 145.

[20] DE BROGLIE c. 2 p. 51.

ritatis suadetur a Zoroastro, Confucio et Budha [21], nec in solo gradu communi sed in perfecto manifeste apparet in *fackiris* braminicis et *bikis* budhistis qui monachis nostris assimilantur et poenitentia superant [22]: praeceptum tandem Christi *omnia quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis* [23], fere ad verbum docetur a Confucio [24], multaque alia christianae religionis praecepta a graecis philosophis sunt proposita [25]. Quoad **Fundatorem** etiam praescindendo ab affirmationibus JACOLLIOT qui in *Jezeo Christna* omnia Jesu Christi opera invenit [26], habemus nomen Salvatoris in *Krishna* brahamismi et coelestem eius originem in *Kwaynin* filio Budhae coelestis [27]; virgineus partus, angelorum concentus, quadragesimale jejunium, tentatio daemonis et transfiguratio contingunt in *Budha,* qui de sterili regina Maya natus, salutatur a choro spirituum, ex aula regia fugiens in desertum se recipit, ubi superatis tentationibus Mara, transfiguratur infinita sapientia cognitionem acquirendo omnium praeteritorum, praesentium et futurorum [28]; vox de coelo delapsa comparari potest *bath-qol* (scil. *filiae vocis*) Rabbinorum [29]; particularitates plurimae vitae Christi inveniuntur in religione Budhae [30], qui poterat non mori [31] et saepius ascendit in coelum ut matrem suam (in Deum masculinum transformatam) edoceret [32]. Quod tandem attinet ad propagationis **media** *prophetiae* et *miracula,* ut vidimus, tribuuntur Zoroastro, Budhae, fackiris, sacerdotibus Apollinis, sybillis; *apostolatus* vero et patientia agni inter lupos, tam manifesta sunt in Budhismo, ut quidam sub hoc respectu, ne dum comparare, praeferre voluerint christianismo [33].

191. **Praedictae analogiae sunt potius apparentes quam reales** [34]. Nam ut taceamus in nulla e religionibus indicis (sive paganis

---

[21] DE BROGLIE *l. c.* c. 5 et 6 p. 158, 162, 209.

[22] DE BROGLIE *l. c.* p. 178, 205-208.

[23] Matth. **6.** 12.

[24] DE BROGLIE *l. c.* p. 158; SPENCER *The principles of Ethics* p. 2 c. 6 § 141. Nota tamen *Confucium* voluisse ut mala redderentur pro malis.

[25] HAVET *Cristianesimo e le sue orig.;* DENYS *Storia delle idee e delle teorie morali nell'antichità.*

[26] JACOLLIOT multa currupit aliaque finxit, ut DE-HARLEZ ostendit in *Revue catholique.*

[27] DE BROGLIE *l. c.* c. 183, c. 6 p. 227.

[28] TANQUEREY n. 268; DE BROGLIE *l. c.* p. 215. sqq.

[29] Apud KNABEN. in *Matth.* II p. 573.

[30] *Conversio Magdalenae* assimilatur conversioni indicae mulieris tentantis *Upagupta,* conventus Christi cum Samaritana conventui *Anandae* cum *Tchandala.* DE BROGLIE PROBLEMI c. p. 288.

[31] DE BROGLIE *l. c.* c. 10 p. 413-4.

[32] DE BROGLIE *l. c.* c. 6 p. 219-20.

[33] LUZZATI. *Prolusione* an. 1907.

[34] Natura compendii non sinit adaequate hoc argumentum evolvere. Qui plura cupit adeat DE BROGLIE *Proble-*

sive monotheistis) proponi vera mysteria incomprehensibilia [35], adsunt et in ceteris immensurabiles differentiae. Revera *Deus* aliarum religionum vel est indefinitus ut in polytheismo [36], vel impotens ut in Brahamismo [37], vel certe non sanctus et pure spiritualis ut noster [38]: *Triades* Platonis, Indorum et Aegyptiorum nullatenus comparari possunt SS. Trinitati, siquidem vel sunt mere tres denominationes unius divinitatis, vel tres substantiae emanatione procreatae [39]: *verbum* Platonis a Philone elaboratum non est incarnatum neque fuit Messias, sed angelus quidam natura medius inter mundum et Deum, quem in effectione rerum adiuvit [40]. *Productio mundi* utique tribuitŭr Deo, sed non per creationem, verum per emanationem [41] vel efformationem ex praecedenti materia [42]: *cosmogonia* non simplici narratione uti mosaica procedit sed mytologiae fabulis obnubilatur: *angeli* Zoroastri non sunt omnes ab eodem principio [43], *genia* sunt potius mala quam bona [44], *eonesque* philosophiae hellenicae sunt emanationes et generationes divinitatis, septem autem spiritus parsismi comparari nequeunt septem angelis, qui adstant coram Deo, siquidem illi sunt septem *rectores* seu *dii* mundi, hi sunt septem *servi* unius Dei [45]. — *Casus primi hominis* et spes *reparatoris* sub confusa tantum notione agnoscuntur in aliis religionibus: *diversae eiusdem divinitatis repraesentationes* non accidentalem quemdam respectum revocabant, ut in christianismo contingit quoad cultum diversarum imaginum Dei et sanctorum [46], sed erant diversa idola: *cultus defunctorum* peccabat excessu siquidem mortui quasi dii colebantur [47], erroribus innitebatur, cum ex falsa opinione de conditione defunctorum, his apponebantur cibi quibus vescerentur, vel occidebantur uxores et servi ut domino in altera vita servirent [48]. *Infernus* et *paradisus*

---

mi etc.; TALAMO *Le origini del cristianesimo;* CHOLLET *La morale stoïcienne, en face de la morale Chrétienne;* RICCI *Giove, Jahve, Cristo* in *Scuola* Febbr. 1907 et deinceps.

[35] DE BROGLIE *Problemi* c. 10 p. 386-7.

[36] DE BROGLIE *Problemi* c. 2 p. 54.

[37] DE BROGLIE *l. c.* c. 4 p. 171.

[38] DE BROGLIE *l. c.* c. 10 p. 388-9.

[39] Dicemus in tract. de *Deo Trino.* Cf. BERTANI *La Trimûrti* etc. in *Scuola* Agost. 1891.

[40] Explicabimus in tract. *de Verbo incarnato.* Cf. FRANZELIN *De Deo Trino* thes. 18 p. 302; KNAB. in *Joan.* p. 67.

[41] DE BROGLIE *l. c.* c. 2 p. 46.

[42] Cf. Vol. 2 n. 353.

[43] Iam vidimus duo rerum principia posuisse.

[44] Cf. C. MAZZELLA *De Deo Creante* n. 442 in nota.

[45] CORNELY *Introd. in Sacr. Script.* Diss. IV § 35 n. 4.

[46] DE BROGLIE *l. c.* c. 4 p. 124 sqq.

[47] Sapient. **14.** 15 sqq.

[48] Cf. supra n. 163 et VIGOUROUX *La Bible et les découv.* Vol. 2 p. 524 sqq.

aliarum religionum nostris comparari nequeunt quia sensibilibus tantum bonis et malis constituebantur, non iis quae « oculus non vidit nec auris audivit neque in cor hominis ascendit »[49]. *Praecepta moralia* item in immensum differunt, tum quia in illis directiva potius quam praeceptiva sunt, tum quia externum tantum opus et non animi intentionem considerant, tum quia ex fine praesentis utilitatis et non ratione gloriae Dei et futuri praemii commendantur, tum denique quia sunt incompleta, siquidem verum amorem inimicorum non praecipiunt[50]. Porro *fackiri* et *biki* sola iniuria christianis monachis assimilari possunt; in illis enim castitas et mortificatio non procedit ex *principio religioso* satisfaciendi Deo pro culpis, et moriendi carni et concupiscentiis ut Deo et proximo vivatur[51], sed ex *utilitate privata,* scil. iuxta brahaminos, ut vitentur mala, quae facto ineluctabili sequuntur concupiscentias, iuxta budhistas ut obtineatur stoica insensibilitas, qua ad immobilitatem nirvana praeparentur; in neutris autem mortificatio ordinatur ad vitam spiritualem, unde etiam iustos fines christianae mortificationis praetergreditur[52]. Analogiae *ratione Fundatoris* maiores apparent in Budha, et tamen ipse comparari nequit Christo, siquidem obscuris natalibus ortus[53], de sterili et non de virgine natus dicitur[54], iuventutem vitiis maculavit[55] et superbia summa inflatus[56], morte turpi[57] vel saltem ordinaria[58], quin vere coelum conscenderet[59], vitam finivit. Differentias quoad *propagationis media* sufficienter exposuimus in praecedentibus cum miracula, prophetias et martyres christianismi comparavimus cum prodigiis. divinationibus et fanaticis aliarum religionum[60].

192. **Errores — Veritas.** Rationalistae ex principio evolutionis seu rerum progressu, sicut in ordine *physico* cum Darwin hominem derivant ex bruto[61] et in *ethico* cum Rousseau civilem ex homine naturali seu silvestri[62]; ita in *religioso* christianismum deducunt ex confusa notione divinitatis, quae per *feticismum* et

---

[49] 1 Corinth. **2**. 9-10.

[50] Cf. supra notam 24.

[51] Rom. **8**. 13; 1 Corinth. **7**. 32; Colos. **3**. 3-13; 1 Petr. **2**. 24.

[52] DE BROGLIE *Problemi* p. 177-8, 207-8.

[53] DE BROGLIE *Problemi* p. 194 sqq.

[54] TANQUEREY *De Relig.* n. 269.

[55] DE BROGLIE *l. c.* p. 217.

[56] DE BROGLIE *l. c.* p. 199.

[57] Cruditate occubuit. DE BROGLIE *l. c.* c. 6 p. 196.

[58] DE BROGLIE *l. c.* 10 p. 413-4.

[59] Circumstantia transformationis matris in deum generis masculini, productionem magici budhae, motiva ascensus et descensus (DE BROGLIE c. 6 p. 219-20) fictionem manifeste ostendunt.

[60] Cf. supra n .117; n. 129; n. 163.

[61] Cf. Vol. 2 n. 379.

[62] ROUSSEAU *Discours sur l'origine* etc. apud *Meyer* I n. 395.

polytheismum [63] ascendit ad *monotheismum* mosaicum et per eum ad *christianismum* [64] ut tandem in *atheismum* laicum procedat [65]: proxime doctrinam christianam alii derivant cum Jacolliot a *brahamismo,* alii cum Havet, Harnack et Sabatier ab *hellenismo,* alii cum Salvador ab *Essenis,* recensiores plurimi a *budhismo* [66]. Modernistae ex eodem evolutionis principio easdem deducunt consequentias [67]; imo legitimi discipuli Baur cum Loisy docent praesentem Ecclesiam non esse a Christo institutam, sed saec. 1 et 2 Apostolorum et Patrum curis maxime vero Pauli studiis in collectiva conscientia fidelium esse elaboratam dogmatum efformatione, sacramentorum inventione et regiminis determinatione [68]: quod si Christus aliquando Ecclesiam promisit non de nostra locutus est, sed de *eschatologica* futura in fine mundi [69], quem erronee instantem aestimavit [70]. **Veritas** paucis sed clarissimis verbis proponitur in Conc. Vatic.: « Deus per Filium suum Unigenitum Ecclesiam instituit »[71].

THES. 24. *Christus — 1 Ecclesiam instituit — 2 immediate et per se — 3 non eschatologicam seu futuram in fine mundi, sed praesentem.*

193. **Prima pars.** *Christus est fundator religionis quae ab eius nomine christiana nuncupatur.* **Ex Scripturis V. T.** Nam *foedus mosaicum,* pro solo populo hebraeo fundatum [1], manere

---

[63] Qui vere fuerint polytheismi phases dubitatur, probabiliter dici potest praecessisse cultum naturae seu *sabeismum* (adorationem astrorum), *feticismum* (adorationem rerum materialium) et *animismum* (adorationem spirituum), secutum esse cultum hominis qui *anthropomorphismo* mytologiae viam pandit, et locum dedit cultui simulacrorum seu *idololatriae* proprie dictae.

[64] Friso *Filosofia morale.* Hoëpli 1893.

[65] Potin *Religion laïque et universelle.*

[66] De Broglie *Problemi* c. 8 p. 300-1: Puccini *Il Soprannaturale* I p. 225.

[67] Pius X Enc. *Pascendi;* Decr. *Lamentabili* p. 38-56.

[68] Loisy *Autour d'un petit livre* p. 176; *L'Évang. et l'Égl.* p. 104, 111, 113 sqq.; Anon. *Il Programma* p. 69, 80, 84, etc.

[69] Loisy *L'Évang. et l'Égl.* p. 1 sqq.; Decr. *Lament.* pr. 52 et 60.

[70] Loisy *Études Bibliques* p. 26 et Schell *Die Weischeit Jesu* passim; Decr. *Lament.* pr. 33. Cf. Ballerini *La questione biblica escatologica* in *Scuola* Agosto 1906.

[71] Conc. Vatic. *Dei Filius* c. 3; Leo XIII Enc. *Immortale Dei.*

[1] Exod. **19**. 5; **24**. 4 sqq.

non debebat, cum per Christum in semine Abraham benedicendae erant omnes nationes [2]; *synagoga* vero, cuius sacrificia ante erectionem templi in quibusdam determinatis locis [3] et post illius erectionem in solo templo Jerosolymitano [4] erant offerenda, consistere non poterat, cum ab ortu solis usque ad occasum oblatio munda offerrenda erat Deo [5]. Hinc Deus per DAVID promiserat sacerdotem secundum ordinem Melchisedech sacerdotium Aaronicum evacuantem [6], atque annuntians instaurationem messianicam, non dixit de renovatione foederis mosaici, sed de alio *foedere* [7], scil. de *foedere novo* [8], de *foedere pacis* [9], de *foedere perpetuo* et *pacto sempiterno* [10]; quapropter Messias venire debebat tamquam alter Moyses in *foedus populi* [11], ad ungendum *sanctum sanctorum* [12], et ad construendum novum *templum Jahve* [13], profecto non materiale sicut Salomon typice aedificaverat Ierosolymis [14] sed spirituale, quale decebat regnum sanctitatis et iustitiae [15], scil. Ecclesiam, quae iuxta Apostolorum principes est *Domus* Dei vivi [16], aedificata ex *lapidibus* vivis [17], supra *lapidem* angularem Christum [18] et supra *fundamentum* Apostolorum et prophetarum [19]. **Ex Scripturis N. T.** Nam CHRISTUS *a*) Ecclesiam vocavit *suam* et *a se aedificandam* supra Petrum [20], novisque nominibus *ovilis* [21], *convivii* nuptialis [22], *domus* [23] et *familiae* [24],

---

[2] Gen. **22**. 18; **26**. 4.

[3] Exod. **20**. 24.

[4] Deut. **12**. 5 sqq.

[5] Malach. **1**. 11.

[6] Ps. **109**. 4 coll. Hebr. **7**. 11 sqq.

[7] Osee **2**. 18.

[8] *Ecce dies venient, dicit Dominus: et feriam domui Israel et domui Juda* FOEDUS NOVUM: *non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti...* POST DIES ILLOS... *dabo legem meam in visceribus eorum...: et ero eis in Deum et ipsi erunt mihi in populum...: aedificabitur civitas Domino... et non destruetur ultra in perpetuum.* Jerem. **31**. 31-40.

[9] Ezech. **37**. 26.

[10] Isai. **54**. 10; **55**. 3; Jer. **32**. 40; Ezech. **16**. 60-2.

[11] Isai. **49**. 8.

[12] Dan. **9**. 24 *Sanctum Sanctorum* esse Ecclesiam probat KNAB. in *h. l.* p. 238 sqq.

[13] Zach. **3**. 16 tex hebr.

[14] 2 Reg. **7**. 13.

[15] Isai. **11**. 1-10; **42**. 1-12.

[16] 1 Tim. **3**. 15.

[17] 1 Petr. **2**. 5.

[18] 1 Petr. **2**. 7.

[19] Ephes. **2**. 20.

[20] *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam* MEAM. Matth. **16**. 18.

[21] Joan. **10**. 1-16.

[22] Matth. **22**. 2 sqq.

[23] Luc. **14**. 23.

[24] Matth. **24**. 43 sqq.

civitatis [25], *regni* [26], *sponsae* [27] et *corporis* [28] insignivit, et quidem ita ut respective Ipse nomen auctoris vel domini haberet, essetque bonus *Pastor* ovilis [29], *Filius* regis, cui nuptiae factae sunt [30], *aedificator* domus [31] eiusque *lapis angularis* [32], *rex* regni coelorum [33], *vir* Ecclesiae [34] eiusque *Caput* [35]. *b*) Hinc non secus a fundatore cuiusvis societatis Christus posuit omnia essentialia constitutiva Ecclesiae; siquidem spirituali et universali *natura* pluribus parabolis declarata [36], dedit ei novam *doctrinam* [37], novum *sacrificium* [38] novaque *sacramenta* [39], societatis *formam* ipsemet determinavit eligendo Apostolos [40] et discipulos [41] sub principe *Romano Pontifice* [42]; ipse *finem* et *potestatem* tribuit mittendo Apostolos in mundum universum ad praedicandum evangelium et ad sacramenta administranda [43], sua praesentia indefectibilem reddendo [44]. — Nec aliter de auctore Ecclesiae iudicarunt APOSTOLI, qui Legem (ideoque synagogam) habebant paedagogum ad Christum [45] et ancillam ejiciendam a libera [46]; docueruntque christianam religionem synagogae succedere [47] uti *novum testamentum* [48], a Veteri non minus distinctum quam *veritas a figura* [49]; unde propriae auctoritatis originem enarrantes, deduxerunt a Christo, pro quo legatione fungebantur [50], seipsos praedicantes *dispensatores mysteriorum Dei* [51]. CONFIRMATUR *argumento praescriptionis*. Si enim

---

[25] Matth. **5**. 14.
[26] Matth. **5**. 20.
[27] Eph. **5**. 23.
[28] 1 Corinth. **12**. 27.
[29] Joan. **10**. 11.
[30] Matth. **22**. 2.
[31] Matth. **16**. 18.
[32] Act. **4**. 11.
[33] Joan. **19**. 36-7; Apoc. **17**. 14.
[34] Ephes. **5**. 23-32.
[35] Ephes. **1**. 22.
[36] Joan. **18**. 36 coll. Matth. **13**. 1 sqq.
[37] Hebr. **1**. 2 coll. Matth. **5-7**. Sermo *montanus* concluditur: *Erat docens eos* SICUT POTESTATEM HABENS *et non sicut Scribae eorum et Pharisaei.*
[38] Luc. **22**. 19-20.
[39] Joan. **3**. 5; **20**. 23.
[40] Matth. **10**. 1 sqq.
[41] Luc. **10**. 1 sqq.
[42] Matth. **16**. 18-9.
[43] *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae.* Marc. **16**. 15.
[44] *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.* Matth. **28**. 20; Luc. **22**. 31-2.
[45] *Lex paedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur. At ubi venit fides, iam non sumus sub paedagogo.* Gal. **3**. 24-5.
[46] Gal. **4**. 31.
[47] Hebr. **7**. 12, 18.
[48] Hebr. **8**. 8; **9**. 11 sqq.
[49] Hebr. **10**. 1 sqq.
[50] 2 Corinth. **5**. 20.
[51] 1 Corinth. **4**. 1.

de ceteris religionibus auctor habetur qui nomen imposuit [52], nonne Christus dicendus est christianae religionis auctor cum tota traditio [53] usque ad saec. 18 sine cunctatione eum semper agnovit? [54].

194. **Secunda pars.** *Christus est Ecclesiae immediatus fundator.* Nam, ut ex testimoniis modo recitatis apparet, Christus non commisit Apostolis vel aliis ut fundamentalia Ecclesiae determinarent, sed, quemadmodum *per se* una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos [55], ita et *per se* docuit Apostolos, quos *ipse* elegit, *ipse* misit, *ipse* potestate instruxit et sacramentis ditavit: unde, ut iam audivimus, Apostoli non vocabant se fundatores seu institutores Ecclesiae, sed *ministros et dispensatores mysteriorum Dei* [56].

195. **Tertia pars.** *Ecclesia quam Christus instituit non eschatologica est sed praesens.* Licet enim Christus discipulis suis promiserit regnum futurum [57] post universale iudicium [58] quodque praefiguravit secunda miraculosa piscatione [59], nullo modo Ecclesiam suam ad illud regnum coarctavit, in quo sancti sub uno principe Christo [60] sine tribulationibus [61] gaudebunt, sedentes supra mensam eius [62]; Ecclesia quam *suam* dixit, et comparavit sagenae missae in mari, grano sinapis, fermento, etc. [63], non futura est in fine mundi sed iam pervenit [64] et intra nos est [65] non constat solis

---

[52] Fere ex solo nomine iudicatur de fundatore religionis *Zoroastri, Confucii* et *Budhae.*

[53] A citatione Patrum abstinemus, quia testimonia nimis obvia sunt, et in toto tractatu recurrunt. Interim vide supra n. 179. *NB.* Addi potest argumentum archeologicum; nam in catacumbis S. Callisti est pictura saec. 2 (Cf. Append. fig. 1) repraesentans Ecclesiam sub figura navis quae Christum habet protectorem.

[54] Etiam cum Protestantibus non est quaestio de *fundatore* Ecclesiae, sed de *Ecclesia,* quae a Christo est aedificata.

[55] Hebr. **10.** 14.

[56] Testimonia modo dedimus.

[57] Matth. **19.** 27-29.

[58] Matth. **25.** 31-40.

[59] Joan. **21.** 6-11 coll. AUG. *in Joan.* tr. 122 n. 7.

[60] AUG. *De Trinit.* 1. 8; S. THOM. in 1 *Corinth.* **15** lect. 3; BILLOT *De Verbo Incar.* th. 18 p. 196.

[61] Joan. **16.** 22.

[62] Luc. **22.** 30.

[63] Matth. **13.** 24-52.

[64] *Si ego in spiritu Dei ejicio daemones, igitur pervenit in vos regnum Dei.* Matth. **12.** 28. Nempe « apertum est eorum (daemonum) regnum a Christo destrui: ergo pariter apertum est regnum Dei (Ecclesiam) condi.» KNAB. in *Matth.* I p. 483.

[65] *Ecce regnum Dei intra vos est.* Luc. **17.** 21. « I. e. inter vos iam regni initia et fundamenta consistunt ». KNAB. in *h. l.* p. 488.

electis sed iustis et peccatoribus [66], nec gaudere sed persecutiones pati debet [67], pugnando contra portas inferi [68], sua officia in terris habet obeunda [69], atque *humano regimini* apostolorum sub principe Petro [70] gubernatur potestate exercenda *in terris* [71], *donec Christus veniat* [72], h. e. usque ad finem mundi, sicut apparet ex *apostolorum missione* [73]. Ergo Christus instituit etiam Ecclesiam militantem de qua agimus. **Ex Patribus.** Revera CYPR. Ecclesiam a Christo fundatam illam dixit quae *supra Petrum* est aedificata, et OPTAT. *quae est in toto orbe terrarum.* « Sicut Deus unus est, sic ille, ita una Ecclesia est, et catholica una *supra Petrum Domini voce fundatam* »[74] : hic autem : « Est spiritualis Sion Ecclesia, in qua a Deo Patre rex constitutus est Christus; quae est in toto orbe terrarum » [75].

THES. 24. *Ecclesia christiana — 1 ab orientalibus religionibus vel hellenica philosophia non est derivata, sed — 2 a Christo supra Mosaicam et propheticam revelationem est aedificata.*

196. **Prima pars.** *Ecclesia christiana non est derivata ab orientalibus religionibus vel hellenica philosophia,* nam huiusmodi origo *a*) non probatur, *b*) contradicit historiae, et *c*) implicat. — *a*) NON PROBATUR, siquidem analogiae, quae sunt inter religionem christianam et ceteras, aliam explicationem suscipiunt. Profecto a) sicut domus in generalioribus lineis conveniunt non ex artificum plagio sed ex communi fine, ita religionum convenientia in funda-

---

[66] Demonstrabimus agentes de *membris Ecclesiae.*

[67] Joan. **15.** 20 sqq.; **16.** 2-3; 20 etc.

[68] Matth. **16.** 18 coll. Knab. *in Matth.* II p. 61.

[69] « *Euntes* in mundum praedicate *Evangelium omni creaturae. Qui* crediderit *et* baptizatus fuerit *salvus erit* ». Marc. **16.** 15-6.

[70] Matth. **16.** 18-19.

[71] *Quaecumque alligaveritis* SUPER TERRAM *erunt ligata et in coelis: et quaecumque solveritis* SUPER TERRAM, *erunt soluta et in coelo.* Matth. **18.** 18.

[72] 1 Corinth. **11.** 25-6.

[73] *Data est mihi omnis potestas in coelo* et in terra. *Euntes* ergo *docete omnes gentes... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus* USQUE AD CONSUMMATIONEM SAECULI (h. e. « usque ad finem huius temporis ac periodi terrestri » KNAB. in *Matth.* II p. 566). Matth. **28.** 18-20.

[74] CYPR. epist. 70 ad *Januar.*

[75] OPTAT. *De schism. Donat.* III n. 2. A citatione aliorum abstinemus, quia omnes adducendi in quaestione de *notis* Ecclesiae, manifeste agunt de Ecclesia militante. Vide etiam n. 181, et quae supra diximus de pictura catacumbarum S. Callisti.

mentalibus notionibus [1] et praecipuis moralitatis praeceptis [2] non est ex mutua eorum dependentia, sed ex communi fundamento, scil. ex *dictamine rationis* quod gratia non corrumpit sed perficit [3]. b) Aliae similitudines mere casuales sunt et externae : in festis enim *Osiridis*, *Adonis* et *Atis*, non physica resurrectio hominis celebratur, sed naturae verno tempore renovatio [4]. c) Quae casum protoparentum et redemptionis spem spectant atque aliae quae supernaturalem ordinem redolent vel sunt symbolicae expressiones naturalis desiderii felicitatis et liberationis a calamitatibus huius vitae [5], vel debentur primitivae revelationi, quae, licet obscurata, apud ethnicos permansit [6]. Quis umquam tabulas supernatantes gurgiti vasto originem diceret navis novae et non potius reliquias veteris, quae fervido mari in syrtes et scopula incidens periit? d) Adde indicarum religionum documenta non esse perantiqua ac proinde in pluribus merito agnosci vestigia captivitatis et dispersionis Israël imo et propagationis christianismi, qui primis saeculis Sinenses regiones praeoccupavit [7]. — *b*) CONTRADICIT HISTORIAE. Licet enim in quibusdam ritibus et symbolis Iudaeorum agnosci possit remota derivatio a similibus Aegyptiorum apud quos non frustra, divina providentia, moratus est Moyses[8]; tota tamen historia hebraica et christiana documentis etiam confirmata [9] docet Moysen non compositorem sed promulgatorem [10] fuisse Legis quam accepit per revelationem Dei [11], qui *loquens Patribus in prophetis novis-*

---

[1] V. g. notio *existentiae Dei, cultus, orationis, sacrificii,* etc.

[2] V. g. praeceptum castitatis, obedientiae, iustitiae et maxime illud : *Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris.*

[3] DE BROGLIE *Problemi* p. 318 sqq.

[4] DE BROGLIE *l. c.* p. 327. Casualia omnino sunt quae obiiciutur de conversione mulieris tentantis *Upagupta* et de conventu *Anandae* cum *Tchandala.*

[5] Hanc viam multis prosequitur DE BROGLIE *l. c.* p. 319 sqq.

[6] Communissime dicitur. Cf. VIGOUROUX *Manuale biblico* n. 289-91 ; ANCESSY *Job et l'Égypte.*

[7] DE BROGLIE deducit ex diffusione nestorianismi. *L. c.* p. 227, 307. Hoc iam agnoverunt Patres inter quos FRANZ. *De Deo Trin.* th. 18 p. 305, enumerat JUST. M., CLEM. Alex., EUSEB., CYRIL. Alex., AUG. Cf. etiam KOEPPEN *Histoire du Bouddhisme en Thibet.*

[8] Cf. CORNELY *Intr. in S. Scrip.* Diss. IV § 3 n. 6; VIGOUROUX I n. 246, 265; KNAB. in *Ezech.* p. 23.

[9] De *Evangeliis* diximus n. 133 sqq. ; de *Pentateucho* vide CORNELY *l. c.* § 3 n. 1 sqq.; VIGOUROUX *l. c.* n. 238-50.

[10] Act. **7**. 52; Gal. **3**. 19; Hebr. **3**. 5.

[11] Gen. **3**. 2 et deinceps usque ad finem Deut.; Act. **7**. 30 sqq.

sime locutus est nobis in Filio [12]. Quia ergo non de *possibili* origine christianismi agitur, sed de *facto,* modernistarum hypotheses nihil concludunt. — *c*) Tandem christianismi dependentia ab aliis religionibus REPUGNAT ex parte effectus et ex parte causae. *Ex parte effectus* quia analogiae inter religionem christianam et alias paucae sunt et potius apparentes quam reales [13], nec assignari potest religio vel philosophia de qua *proxime* processerit [14] : dum mysteria et omnimoda doctrinae veritas ex sese divinam christianismi originem produnt [15]. *Ex parte causae,* ut enim hebraei ex religionibus orientalibus et graeca philosophia derivarent christianum cultum illas callere debuissent; atqui Christus et Apostoli naturaliter [16] ignorabant sapientiam mundi siquidem litteras non didicerant [17], uti hebraei autem execrabantur ethnicos eorumque religionem et sapientiam [18], quam nonnisi saec. 4 Patres ad fidei dogmata illustranda adhibuerunt [19]. Ergo christiana religio non evolutione aliarum religionum exorta est, sed revelatione per Christum divinitus est fundata.

197. **Secunda pars.** *Ecclesia a Christo supra synagogam est aedificata.* Christum religionem iudaicam quoad originem divinam et moralia praecepta confirmasse, constat ex toto Evangelio, non enim venit *legem solvere sed adimplere* [20] : ita tamen implevisse,

---

[12] Hebr. **1**. 1-2.

[13] Cf. supra n. 189.

[14] Revera alii deducunt ex *Brahamismo,* alii ex *Budhismo,* alii ex *ellenismo* (n. 190) vel *gnosticismo* (n. 167). Alii tamen (DE BROGLIE l. c. p. 301) inter ipsos rationalistas negant, derivantes potius cum MAX MULLER ex *virtute naturae* vel cum STRAUSS et RENAN ex *Judaismo.*

[15] Cf. quae n. 169 diximus de sublimitate et puritate doctrinae christianae.

[16] Dicimus *naturaliter;* si quis enim supernaturalem scientiam ponit, de *naturali* evolutione et derivatione loqui non poterit.

[17] De Christo vide Matth. **13**. 54-6, de Apostolis Matth. **15**. 16. Non negamus Paulum profanam scientiam caluisse, sed Gamalielis discipulus et pharisaeus *fratrum aemulator* (Gal. **1**. 14), sicut HARNACK et RENAN concedunt (apud RICCI *Scuola* Giugno 1908), sapientiam *indicam* ignoravit et *graeco-romanam* execratus est.

[18] Matth. **18**. 17; 1 Corinth. **1**. 20; **2**. 4; **3**. 19; **8**. 1 etc.; 1 Tim. **1**. 4; Tit. **3**. 9. *NB.* Scientia ethnica hebraeis erat daemoniaca.

[19] B. RICCI in *Scuola* Giugno 1908 p. 631 sqq.

[20] Matth. **5**. 17. Qua ratione Christus impleverit Legem, sic explicat KNAB. (in *h. l.* p. 204-5) : « Quae *a*) in praeceptis moralibus rudia erant et imperfecta, ad maiorem evexit perfectionem docens et explicans perfectius voluntatem Dei... Praeterea *b*) adimplevit legem, quia ad perficiendam legem moralem gratiam abundantem no-

ut non naturali evolutione sed superna revelatione et potestate *novam* Ecclesiam instituerit, inde patet quod Christi dictamina non respondent ideis iudaeorum sui temporis, et religioni iudaicae plura *addunt*, alia *mutant* novamque societatis *formam* inducunt. Christi doctrinam vere ab opinionibus hebraeorum sui temporis *differre* videbimus in tractatu de *Verbo Incarnato* agentes de messianitate et divinitate eius : plura Christum *addidisse* patet ex sermone montano [21] : alia *mutasse* constat ex institutione novi sacerdotii cum novo sacrificio et novis sacramentis : novam *formam socialem* instituisse patet ex constitutione hierarchiae episcoporum sub principe R. P. [22]. Merito ergo AUG. : « Cum venisset fides, quae prius illis observationibus (religionis iudaicae) praenuntiata, post mortem et resurrectionem Domini revelata est, *amiserant tamquam vitam* officii sui » [23].

198. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Licet in ...ia natione humanitas interdum regredi videatur, in suo complexu ...abili spira indeclinabiliter ascendit ad perfectionem : ergo etiam in ...gione agnosci debet necessarius progressus ac proinde evolutio ab ...riori ad superiorem [24]. **Resp.** Est indeclinabilis naturalis progressus ...manitatis ad perfectionem civilem, *trans.*, ad perfectionem religio... *neg.* Multa falsa et gratuita affirmantur hic a MODERNISTIS. *a*) ...primis falso supponunt civili progressui pari gradu religiosum re... ...ondere; historia enim testatur populum iudaicum et nationes pluri... ...s neo-christianas in arte, lingua, scientiis et urbanitate (quae nomine ...ilizationis veniunt) cessisse graecis et romanis quorum opera adhuc ...lebrantur [25]. *b*) Falso supponunt naturalem progressum religiosum ... confusa notione divinitatis ad monotheismum iudaicum; ut enim ...idimus, prima religio non fuit feticismus vel animismus, sed mono-

---

...is meruit et subministrat... Porro *c*) ...a quae in lege caeremoniali et rituali ...praescribebantur, implevit eo quod ...cultum Dei multo perfectiorem, sacri...ficium augustissimum, remedia expia...tionis efficacia, sacramenta vere con...ferentia gratiam instituit; alia, quae spectant iudicia et gubernationem, implevit ea quoque elevans ad ordinem altiorem, dum in Ecclesia ordinem hierarchicum cum potestate leges ferendi constitueret. Ita *d*) umbram rebus ipsis perfecit, pro figuris et typis veritatem, i. e. id quod figuris et typis adumbratum erat, substituit ».

[21] Matth. 5-7.

[22] Cf. testimonia citata n. 191.

[23] AUG. ad *Hieron.* epist. 82 n. 16.

[24] BOCCARDO *Sociologia nella storia, nella scienza, nella religione e nel cosmo;* TIELE *Manuel de l'histoire des Relig.*

[25] COLINET *L'Histoire des Religions.* Bruxelles 1887.

theismus [26], et antiqua documenta probant religiones orientalium et Aegyptiorum a pristina puritate ad errores et corruptionem descendisse [27]. *c*) Falso supponunt necessarium progressum in ipso civilizationis ordine, quae enim de homine rudi et silvatico obtrudunt non constant, siquidem historia post fidem primam hominis perfectionem enarrat, « ut non sit cogitanda civilizatio tamquam terminus motus educationis e barbaria, sed magis barbaria, ubicumque inventa est, tamquam in termino reposita motus inversi corruptionis scil. et degenerescentiae »[28]. Nonne lenta defectio civilizationis Aegyptiae, Assyriae, Chaldeae, Persianae, Graecae et Romanae ostendit non spirae ascensum, sed physicam potius legem entropiae et mortis regnare etiam in mundo morali? Quis vel in ipsis nostris diebus non admiratur opera Phidiae et Periclis? Quis comparabitur Salomoni, Alexandro, Caesari? Audemusne agnosticismum et materialismum hodiernum praeponere altissimis cogitationibus PLATONIS, ARISTOTELIS, AUGUSTINI et S. THOMAE? *d*) Inepte tandem distinguunt inter regressum *unius* nationis et *totius* humanitatis, quod enim in individuo, in familia, in natione contingit merito de tota humanitate dicitur, cum non sit in toto quod in partibus deest. *e*) Si itaque humanitas non periit, sed in aliquo saltem populo ascendit, non tribuendum est naturali evolutioni, sed supernaturali interventui Dei, qui sicut in exordio mundi plura revelavit Adamo, ita saeculorum decursu per prophetas prius, dein in Filio locutus est nobis, et extraordinaria providentia instituit in sua Ecclesia infallibile magisterium R. P., qui merito habetur uti inexhausta fons totius progressus.

199. **Obiic. 2.** Si Christus abrogasset synagogam et novam fundasset Ecclesiam, nec ipse nec Apostoli Legem Moysis servassent: atqui servarunt: ergo [29]. **Resp.** *Dist. min.:* Christus et Apostoli servarunt Legem mosaicam quoad praecepta moralia *conc.*, quoad caeremonialia *subd.:* ex norma prudentiae et charitatis *conc.*, vim obligandi agnoscendo in Lege etiam post Ecclesiae promulgationem *neg.* Quod ad Christum attinet nulla difficultas, nam sicut Ipse, qui non noverat peccatum, *pro nobis peccatum factus est* [30]; ita etiam cum esset Filius Dei naturalis, a servitute legis exemptus, *factus est sub lege*, ut eos, qui sub lege erant, redimeret [31]. Quoad Apostolos imprimis notandum est,

---

[26] Cf. supra n. 21; MAX MULLER et VERNES apud Scuola Sett.-Ott. 1893.

[27] Cf. supra n. 173.

[28] BILLOT *De insp. S. Script.* p. 119; ALESSIO in *Scuola* Settemb. 1893; HETTINGER *Apolog. del cristianesimo.* Hoc testatur etiam MAX MÜLLER *Nineteenth-Century* 1887.

[29] SALVADOR apud C. *Mazzella* n. 443 sqq.

[30] 2 Corinth. **5**. 21.

[31] Gal. **4**. 5.

non semper eos observasse legem [32], quam esse inanem confessi sunt in concilio Jerosolymitano [33] : cum vero servabant, non ex morali vinculo legis faciebant, sed ex regula prudentiae, ne scil, offenderent iudaeos sive incredulos [34] sive fideles [35]. Caeterum antiqua legalium bonitas exigebat ut « sicut defuncta corpora necessariorum officiis (Lex) deduceretur quodammodo ad sepulturam... non autem desereretur continuo vel inimicorum obtrectationibus tamquam canum morsibus projicienda » [36].

200. **Obiic. 3.** Quae praesentis Ecclesiae institutionem per Christum exprimunt, resurrectioni eius sunt posteriora : ergo historica non sunt sed fidei transfigurationes [37]. **Resp.** Neg. *ant.* et *consequentiam.* Resurrectionem Christi historicis argumentis constare supra ostendimus : consequenter historica veritate gaudent quae Christus post resurrectionem instituit apparens Apostolis et loquens de regno Dei [38]. Sed insuper plura de Ecclesiae natura, duratione et forma habentur in Synopticis ipsis a Christo exposita, instituta vel promissa etiam ante suam passionem [39]. Scimus LOISY haec tribuere posteriori evangeliorum retractatori [40], sed scimus etiam haec gratuito affirmari [41] contra historica documenta de Evangeliorum authentia et integritate [42].

201. **Obiic. 4.** Quae Christus instituit, communia fuerunt primis fidelibus. Atqui Apostolorum tempore Ecclesia scindebatur in duas partes, inter eos scil. qui legem mosaicam sectabantur (*Petrinos*) et caeteros qui illam respuebant (*Paulinos*), cuius schismatis apertum vestigium praebet contradictio principum Apostolorum, cum Antiochiae Paulus restitit in faciem Cephae [43]. Ergo [44]. **Resp.** *Neg. min.* et ad rationem additam *subd.:* Paulus Antiochiae damnavit Petrum de errore *neg.;* publice admonuit de pravis doctrinis, quae ex eius praxi per se bona, aliorum malitia, consequebantur, *conc.* Revera Actus Apostolorum referunt quod *multitudinis credentium erat cor unum et anima una* [45], et Paulus testatur quod non erant *duo* Evangelia, sed solum aderant *aliqui,* qui conturbabant credentes *et volebant convertere* (pervertere) *Evangelium Christi* [46]. Quod attinet ad contradictionem Antiochiae, im-

---

[32] Gal. **2**. 3-4; 12; 14, etc.
[33] Act. **15**. 5-29.
[34] Act. **16**. 3.
[35] Gal. **2**. 12.
[36] AUG. Epist. 82 ad *Hier.* n. 16.
[37] LOISY *Autour d'un petit livre* p. 161-9.
[38] Act. **1**. 3.
[39] Cf. testimonia n. 191 videbis enim multa sumi ex *Matth. Mar.* et *Luca.*
[40] LOISY *Autour* etc. p. 61-85.
[41] PIUS X, Enc. *Pascendi.* Cf. n. 137.
[42] Cf. supra n. 133 sqq.
[43] Gal. **2**. 11.
[44] Cf. n. 134.
[45] Act. **4**. 32.
[46] Gal. **1**. 7.

primis notandum quod verbum *restitit* in faciem, non valet *acriter improperavit,* sed *in publico* (h. e. in agape) *admonuit.* Porro admonitio Pauli non eo tendebat ut Petrum ab errore revocaret; ipse enim Paulus testatur Petrum, de nullitate legalium edoctum, antequam venirent amici a Jerusalem, cibos a Moyse vetitos manducasse [47]; neque eo parabat ut a peccato scandali Petrum retraheret, fecisset enim in occulto, iuxta praeceptum Domini [48]; sed Paulus mala consectaria ex re per se bona impedire volebat. Dixi *ex re bona,* non enim erat vetitum abstinere a cibis in Lege mosaica prohibitis, sed tantum non erat praecepta abstinentia; unde rationabili de causa ab his abstinere licebat; Petrus vero rationabilem causam adesse opinatus est ex adventu eorum, qui, nondum illuminati de nullitate legalium, scandalum passi essent, si Principem Apostolorum ea non observare vidissent. Sicut ergo Paulus, qui circumcidere fecerat Timotheum [49] et Nazareorum caeremoniam serius peregit [50], protestabatur se non manducaturum carnem in aeternum, si ex tali manducatione infirmi in fide occasionem ruinae accepissent [51]; ita et Petrus, ne scandalum daret iudaeis conversis, qui a Jacobo venerant, abstinuit a cibis vetitis in Lege. Nihil ergo mali fecit Petrus, nec inde est reprobatus a Paulo. Sed res per se bona, hominum malitia, in malum versa est, cum ex praxi Petri inducebatur opinio de efficacia vel utilitate legalium; quod animadvertens Paulus, in ipsa agape de nullitate legalium disputavit, ex praxi ipsius Petri, qui alias dexteram ei dederat [52], rem convincens. Non ergo erat schisma inter Apostolos vel in primitiva Ecclesia, sed potius iam tunc aderant haeretici et schismatici, qui de sinu Ecclesiae exibant [53] et fideles vexabant.

202. **Obiic. 5.** Si vere Christus Ecclesiam fundasset, habuisset regnum in hoc mundo. Atqui Pilato testatus est regnum suum non esse *de hoc mundo* [54]. Ergo. **Resp.** *Dist. mai.:* habuisset regnum quod *origine* et *natura* esset huius mundi *neg.;* quod *loco* esset huius mundi *subd.;* ad tempus et initialiter *conc.,* perpetuo et perfecte *neg.* Ecclesia dici nequit *de hoc mundo,* nam part. *de* non locum, sed originem indicat, Christus vero fundator Ecclesiae est *homo de coelo coelestis* [55]. Origini *natura* respondet; dum enim regna mundana habent pro fine bona temporalia, quae militum apparatu custodiuntur, Ecclesia est ordinata ad salutem animarum, quam supernaturalibus mediis sine

---

[47] Gal. **2**. 12-4.
[48] Matth. **18**. 15.
[49] Act. **16**. 3.
[50] Act. **21**. 23-37.
[51] 1 Corinth. **8**. 13.
[52] Gal. **2**. 9.
[53] 1 Joan. **2**. 19.
[54] Joan. **18**. 37.
[55] 1 Corinth. **15**. 47.

satellitibus obtinet. Accedit regna mundana caducitatem mundi mutuari. Ecclesiam in tempore *incipere,* sed aeternaliter permanere [56].

203. **Obiic. 6.** Apostolus Ecclesiam vocat Jerusalem quae *sursum est,* ei oppositam quae *nunc est* [57]: ergo vera Ecclesia Christi non est praesens sed futura in fine mundi h. e. regnum *eschatologicum.* **Resp.** Apostolus opponit Ecclesiam Christi Jerusalem quae *nunc est* scil. synagogae *conc.,* opponit Ecclesiae militanti *neg.* Uti ex toto contextu manifeste patet, Ecclesia, quae *sursum est,* pro Apostolo est illa cuius Galatae erant pars « eamque *supernam* vocat, quia, quamquam *in terra versatur,* secundum originem tamen, indolem finemque suum *desursum est;* corpus enim est, cuius caput Christus in coelo, residet, cuiusque membra, quamdiu in hac terra degunt, non nisi vita, quam a capite suo coelesti accipiunt, viventia, conversationem suam in coelis habent eoque tendunt, ut [58] capiti suo glorificato, conglorificentur »[59].

ARTIC. 3 - DE ECCLESIAE VISIBILITATE.

204. **Quid visibilitatis notio referat.** Nomen *visionis* « primo impositum est ad significandum actum sensus visus, sed propter dignitatem et certitudinem huius sensus, extensum est hoc nomen, secundum usum loquentium, ad omnem cognitionem aliorum sensuum, et ulterius etiam ad cognitionem intellectus » [1]; quapropter *visibilis* dicitur Ecclesia quia *cognoscibilis* tam absolute quam respective: *absolute* quidem, quia possumus cognoscere Ecclesiam secundum sua constitutiva, *respective* quia talibus est insignita characteribus, ut eam valeamus ab omni alia societate civili vel religiosa secernere atque uti veram et solam Ecclesiam Christi intelligere.

205. **Quomodo Ecclesia videri possit.** Cum ab Apostolo Ecclesia comparetur corpori viventi [2], solent in ea theologi corpus et animam distinguere: « *corpus* est socialis organismus sive exterior compages referens similitudinem corporis physici organici; *anima* consistit in interioribus habitibus gratiae sive supernaturalis vitae donis » [3]. Visibilitas Ecclesiae utrumque respicit, sed sicut in naturalibus corpus per se videtur, anima autem ex operationibus corporis, ita Ecclesiae compages intuetur per se, supernaturalis vero vita ex operationibus socialibus.

---

[56] KNAB. in *Joan.* p. 524-5.
[57] Gal. **4**. 25-6.
[58] Phil. **3**. 20-1.
[59] CORNELY in *Gal.* p. 553.

[1] S. THOM. 1 p. q. 67 a. 1.
[2] Eph. **4**. 15-16.
[3] BILLOT *De Eccl.* I p. 108.

206. **Quae propria ratio notarum Ecclesiae.** *Nota* in sua generica ratione dicit *distinctivum* quo res ab aliis secernitur [4]; quia tamen res proprie non denominatur ab iis quae ab extrinseco tantum eidem conveniunt, ideo stricte loquendo vocatur nota distinctivum intrinsecum ac proinde proprietas quae ab essentia fluens eique inhaerens nulli alteri convenire potest. Hinc nota Ecclesiae potest definiri: *Externa et essentialis proprietas qua Christi Ecclesia facile, certo et ab omnibus potest cognosci.* Est *proprietas* seu qualitas ipsi exclusive conveniens, quia quae pluribus competunt ad rem distinguendam non inserviunt: *essentialis* quia nota stricte accepta dicit qualitatem e natura emanantem, et quia Ecclesia utpote societas indefectibilis notas immutabiles habere debet, quod de accidentalibus proprietatibus non contingit: *externa* quia nota est signum rei, signum autem est « res, praeter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex sese faciens in cognitionem venire » [5]: *qua vera Christi Ecclesia potest cognosci,* quia notae ad hoc praecise ordinantur ut res a ceteris secernantur, unde et distinguuntur a proprietatibus quae rei competunt secundum se: *certo cognosci,* quia vera Ecclesia debet cum certitudine distingui a falsis, ac proinde etiam notae tales esse debent, ut certam notitiam pariant: *ab omnibus,* quia Ecclesia est societas universalis et necessaria, unde media ad illam agnoscendam omnibus esse debent in promptu: *facile,* quia multi ingenii hebetudine, necessitatibus vitae, et indomitis passionibus impediuntur a perceptione rerum difficilium, quae proinde non sunt media omnibus parata [6].

207. **Errores — Veritas.** Visibilitatem Ecclesiae *indirecte* impugnarunt (saec. 4) DONATISTAE et PELAGIANI definientes Ecclesiam congregationem *iustorum* et dein (saec. 15) WICLEFFUS et HUSS ex *iustis* coalescere reputantes [7]: *directe* REFORMATORES dicentes cum LUTHERO: « Quis Ecclesiam nobis monstrabit, cum sit *occulta* in spiritu et solum credatur? » [8]. Accedunt RATIONALISTAE et MODERNISTAE qui Christo tribuunt solam christianismi essentiam, visibilem formam dicentes historicam evolutionem originariae doctrinae divinae paternitatis [9]. *Notas Ecclesiae* REFORMATORES constituunt in pura verbi Dei praedicatione et recta sa-

---

[4] Cf. supra n. 85.

[5] AUG. *De Doct. Chr.* II c. 1.

[6] Cf. C. MAZZELLA n. 830; supra n. 82.

[7] DE GROOT *Sum. Apol.* (Ratis. 1906) p. 67.

[8] LUTHER *De abrog. Missa priv. NB.* Quidam posuerunt visibilitatem, sed vel mere *apparentem* (apud FRANZ. *De Eccl.* sect. 4 praen. hist.) vel solum *praesumptivam* (M. ANT. DE-DOMINIS *De Repub. Chr.* VII c. 10).

[9] Cf. supra n. 65 et 192.

cramentorum administratione [10], MODERNISTAE vero in perenni evolutione et consensu cum sociali experientia [11]. **Veritas** de Ecclesiae *visibilitate* prostat in CONC. VATIC. : « Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit suaeque institutionis *manifestis* notis instruxit, ut ea... ab omnibus posset cognosci » [12] : notas Ecclesiae tradit CONC. CP. I cum fidem profitetur in « unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam » [13].

THES. 25. *Ex Christi institutione Ecclesia est essentialiter visibilis.*

208. **Ex Scripturis V. T.** Nam Ecclesia adumbrata in prophetia JACOB, qui vidit Messiam *sceptrum* (plane visibile) accipere de manu Judae [14], et promissa DAVID cuius *regnum* (item visibile) remanere debebat in aeternum [15], praedicta est ab ISAIA uti *foedus* inter gentes propagandum [16], uti *regnum gloriosum* [17] coalescens ex multitudinem hominum, qui, licet natione et indole diversi, in summa pace et tranquillitate viverent [18], uti *civitas illuminata* populos longinquos, qui in tenebris sunt, suis splendoribus advocans [19]; uti *signum elevatum* in nationes, ad quod supplices confugiunt gentes [20]. Similiter DANIEL Ecclesiam contemplatus est tamquam *regnum* visibilibus regnis Babyloniorum, Graecorum et Romanorum succedens, quod pugnare debebat cum regno antichristi illudque divino interventu superare [21]. Atqui regnum visibilibus regnis succedens, cum visibilibus regnis pugnans, et ab omnibus conspiciendum est profecto visibile. Ergo. — Ex **N. T.** adduci possunt imprimis *a*) NOMINA quibus Christus suam Ecclesiam designavit [22] et PARABOLAE quibus coelorum regnum assimilavit *arbori* ramos ad extrema terrae protendenti et refugium praebenti avibus coeli et bestiis terrae [23], *sagenae* missae

---

[10] Apud DE GROOT p. 152.

[11] Colligitur ex doctrina evolutionis fidei, quam Modernistae undequaque praedicant et ex perpetuis incriminationibus quibus blaterant Romanam Ecclesiam lege atrophiae esse perituram, nisi novis orientamentis conscientiae et scientiae adhaereat.

[12] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 3.

[13] CONC. CP. 1 a. 381.

[14] Gen. **49**. 10 coll. Ezech. **21**. 27.

[15] Ps. **131**. 13; 2 Reg. **7**. 13.

[16] Isai. **42**. 6-12.

[17] Isai. **9** 1-7 coll. **11**. 10 *lect. hebr.*

[18] Isai. **11**. 6-10.

[19] Isai. **60**. 1-9; cf. **9**. 2.

[20] Isai. **11**. 12.

[21] Dan. **2**. 28-44.

[22] Cf. supra n. 193.

[23] Matth. **13**. 31-2.

in mari ex omni genere piscium congreganti [24], *agro* frumenti, in quo inimicus homo superseminavit *zizania* [25], *areae* paleas comburendas cum grano coadunanti [26], etc.; haec enim, si perpendantur, ideam exhibent societatis visibilis ex bonis et malis, electis et praescitis coalescentis. *b*) Adde Ecclesiae CONSTITUTIVA, Christus enim constituit *potestatem* visibilem ad quam recurrendum est pro difficultatum solutione [27], dedit visibile *caput* successorem S. Petri [28], instituit visibilia *media* salutis [29] et visibile *sacrificium* [30], atque voluit ut ipsa fides visibili medio *praedicationis* acciperetur [31]. *c*) Accedunt SIGNA quae Christus reliquit suis discipulis : hi enim publicas *contradictiones* passuri erant [32] portasque inferi perpetuo *superaturi* [33], in propatulo bona opera *exercere* debebant [34], *mutuo* amore se diligere [35], et *prodigia* plurima patrare [36]. *d*) Hinc APOSTOLI Ecclesiam praedicarunt *corpus* ex credentibus resultans [37] et ex Apostolis, Evangelistis, pastoribus et doctoribus (plane visibilibus) unitatem mutuans [38], cui (visibili) sacramento *baptismi* nova adduntur membra [39], a quo haeresi membra separantur [40]. — **Ex Patribus.** Nam IREN. dicit quod per Ecclesiam « salutis via in mundo *ostenditur* » [41] : ORIG. quod « Ecclesia *plena est fulgore* ab Oriente ad Occidentem » [42] : CYPR. quod ipsa « *paradisi* instar, exprimens arbores fructiferas, intra *muros suos* intus includit » [43] : AUG. iterum comparat *paradiso* [44], et civitati « *super montem constitutae,* quae certum signum hoc habet, quod *abscondi non potest* » [45] : CHRYS. eam praefert *soli,* quia « neque sol ita splendidus, neque eius lux ita clara est, ut sunt res ad Ecclesiam spectantes » [46]. Similia habent ATHAN., BASIL., OPT., CYRIL. Alex., qui omnes dicunt Ecclesiam in montium cacumine sitam, omnibus

---

[24] Matth. **13**. 47 sqq.
[25] Matth. **13**. 24 sqq.
[26] Matth. **3**. 12.
[27] Matth. **18**. 17-8; Luc. **22**. 32.
[28] Matth. **16**. 18-9.
[29] Joan. **3**. 5; Luc. **22**. 19; Joan. **20**. 23 etc.
[30] Luc. **22**. 19.
[31] Matth. **28**. 19-20 coll. Rom. **10**. 14-8.
[32] Joan. **15**. 20; **16**. 2.
[33] Matth. **16**. 18.
[34] Matth. **5**. 16.
[35] Joan. **13**. 35.
[36] Marc. **16**. 17-8.
[37] Eph. **4**. 16.
[38] Eph. **4**. 11-4.
[39] Act. **2**. 41.
[40] 1 Joan. **2**. 18-9.
[41] IREN. *Adv. haer.* 5 c. 20.
[42] ORIG. in *Matth.* hom. 30.
[43] CYPR. *Epist. ad Jub.* n. 11.
[44] AUG. *De Bapt.* VI c. 1.
[45] AUG. *Cont. lit. Petil.* II c. 104; *Serm.* 37 in Prov. **31**. 10; ep. 52.
[46] CHRYS. in *Isai.* **2** n. 2.

esse conspicuam [47]. — **Ex ratione.** Nam « vel nullam omnino Ecclesiam fundavit Christus, vel, si quam fundavit, talem profecto fundavit, qualem necessario exigit natura hominum, inter quos instituebatur, adeoque visibilem. Visibilem dico visibilitate primum *constitutionis*, quia non est societas, si se mutuo socii non agnoscant, et non est unde homines se ut socios agnoscant, si socialis structura per sensus externos attingi non potest. Visibilem etiam visibilitate *discernibilitatis* a non genuinis ecclesiis, quia ideo sane fundata est, ut ad eam evocati homines se aggregarent; si ergo non esset discernibilis, frustra et inutiliter fuisset a suo auctore, quod de Christo cogitare nefas » [48].

THES. 26. *Notae Ecclesiae merito quatuor assignantur, scil. unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas.*

209. **Argum.** Aliquas notas verae Ecclesiae Christi esse sequitur ex ipsa notione visibilitatis, siquidem sine quibusdam signis propriis vera Ecclesia non posset secerni a falsis et nisi signa fluerent a natura non essent certa et immutabilia vel non responderent naturae societatis visibilis [49]. Iamvero notas a REFORMATORIBUS et MODERNISTIS propositas esse ineptas facile apparet. Nam *puritas verbi Dei* et *recta sacramentorum administratio a*) inveniri possunt apud schismaticos qui de Ecclesia Christi non sunt: *b*) petitionem principii subaudiunt quia quae sit vera doctrina et recta administratio sacramentorum ex vera Ecclesia agnoscitur: *c*) certo vero certius non sunt notae obviae et faciles, quia directa eorum demonstratio ex historicis documentis laboriose tantum conficitur. Porro *fidei evolutio* et *adaptatio ad plebium opiniones* sunt manifesti errores infra expressius configendi. — Quod attinet ad catholicos, utique non omnes de numero et natura notarum Ecclesiae conveniunt, et BELLARMINUS quindecim proponit [50]; sed merito cum communiori sententia quatuor recensentur, quia ex aliis quaedam ordinantur contra religiones non christianas in praecendibus iam improbatas et aliae possunt revocari

---

[47] ATHAN. in *Ps.* **88**; BASIL. in *Isai.* n. 66. OPT. *De schis. Donat.* III n. 2; CYRIL. Alex. in *Isai.* I or. 2.

[48] BILLOT p. 110.

[49] De necessitate notarum vide etiam n. 89.

[50] BELLARM. *De Eccl.* IV c. 4.

ad quatuor praedictas. « Omnis enim proprietas Ecclesiae, ut notat PESCH [51], potest referri aut ad eius originem, quae est *Apostolica,* aut ad eius constitutionem, qua est hierarchia monarchica, principium *unitatis,* aut ad eius efficientiam extensivam et externam, quo pertinet *catholicitas,* aut ad eius efficientiam intensivam et internam, cuius fructus est *sanctitas* » [52].

210. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Ecclesia definitur a S. Petro *domus spiritualis* [53] : atqui res spiritualis est invisibilis : ergo. **Rep.** S. Petrus Ecclesiam vocat domum *spiritualem* ut distinguat a materiali ex lignis et saxis aedificata *trans;* ut distinguat a visibili et terrena *subd.,* ut scil. doceat praeter elementum naturale in ea inveniri supernaturale *conc.,* ut neget elementum visibile quo innotescat *neg.* Imprimis nota in N. T. *spiritum* non opponi *carni* sed ipsi *animae* et *menti* ad exprimendum ordinem supernaturalem, quo anima ornata gratia et Spiritus S. auxilio adiuta elicit opera vitae aeternae [54] : cum itaque Petrus Ecclesiam dicit *domum spiritualem* effert eius sanctitatem, finem supernaturalem et ordinem ad aeternam vitam, quae non magis excludunt visibilitatem Ecclesiae quam *rationalitas* hominis neget eius corporalitatem [55]. Porro Petrum visibilitatem Ecclesiae agnovisse vel inde patet quod episcopos obsecrabat gregem suum pascere [56]; si enim Ecclesia esset invisibilis, episcopi non possent gregem suum cognoscere, unde nec regere valerent.

211. **Obiic. 2.** Christus negat *regnum Dei* venisse *cum observatione* [57] : ergo est invisibile. **Resp. :** Et ly *cum observatione* significat visibiliter *neg.;* significat exteriorem pompam mundanam *conc.* Christus corrigit falsam opinionem Judaeorum de restitutione regni terreni Salomonis, dicens quod regnum Dei est sine externa majestate et

---

[51] PESCH *De Eccl.* n. 400; AUG. *C. epist. fund. manich.* c. 1; BILLOT p. 148.

[52] Notam *unitatis* pluries evolvit CYPR. contra Novatianos (*De Unit. Eccl.* n. 4 et passim), notam *sanctitatis* extollit EPIPH. contra haereses (*Adver. haeres* III tom. 2 Expos. fidei), notam *catholicitatis* contra Donatistas adhibet AUG. (*De vera Religione* n. 12 et alias saepe), notam *apostolicitatis* saepius prosequuntur TERTUL. (*De praescr.* c. 37) et IREN. (*Adv. Haer.* III c. 2 et 3).

[53] 1 Petr. **2.** 5.

[54] Cf. CORNELY in 1 *Corinth.* p. 68-70.

[55] « Prima et universalis causa humanae salutis est Verbum incarnatum ...Congruum igitur fuit ut remedia, quibus universalis causae virtus pertingit ad homines, illius causae similitudinem haberent, ut scil. in eis virtus divina *invisibiliter* operaretur sub *visibilibus* signis » S. THOM. *Cg.* IV c. 56.

[56] 1 Petr. **5.** 2.

[57] Luc. **17.** 20.

externo splendore regni terreni, quapropter non erat solemne quid expectandum, sed regnum promissum aderat in medio eorum [58].

212. **Obiic. 3.** Ecclesia in Evangeliis vocatur *regnum coelorum:* atqui *coelum* in Scripturis dicit aliquid supernaturale et invisibile, omnino distinctum ab his quae habentur in terris [59]: ergo Ecclesia Christi non est res visibilis nec huius mundi. **Resp.** *Dist. min.:* Coelum proprie et stricte acceptum contradistinguitur a rebus huius mundi *conc.;* analogice consideratum *subd.:* a rebus mere materialibus et transitoriis, *iterum conc.,* a rebus omnibus visibilibus licet supernaturalibus, *neg.* Sicut sanitas *proprie* dicitur de vivente, sed *analogice* effertur etiam de medicina quae causat sanitatem et de colore qui illam manifestat; ita *coelum* primo et per se est regnum gloriae, sed analogice dicitur de his quae sunt media ad futuram gloriam consequendam, vel initium illius. Merito ergo Ecclesia dicitur *regnum coelorum,* quippe ordinatur ad futuram gloriam. Porro Christum non vocasse Ecclesiam *regnum coelorum* ad excludendam eius visibilem existentiam in hoc mundo vel inde patet quod dixit *iam venisse* [60], *intra judaeos* esse [61], atque iustos et *peccatores* complecti [62], quae profecto de futura gloria dici non poterant. Prae ceteris vero vox *regni coelorum* a Matth. « videtur... selecta, ut expectatio regni terreni, adeo communis, ipsa voce excluderetur, quasi dicat: *vos terrenum expectatis regnum, ego coeleste appropinquare confirmo.* Optime autem ita vocatur, eo quod omnia, quae ad regnum istud pertinent, *coelestia sunt...* sive *originem* spectas, sive *bona* eius, sive *mores,* quibus Deus in animis regnat, sive *finem* et terminum ad quem tendit et in quo absolvitur » [63]. Adde regnum messianicum etiam in Thalmude vocari *regnum coelorum,* et plures opinari *coelum* per metonymiam dici de *Deo* [64].

213. **Obiic. 4.** Christus docuit Samaritanam cultum Ecclesiae non esse externum sicut judaicum, sed *in spiritu et veritate* [65]: atqui cultui respondet natura: ergo Ecclesia est quid internum et invisibile [66]. **Resp.** *Neg. mai.* Verba Christi non excludunt cultum externum, sed

---

[58] KNAB. in *h. l.* p. 488-9.

[59] Joan. **3.** 12-3; 1 Corinth. **15.** 43-9.

[60] Matth. **12.** 28.

[61] Luc. **17.** 21.

[62] Matth. **13.** 24-30. Dicemus cum de membris Ecclesiae.

[63] KNAB. in *Matth.* I p. 118; CORNELY *Comp. intr. in Sacr. Script.* Diss. VII § 2 n. 11.

[64] LIGHTFOOT, SCHÜRER, WÜNSCHE apud *Knab.* l. c. p. 119.

[65] Joan. **4.** 23-4.

[66] Hinc MODERNISTAE docent « externum apparatum omnem esse tollendum, quo illa (Ecclesia) ad intuentium oculos magnificentius ornatur ». PIUS X Enc. *Pascendi.*

praedicant universalitatem et supernaturalitatem eius, quo, impletis figuris, Deus vult ab hominibus honorari [67].

214. **Obiic. 5.** Articulus fidei non est visibilis: atqui Ecclesia est fidei articulus: ergo. **Resp.** *Dist. mai.* Non est visibilis sub formali ratione, qua creditur, *conc.*, vel *trans.*, sub alia ratione *neg.* Ecclesia *creditur* prout est revelata, *videtur* prout hominibus constat, visibili auctoritate regitur, visibilibus sacramentis sanctificatur, et pluribus credibilitatis argumentis innotescit.

215. **Obiic. 6.** Proprietates essentiales Ecclesiae vel intelliguntur *abstracte* et non ducunt ad cognitionem Ecclesiae quae est res concreta, vel sumuntur *concrete* et supponunt notitiam rei cuius proprietates agnoscuntur. Ergo Ecclesiae proprietates pro *notis* haberi non possunt. **Resp.** Cognitio proprietatum supponit notitiam confusam rei cuius sunt *conc.*, claram *subd.*, cum ex essentia deducuntur *conc.* cum in eius notitiam ducunt *neg.* Argumenti sophisma vel inde patet quod quotidie ex proprietatibus rerum naturas deducimus: aequivocatio est in adverbio *abstracte;* cum enim existentiam verae Ecclesiae ex proprietatibus arguimus, non descendimus a proprietatibus idealibus et aprioristicis ad concretam naturam, sed ex historicis et concretis proprietatibus verae Ecclesiae (per Scripturas et Patres cognitas) concludimus subiectum in quo inveniuntur, tum *negative* per exclusionem religionum quibus praedictae notae non conveniunt, tum *positive* per affirmationem illius cui competunt, siquidem proprietates essentiales uni tantum convenire possunt, nec omnes religiones falsae esse queunt.

Artic. 4 - De unitate Ecclesiae.

216. **Quae Ecclesiae unitas et quotuplex.** *Unum* convertitur cum ente et exprimit illam rei proprietatem qua ipsa est indivisa in se et divisa a qualibet alia [1]: Ecclesia igitur Christi est simpliciter *una*, si *a*) est sola a Christo fundata (*unitas extrinseca*) et si *b*) multiplicia sua membra ita ad invicem cohaerent, ut unum ens morale constituant (*unitas intrinseca*). Iam age: in Ecclesia duplex est elementum, alterum commune ceteris societatibus, quod scil. sit adunatio *hominum,* alterum sibi proprium, quod scil. sit coadunatio *evocatorum* ad credenda et agenda ea quae Deus revelavit: ex primo competit Ecclesiae unitas *communionis* qua mul-

[67] Cf. Knaben. in *Joan.* p. 470-1.

[1] Til. Pesch *Inst. Logic.* n. 1331.

titudo fidelium invicem cohaerent et *regiminis* quae praedictae unionis est causa formalis, ex altero ei convenit unitas *fidei* qua totius vitae christianae principia firmantur et ad unitatem revocantur.

217. **Quae de singula unitate sunt observanda.** Iamvero quod attinet ad UNITATEM FIDEI, nota consensum haberi etiam cum implicite tantum fidei veritates creduntur, implicita siquidem professio est vera confessio, et professio explicita *omnium* veritatum repugnat humanae conditioni, cui debetur ut plures nequeant omnia mysteria cognoscere et multo minus valeant distincte intelligere sub vitae initio, quando tamen fidei onus iam urget [2]. UNITAS COMMUNIONIS non expletur quovis membrorum commercio, sed usu eorumdem mediorum, scil. unitate sacramentorum et rituum, unde a quibusdam vocatur *unitas cultus* [3]. Quod attinet ad UNITATEM REGIMINIS non quaerimus in particulari quaenam sit eius forma, de hoc enim infra agendum est, sed contendimus Christum instituisse auctoritatem aliquam supremam, quae unitatis fidei et communionis sit intimum et firmissimum fundamentum. Tandem non agimus de quacumque Ecclesiae unitate, sed de illa, quae est eius *nota,* unde quaerimus de extrinseca et VISIBILI UNITATE *fidei, communionis* et *regiminis,* quae consistit in professione eiusdem fidei, in usu eorumdem sacramentorum, in exercitio eiusdem cultus, etc., sub dependentia eiusdem legitimae auctoritatis [4].

218. **Errores — Veritas.** Unitatem *solitudinis* (seu unicitatem) impugnarunt CONGREGATIONISTAE et UNIVERSALISTAE nec non moderni INDIFFERENTISTAE RELATIVI. Unitatem *regiminis* PROTESTANTES penitus negaverunt vel ad meram unitatem doctrinae, organizationis (sub Christo Pastore) et cultus reduxerunt [5]. Unitatem *communionis* impugnarunt GRAECI SCHISMATICI et ANGLICANI Ecclesiam concipientes quasi statum foederatum, resultantem ex ecclesiis Graeca, Romana et Anglicana. Unitatem *fidei* impetiti sunt illi PROTESTANTES, qui vel solam fidem promissionum agnoverunt, vel, distinguentes inter articulos *fundamentales* et *non*

---

[2] Cf. quae n. 82 diximus de necessitate revelationis.

[3] GROOT p. 153 triplicem unitatem *fidei, regiminis* et *cultus* seu *symbolycam, hierarchicam* et *liturgicam* considerat: unitas fidei scinditur *haeresi,* regiminis *schismate,* communionis *excommunicatione.*

[4] BILLOT *De Eccl.* I p. 153-9.

[5] MORRIS, LATANÈ, P. SCHAFF apud *Tanquerey De Eccl.* n. 126. Etiam E. SCHELL unitatem Ecclesiae intellexit de complexu omnium religionum quae christianum nomen assumunt. Cf. STUDI RELIGIOSI *Mag.-Giug.* 1906.

fundamentales, illis tantum necessariam esse mentis adhaesionem cum JURIEU († 1713) blasphemarunt [6]. Accedunt MODERNISTAE qui relativam tantum veritatem agnoscentes, dicunt religiosam societatem in unum coalescere, cum « una sit consociatorum conscientia, unaque, qua utantur formula » [7]. **Veritas** quoad *unicitatem* Ecclesiae prostat in CONC. LATER. IV, docente quod « *una* est universalis Ecclesia *extra quam* nullus omnino salvatur » [8] : quoad *unitatem fidei et communionis* in CONC. VATIC., cum ait : « Pastor aeternus... sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua velut in domo Dei viventis fideles omnes *unius fidei et charitatis vinculo* continerentur » [9]. Hanc vero unitatem non esse materialem tantum sed *formalem* ex indefectibili principio supremae auctoritatis, idem Concil. innuit cum, explicans modum quo Christus conservationi unitatis fidei et communionis providit, institutionem episcopatus et primatus Petri enarrat.

THES. 27. *Christi Ecclesia* 1 *unica est, et* — 2 *essentialiter una communione,* — 3 *fide, et* — 4 *regimine; haec autem unitas* — 5 *merito pro nota verae Ecclesiae habetur.*

219. **Prima pars.** *Christi Ecclesia unica est.* Nam in **Scripturis V. T.** Ecclesia proponitur uti determinatum aliquod regnum ab *uno principe* in aeternum regendum [10], atque civitas supra montem posita ad quam *omnes gentes* remotissimaeque in-

---

[6] Etiam catholici distinguunt inter articulos *fundamentales* et *non fundamentales,* sed non eo fine, ut hos excludant ab obiecto fidei necessariae ad salutem : pro catholicis articuli *fundamentales* sunt veritates praecipuae, quae de ipso Deo et animarum salute agunt, quaeque sunt credendae explicite ; *non fundamentales* veritates quas Deus etiam elevando hominem ad supernaturalem finem poterat non revelare, vel quae indirecte tantum respiciunt Deum et animarum salutem, unde etiam sine peccato possunt ignorari et implicite tantum credi. Cf. S. THOM. 2-2 q. 1 a. 6 ad 1 ; a. 7 ; C. MAZZELLA *De Virt. Infusis* n. 366-73.

[7] Apud PIUM X Enc. *Pascendi.* Quidam confundunt unitatem Ecclesiae cum mystica incorporatione ad Christum per Eucharistiam : alii (MURRI *La vita relig.* disc. 25) revocant unitatem articulorum fundamentalium, quae reducunt ad notitiam *divinae paternitatis.* Cf. *Armonie della Fede* a. 1906 n. 16 p. 320 sqq., a. 1907 n. 10 p. 230.

[8] CONC. LATER. c. *Firmiter;* PROFESSIO FIDEI prop. *Waldens.;* CONC. FLOR. Decr. pro *Jacob.*

[9] CONC. VATIC. *Pastor aeter.* cp. 1.

[10] Ps. **109.** 1-2 ; Isai. **9.** 6.

sulae confugiunt [11] ita, ut qui ei non coniunguntur exterminandi sint [12]: atqui haec ideam exhibent absolutae unicitatis: ergo. — In **N. T.** unitatem *a*) redolent NOMINA et SIMILITUDINES quibus Ecclesiam Christus designavit et Apostolus expressit [13]. Profecto *unius pastoris* unum est ovile, *unius regis* unum regnum; *una petra angularis* et *unum fundamentum* unicam domum sustinent; *unum caput* pluribus non inest corporibus; nec *unus sponsus* iuxta coniugii perfectionem pluribus uxoribus copulari valet: atqui Christus est Ecclesiae *pastor, rex, petra angularis, caput* et *sponsus:* ergo sicut Christus est *unus,* ita *una* est Ecclesia. Hinc tamquam ethnici et publicani haberi debent qui *Ecclesiam* non audiunt [14], oves autem, quae non sunt ex hoc ovili, adducendae sunt ut fiat *unum ovile et unus pastor* [15]. — **Patres** tam clare agnoscebant singularitatem verae Ecclesiae, ut haereticos et schismaticos dicerent membra diaboli, aeternis poenis addictos, Ecclesiam vero *Haevam* omnium viventium matrem [16], *Paradisum* extra cuius moenia non est spes vitae [17], *arcam Noë* extra quam ineluctabilis mors paratur [18], turrim *monolitham* factam cum petra [19], *sponsam* praeter quam manent tantum adulterae, quibus, qui iunguntur, a bonis promissis separantur [20]. « Deus, inquit CYPR., unus est, et Christus unus et *una Ecclesia,* et cathedra una supra petram Domini voce fundata » [21], quapropter « habere non potest Deum patrem, qui Ecclesiam (plane Romanam, de qua loquitur) non habet matrem » [22]. — Consonat et **ratio**; nam vera religio nonnisi *una* esse potest: atqui Ecclesia Christi est vera religio: ergo.

220. **Secunda pars.** *Ecclesia est una unitate communionis.* **Ex Scripturis.** Hoc imprimis docent testimonia allata quae Ecclesiam exhibent uti unum ens morale ex pluribus partibus (homi-

---

[11] Isai. **60.** 1 sqq.
[12] Dan. **2.** 44; **7.** 13 sqq.
[13] Cf. supra n. 193.
[14] Matth. **18.** 17-8; Luc. **10.** 16.
[15] Joan. **10.** 16.
[16] AMBR. in *Luc.* II n. 87-8.
[17] CYPR. epist. *ad Jub.* n. 11; AUG. *De Bapt.* VI c. 1.
[18] CYPR. *De Unit. Eccl.* n. 6; GAUD. Brix. *De Evang.* Serm. 8; HIERON. ep. 15 ad *Damas.*; AUG. in *Ps.* **103** serm. 3 n. 2.
[19] HERMAS *Pastor* Sim. IX, 13, 5.
[20] CYPR. *De Unit. Eccl.* n. 6. AUG. saepe Ecclesiam vocat *unicam* Christi. Epist. 140 ad *Honor.* n. 42; in Ps. **21** enar. 2 n. 21.
[21] CYPR. *Epist.* 40 n. 5.
[22] CYPR. *De Unit. Eccl.* n. 6; AUG. *De Sym.* serm 4 n. 13.

nibus, membris, ramis, lapidibus, etc.) resultans; plura enim unum non faciunt nisi invicem cohaereant seu communicent. In particulari memoranda sunt quae scribit APOST., ut animorum unionem suaderet [23] et compesceret invidiam donorum gratis datorum, vanam gloriam et contentionem [24], Ecclesiam comparans *corpori organis instructo,* in quo membra nobilia et ignobilia intime cohaerent in unitate esse et operationis [25]. *Sicut,* inquit, *corpus* UNUM *est et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa,* UNUM TAMEN CORPUS SUNT: *ita et Christus. Etenim* IN UNO SPIRITU *omnes nos* IN UNUM CORPUS *baptizati sumus, sive Judaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi... Vos autem estis corpus Christi et* MEMBRA DE MEMBRO»[26]. Adde nunc orationem Christi[27] qui pro Ecclesiae unitate in ultima coena Patrem exoravit. Orationem illam non fuisse conditionatam sed *absolutam* ideoque efficacem [28] constat *ex motivo* adducto, petiit enim unitatem Ecclesiae, ut sic glorificetur Filius qui Patrem glorificaverat [29]: *ex fine* assequendo, nam Ecclesiae unitatem ordinavit ad continuationem et perennitatem suae missionis [30]: *ex parallelismo obiecti,* nam petiit unitatem Ecclesiae sicut sibi resurrectionem [31]: *ex exclusione* mundi [32] qui ab oratione conditionata non excipitur, eo quod Christus venerit ut mundus salvaretur per ipsum [33]: *ex ratione signi,* nam obiectum orationis petiit uti signum veritatis suae missionis [34]. Atqui illa oratione pro Apostolis [35] et pro iis qui per verbum eorum credituri erant in eum [36] (scil. pro tota Ecclesia) Christus exoravit unitatem communionis, siquidem ait: *ut omnes* UNUM SINT, *sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis* UNUM SINT [37]. Ergo. — **Ex Patribus** CLEM. *Rom.* ait: « Cur divellimus et discerpimus membra Christi et contra proprium corpus sedi-

---

[23] 1 Corinth. **1**. 11-13.
[24] 1 Corinth. **12-14**.
[25] 1 Corinth. **12**. 14-26.
[26] 1 Corinth. **12**. 12-13. 27. Cf. Rom. **12**. 4-5 et Eph. **4**. 15-16, ubi Apostolus vult ut crescamus in capite Christo *ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate.*
[27] Joan. **17**. 1-23.
[28] Cf. Joan. **11**. 46; Hebr. **5**. 7.
[29] Joan. **17**. 1-5.
[30] Joan. **17**. 11-13.
[31] Cf. MALDON. in *h. l.*
[32] Joan. **17**. 9.
[33] Joan. **3**. 13.
[34] Joan. **17**. 21-5.
[35] Joan. **17**. 6-19.
[36] Joan. **17**. 20.
[37] Joan. **17**. 21.

tionem movemus, eoque vesaniae devenimus, ut alios aliorum membra esse obliviscamur? »[38]. « Quae catholica est, inquit CYPR., una est, *scissa non est, nec divisa,* sed utique connexa, et cohaerentium sibi sacerdotum glutino copulata »[39]. Hinc CHRYS. : « Dico et protestor *Ecclesiam scindere* non minus esse malum, quam incidere in haeresim »[40]; et AUG. : « Quicumque de ipso capite (Christo) Scripturis sanctis consentiunt, et *unitati Ecclesiae non communicant,* non sunt in Ecclesia »[41]. — **Ex ratione.** Nam unitas membrorum bonorumque communio sunt essentialia cuilibet societati : quia ergo Ecclesia ex nomine suo, ex similitudinibus, ex accepta potestate, et ex omnium christianorum sententia est vera societas visibilis, *communionis unitate* sua membra vincire debet.

221. **Tertia pars.** *Ecclesia est una unitate fidei.* **Ex Scripturis**; nam APOSTOLUS, qui Corinthios obsecraverat ut *idipsum dicerent omnes* et essent perfecti *in eodem sensu et eadem sententia*[42], compellit Ephesios *servare unitatem Spiritus in vinculo pacis;* siquidem *unus Dominus,* UNA FIDES, *unum baptisma;* et Christus *dedit quosdam Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores,* ut *occurramus omnes* IN UNITATEM FIDEI, nec *simus parvuli fluctuantes,* (nec) *circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*[43]. CONFIRMATUR ex oratione Christi supra citata; non enim de quacumque unitate exoravit Patrem, sed de unitate eorum qui *crediderant*[44] et qui *credituri erant*[45], ut sanctificarentur *in veritate*[46] : unde suae Ecclesiae impetravit illam fidei unitatem, quam Apostolis praecepit, cum eos misit Evangelium[47] *praedicare* omni creaturae[48], *docentes servare omnia* quaecumque mandaverat eis[49]. — **Ex Patribus**

---

[38] CLEM. Rom. 1 *Corinth.* c. 46 n. 7.

[39] CYPR. epis. 69 ad *Flor. Pup.*

[40] CHRYS. in *Eph.* hom. 11.

[41] AUG. *De Unit. Eccl.* c. 4; *c. epist. Parm.* II n. 25.

[42] 1 Corinth. **1**. 10. *NB.* Attendas Apostolum non de sola fide interna sed de eius professione loqui.

[43] Eph. **4**. 3-14.

[44] Joan. **17**. 8.

[45] Joan. **17**. 20.

[46] Joan. **17**. 17-9.

[47] Profecto *unum;* nam, ut Apostolus scribit ad Gal. **1**. 7, non est *aliud* Evangelium, sed tantum sunt qui *volunt convertere* Evangelium Christi.

[48] Marc. **16**. 15.

[49] Matth. **28**. 20.

IGNAT. fideles obsecrat « solo christiano alimento uti, ab aliena autem herba abstinere, quae est haeresis »[50]. IREN. ait: « Ecclesia tametsi per orbem sparsa... *miro consensu,* quasi *uno ore praedita* haec praedicat, docet et tradit »[51], ipsa « pervenit usque ad nos custodita, Scripturarum tractatione plenissima, *neque additamentum, neque ablationem recipiens* »[52]. Et CYPR.: « D. N. J. C.... *omnes omnino haereticos,* qui secum non essent, et, secum non colligentes, gregem suum spargerent, *adversarios suos esse* ostendit dicens: *Qui non est mecum, etc.* »[53]. Similiter AUG.: « Quicumque de Christo a Scripturis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inveniantur, in quibus Ecclesia designata est, *non sunt in Ecclesia* »[54]. Hinc HIER.: « Sicubi audieris eos... nuncupari *Marcionitas, Valentinianos, Montenses* sive *Campistas,* (nos addere possumus sive *Graecos,* sive *Anglicanos,* sive *Protestantes,* etc.) scito, non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam »[55]. — **Ex ratione.** Nam fides est de essentia societatis *fidelium,* unde, variata fide, evacuatur unitas animorum seu communionis[56]: atqui unitas communionis est essentialis cuilibet societati: ergo Ecclesiae est essentialis unitas fidei. Nonne in civili societate principia prima (naturali lumine comparata) sunt communia? Ergo et Ecclesiae communia esse debent sua principia: atqui principia Ecclesiae in fidei thesauro continentur: ergo.

222. **Quarta pars.** *Ecclesia est una unitate regiminis.* Nam **Scriptura** unitatem communionis et fidei repetit a principio singulis fidelibus extrinseco, h. e. a suprema auctoritate, quam Christus instituit. Revera CHRISTUS, qui Apostolis dedit plenitudinem potestatis[57], et misit ad fidem suam praedicandam, promittens eis suam praesentiam ne errarent[58]; Patrem exoravit etiam pro unitate regiminis; oravit enim ut Apostoli sanctificarentur *in ve-*

---

[50] IGNAT. ad *Trall.* c. 6 n. 1.
[51] IREN. *Adv. haer.* I. c. 10.
[52] IREN. *Adv. haer.* IV c. 63.
[53] CYPR. *Epist.* 69 *ad Magnum.*
[54] AUG. *De Unit. Eccl.* c. 4.
[55] HIER. *Dial. adv. Lucif.* n. 27; AUG. *De haer.* in fine.
[56] Cf. 1 Corinth. **1.** 11-13; Gal. **1.** 7-9; Eph. **4.** 1 sqq.; 1 Tim. **4.** 1 sqq.; Jud. 4 sqq.
[57] *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes.* Matth. **28.** 18-9; **16.** 18-9; **18.** 18, Joan. **20.** 21-3.
[58] *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.* Matth. **28.** 20; Luc. **22.** 31-2.

ritate [59], et ita ad unitatem reducerent eos, qui crediturí erant *per verbum eorum*. APOSTOLUS vero in saepe citata epist. ad Eph., explicans cur Christus *dedit quosdam Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores* [60], docet hoc factum esse ad unitatem fidei et communionis assequendam, *ut non circumferamur omni vento doctrinae* [61], *sed crescamus in Christo* quasi *corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis* [62]: quapropter, ne ad finem apta media deessent, Christus voluit pastores et doctores manere usque ad finem mundi, scil. *donec occurramus omnes... in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi* [63]. — **Patres** ex unione ad Romanam sedem christianorum unitatem repetunt. « Facessant, inquit AMBR., sacrilegae commenta discretionis, ubi *unitas potestatis est* » [64]. Et HIER.: « Poteram diem istiusmodi eloquio ducere et omnes propositionum rivulos (h. e. haereses) uno Ecclesiae sole (h. e. infallibili eius auctoritate) siccare » [65]. Similiter AUG.: « Ego Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae *commoveret auctoritas* » [66]. Exemplis rem illustrat CYPR.: « Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit; a fronde praecide rivum, praecisus arescit. Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit; unum tamen lumen est quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur » [67]. **Ratio** concinnat. Nam multitudo non reducitur ad unitatem, nisi aliquo principio quod physice vel moraliter idem est omnibus: in societate vero, id, quod omnibus idem est, est auctoritas principis (vel rectorum): ergo unitas *communionis* et *fidei* non esset in Ecclesia, si unitas *regiminis* deesset.

223. **Quinta pars.** *Unitas Ecclesiae est visibilis et vera eius nota.* Nam Christus exoravit Patrem, ut mundus ex Apostolorum et fidelium unitate *cognosceret* veritatem suae missionis [68] mu-

---

[59] Joan. **17**. 17.
[60] Eph. **4**. 11.
[61] Eph. **4**. 14.
[62] Eph. **4**. 16.
[63] Eph. **4**. 13.
[64] AMBR. *De Fide* III c. 12.
[65] HIER. *Dial. adv. Lucif.* n. 27.
[66] AUG. *De util. cred.* c. 17.
[67] CYPR. *De Unit. Eccl.* n. 5 Scil. unitas Ecclesiae fluit ab intrinseco unitatis principio non secus ac unitas radiorum ab unitate solis, etc.
[68] Joan. **17**. 21-24.

tuamque dilectionem (quae profecto unitatem mentium ideoque fidei praesupponit) tradidit tamquam discipulorum suorum *characterem* [69]: atqui *signum* et *character* sunt profecto res visibiles, quae ducunt in cognitionem alterius, scil. sunt notae: ergo. **Patres** et maxime CYPR. ex coniunctione ad Ecclesiam Romanam, ut vidimus, veritatem Ecclesiae arguebant quod esset impossibile, si unitas foret invisibilis vel non vera nota Ecclesiae.

THES. 28. *Ecclesia Romana est una, unitate communionis, fidei et regiminis: — 2 sectis vero separatis haec nota deest.*

224. **Prima pars.** *Ecclesia Romana vere est una.* Ecclesiae Romanae UNICITAS inde patet quod anathemate plectit omnes, qui haeresi vel schismate ab ipsa separantur: unde, concessa sacramentorum ab haereticis collatorum validitate [70], negat apud eos fructuose recipi [71], docens proinde nullam eis salutis spem affulgere, sed certissimam manere condemnationem. — UNITAS COMMUNIONIS est in Ecclesia Romana, quia, si in sinu suo cum ceteris peccatoribus retinet eos, qui se odio prosequuntur (habet enim media ad eos pacificandos), tamen suos non agnoscit, quos a reliquis haeresis vel schisma separant, vel ipsa excommunicatione segregat. — UNITAS FIDEI EXTERNAE inde patet quod Ecclesia Romana, dum distinguit inter veritates credendas explicite ab omnibus et alias quarum implicita confessio sufficit ad salutem, praecepit ut *totum* verbum Dei sive scriptum sive traditum reverenter suscipiatur et veneretur, suis conciliis et pontificum definitionibus explicat quae revelationis sunt obscura, atque integritati fidei consulit haereticos damnando. — Unitati professionis externae respondet UNITAS FIDEI INTERNAE, siquidem illi, qui veritatem aliquam revelatam ignorant implicite amplectuntur actu reflexu, quo veritates ab Ecclesia propositas sine exceptione suscipiunt. — Nec dubitare licet de UNITATE REGIMINIS, nam Ecclesia Romana suam unitatem mutuatur a suprema R. P. auctoritate, qua episcoporum potestas firmatur, quaeque sua *plenitudine* omnes fideles attingens perfectam inducit unitatem communionis, et sua *infalli-*

---

[69] Joan. **13**. 25; Isai. **11**. 6-10.

[70] Apud sectas separatas sacramenta non solum frustrari possunt defectu materiae, formae et intentionis, sed etiam defectu jurisdictionis, scil. in sacramento poenitentiae.

[71] Excipitur casus *ignorantiae invincibilis*, quia tunc unitas est in *voto*.

bilitate ad universum fidei depositum perveniens unitatem fidei generat. Hinc IREN.: « Ad Ecclesiam (Romanam) propter potiorem eius principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, h. e. eos qui undique sunt fideles » [72]. Et CYPR.: « Sicut Deus unus est, ita una Ecclesia est, et catholica una *supra Petrum* Domini voce fundatam » [73]. AMBROS. docet ibi Ecclesiam esse ubi est Petrus [74], et HIER. ait: « Ego... beatitudini tuae, i. e. cathedrae Petri communione consocior... Quicumque extra hanc domum agnum comederit profanus est » [75].

225. **Secunda pars.** *Nulla ecclesia a Romana separata unitatis nota insignitur.* **Protestantismum** non habere unitatem *communionis,* neque *fidei,* neque *regiminis* sed esse malignantium synagogam, cui hoc solum commune est protestari contra Ecclesiam, patet ex praedictis de protestantismi subdivisionibus. Ceterum quae unitas fidei esse potest, cum privato iudicio relinquitur definitiva sententia de revelationis thesauro? Quae fidelium communio ubi suprema auctoritas nec est a Christo, nec in Ecclesia residet, sed est apud principes vel in plebe, quibus Ecclesia servili jugo subjicitur? — Nec aliter sentiendum est de sectis **Graecis heterodoxis.** Nam et ipsae ad invicem NON COMMUNICANT et tamen « omnes et singulae *aequales titulos* habent, omnes et singulae *unius originis* sunt, et non magis in una quam in altera viget *assignata ab eis nota* conservationis doctrinae septem priorum Concil. oecumenicorum » [76]. Quid vero de UNITATE FIDEI? Forte in *confessionibus antiquis* est quaedam exterior consonantia, sed illae *fuerunt,* non *sunt;* hodiedum magna fidei corruptio apud graecos schismaticos est inducta, ita ut v. g. in Ecclesia *Russiaca* clerus calvinianis doctrinis sit addictus et populus in innumeras sectas scindatur. Adde unitatem Ecclesiae non esse cadaveris, sed *corporis vivi,* ideoque actuosam, positivam, respondentem culturae temporum, ac proinde removentem ea quae dissolutionem inducerent: atqui nihil huiusmodi est apud sectas, in quibus errores nec conciliis, nec viva et instanti praedicatione, nec solicita et rigorosa doctorum trutina impugnantur [77]: ergo. Deest UNITAS

---

[72] IREN. *Adv. haer.* III c. 3.
[73] CYPR. epist. 70 ad *Januar.;* ep. 55 ad *Cornel.*
[74] AMBR. in Ps. 40 n. 30.
[75] HIER. epist. 16 ad *Damas.* n. 14.
[76] BILLOT. *De Eccl.* I p. 175.
[77] BILLOT I p. 176.

REGIMINIS, singulae enim Ecclesiae pendent a particulari patriarca et Sancta Synodus Moscovita inepta prorsus est ad finem, siquidem eius actus non recipiuntur uti definitiones, et pendent a sanctione Imperatoris.

226. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** *a*) Victor Papa excommunicavit Ecclesias Asiaticas, quae tamen a vera Ecclesia non defecerunt: *b*) Cyprianus in re fidei restitit Stephano I, quin a catholica Ecclesia separaretur: et similiter *c*) plures Ecclesiae occidentales salva fide respuerunt *tria capitula* concil. Cp. II: sicut *d*) et Galli impune rejecerunt concil. Nicaen. et Florent. Ergo nec unitas communionis, nec unitas fidei, nec unitas regiminis sunt Ecclesiae nota. **Resp.** per partes. Ad *a*) *neg. suppositum.* Nam ex EUSEB., PHOT. et NICEPH. apparet quod excommunicatio Victoris fuit tantum comminata; ex SOZOM. vero et FIRMIL. quod statim fuit revocata [78]. Quod si Victor eas ecclesias excommunicasset, profecto fuissent separatae quin excommunicatorum numerus officeret huic vel ceteris Ecclesiae notis. — Ad *b*) *dist.:* CYPR. salva fide restitit definitioni Stephani, quia illam non reputavit dogmaticam, sed disciplinarem tantum et directivam *conc.*, aliter *neg.* De acri controversia inter Cypr. et Steph. I agemus in tract. *De Sacramentis:* in praesenti adnotasse sufficiat Cypr. unitatem Ecclesiae et quidem *communionis, fidei* et *regiminis* apertissime docuisse in libro *De Unitate Ecclesiae,* quo unitatis centrum agnoscit Ecclesiam Romanam [79], quam appellat perennem Petri cathedram [80], cui inerrantia in rebus fidei spectat [81]. In quaestione de rebaptizandis non negavit primatum vel infallibilitatem R. P., sed aestu passionis odumbrata mente non intellexit definitionis vim [82]: pertinacia vero, quaecumque fuerit, passionis falce purgata est [83]. — Ad *c*) *dist.:* Ecclesia Occidentalis se opposuit tribus capitulis CONC. Cp. II ad tempus et ex mala eorum intellectione *conc.,* formaliter restitit concilio oecumenico agnito *neg.* Ecclesiae occidentales tria capitula CONC. Cp. II nolebant recipere, quia reputabant contraria conc. Chalcedonensi, unde re declarata et consonantia manifestata, Concil. Cp. II Oecum. agnoverunt eiusque decreta susceperunt [84]. — Ad *d*) item *dist:* Galli in CONC. FRANCOF.

---

[78] JUNGMANN *Dissert. in hist. Eccl.* Diss. II n. 71-6; C. MAZZELLA *l. c.* 668.

[79] Vide supra n. 224.

[80] CYPR. *ad Anton.* cp. 55; *ad Cornel.* cp. 59; *ad Jan.* ep. 70 n. 7; *ad Jubai.* ep. 73 n. 6.

[81] CYPR. *De Unit. Eccl.* c. 3; *De Lapsis* c. 8-9 etc.

[82] JUNGMANN *l. c.* Diss. IV n. 98-101. HERGENRÖTHER *Storia Univ. della Chiesa.* Edit. Fir. 1905-6 Vol. I. p. 357-8.

[83] AUG. *De Baptis.* I. 28.

[84] JUNGMANN *l. c.* Diss. XI n. 39 sqq.

rejecerunt conc. Nicaen. ad tempus, ex mala intellectione decretorum eius *conc.*, aliter *neg.* Quoad conc. Florentinum, nulla difficultas, quia *nonnulli* tantum restiterunt; quoad Nicaen. verum est Gallos noluisse recipere, sed ratio erat quia putabant definisse adorationem imaginum Sanctorum; quapropter, cum ex can. 3 contrarium agnoverunt, sine haesitatione receperunt: porro Hadrianus I conc. Francof. approbavit solum quoad condemnationem Felicis Ugell. et Eliprandi Tolet., Gallorum vero errorem ad tempus toleravit ne pejora mala sequerentur [85].

227. **Obiic. 2.** Quinquaginta annis Ecclesia Romana scissa est in plures partes, quarum singulae diverso pontifici adhaerebant: ergo non fuit semper una unitate regiminis. **Resp.** Ecclesia Romana formaliter scissa est in plures partes *neg.*, materialiter *subd.*: ex difficultate agnoscendi verum pontificem *conc.* aliter *neg.* Quod attinet ad *factum*, res ita evenit. Electo 7 Apr. 1378 Urbano VI, cardinales, qui ei obedientiam jam praestiterant, de libero consensu dato dubitantes, 20 Sept. elegerunt Clementem VII. Urbano VI successit Bonifacius IX, Innoc. VII et Greg. XII, Clementi vero Benedictus XIII. Ne diutius maneret divisio, in concil. Pisano plures episcopi 26 Jun. 1409 elegerunt Alex. V, cui successit Joan. XXII. Ut finis imponeretur occidentali schismati, concilio intimante Joan. XXII tres obedientiae convenerunt Constantiam, ubi Joan. XXII sponte deposuit pontificiam dignitatem, quam post concilii acceptationem frustra reassumere conatus est. Greg. XII convocationem Joan. XXII non agnovit, sed per suum legatum Malatestam iterum ibidem indixit et per eumdem abdicavit. Benedictus XIII (Petrus de Luna) renuntiare noluit, unde a concilio depositus est, electo 11 Nov. 1417. Mart. V, cui absque emulo successit Eugenius IV. — Ex his constat semper fuisse in Ecclesia verum pontificem eumque fuisse Urbanum VI eiusque successores. Dubia, quae serius de libertate electionis cardinales obtruderunt, non infirmarunt, pristinam voluntatem, qua, precise ut contra romanorum violentiam propriam libertatem ostenderent, convenerant in episcopum Barensem, cui dein omnes liberrime obedientiam praestiterant [86]. Sicut autem semper fuit unitas pontificis, quae est formalis ratio unitatis regiminis, ita semper fuit *unitas fidelium;* licet enim non omnes agnoscerent verum Pontificem, omnes tamen *unum* habebant totius Ecclesiae caput, cui ex corde adhaerebant illi non excepti, qui ex materiali errore alteri obedientiam praestabant [87].

---

[85] C. Mazzella n. 670; Palmieri *De Rom. Pont.* th. 34 p. 748 sqq.

[86] Jungmann Diss. XXXIII n. 4-33; Hergenröther III vol. 5 p. 99.

[87] Sicut haereticus mere materialis omnia credit fidei mysteria, ita qui ex insufficienti notitia veri pontificis falso adhaeret, formaliter vero conjungitur. *NB.* Si quaeras quid fuisset de visibili unitate Ecclesiae, si tres obedientiae

ARTIC. 5 - DE ECCLESIAE SANCTITATE.

228. **Quid sanctitas.** « Nomen sanctitatis, inquit S. THOM., duo videtur importare. Uno quidem modo *munditiam,* et huic significationi competit nomen graecum; dicitur enim ἅγιος quasi sine terra. Alio modo importat *firmitatem;* unde apud antiquos *sancta* dicebantur quae legibus erant munita, ut violari non deberent... Utraque significatio competit (iis qui Deo adhaerent)... Munditia enim necessaria est ad hoc quod mens Deo applicetur, quia mens humana inquinatur ex hoc, quod inferioribus rebus coniungitur, sicut quaelibet res ex immixtione pejoris sordescit, ut argentum ex immixtione plumbi. Oportet autem quod mens ab inferioribus rebus abstrahatur, ad hoc quod supremae rei possit coniungi... Firmitas etiam exigitur ad hoc quod mens Deo applicetur; applicatur enim ei sicut ultimo fini et primo principio; huiusmodi autem oportet maxime immobilia esse » [1]. Hinc in sacris Litteris *sanctificatio* generice sumpta importat separationem a communibus, qua homo vel res divino cultui dicatur [2]; et *sanctitas* proprie accepta definitur a S. THOM.: « *per quam mens hominis seipsam et suos actus applicat Deo* » [3].

229. **Sanctitatis divisiones.** *Sanctitas* divisiones accipit ex parte *significationis* vocis, ex parte *gradus* intensitatis, ex modo *cognitionis,* et ex *subiecto* in quo invenitur. Juxta VOCIS SIGNIFICATIONEM sanctitas *proprie* dicitur de gratia habituali, qua ens rationale adhaeret Deo, *analogice* vero de his quae unionem hominis cum Deo inducunt: haec vocatur *activa* vel *principiorum* (sanctitatis), et consistit in iis, quae nata sunt inducere sanctitatem, scil. in Scriptura, legibus, bonis exemplis, praedicatione, sacramentis, etc.; illa dicitur *passiva* vel *mem-*

---

in perpetuo durassent, respondeo *negando suppositum;* Deus enim, qui Ecclesiae suae *unitatis* notam tribuit, praecavere debet ne in perpetuo scindatur, solum ad tempus permittens malum quod humana fragilitas vel malitia operatur in sua Ecclesia. De modo autem quo Christus providit materiali unitati Ecclesiae in casu Pontificis dubii non conveniunt theologi. Quidam cum BELLAR. *De Concil.* II c. 13 aestimant Deum providisse *ab intrinseco* facultatem tribuens coetui episcoporum, ut in concilio depositis dubiis Pontificibus novum eligant; alii, et forte melius (siquidem non est potestas supra R. P.), *ab extrinseco,* h. e. libera Pontificum renuntiatione, sicut revera contigit in concil. Constantiensi, in quo duo probabiles Pontifices primatum sponte deposuerunt [89].

[1] S. THOM. 2-2 q. 81 a. 8.

[2] Exod. **13.** 2 coll. 12 sqq.; **19.** 5-6; Num. **8.** 12-9, etc. Cf. HUM. in *Exod.* p. 190.

[3] S. THOM. 2-2 q. 81 a. 8.

brorum vel *formalis* et consistit in unione entis rationalis cum Deo, quam sequitur puritas et munditia a peccatis. — Ratione GRADUS dividitur in *communem, perfectam* et *heroicam*. Sanctitas *communis* est illa, qua homo a mortali peccato solutus Deo servit observatione praeceptorum; *perfecta* supra communem addit exercitium consiliorum (virginitatis, paupertatis et obedientiae); *heroica* in exercitio virtutum vel consiliorum notabiliter trascendit communem modum et mensuram recte agentium. — Ratione COGNITIONIS, alia est *interna* et invisibilis, alia *externa* et visibilis: illa consistit in habitibus gratiae et virtutum, haec in exercitio bonorum operum, quibus interior sanctitas inducitur et manifestatur [4]. — Ratione SUBIECTI distinguitur sanctitas *individui* et *societatis:* illa est qua unusquisque in se sanctus existit, haec qua societas ipsa religiosa (scil. Ecclesia) est beneplacens Deo. Porro sanctitas socialis non secus a privata dispescitur in activam et passivam, internam et externam, communem, perfectam et heroicam. Ad socialem sanctitatem activam pertinet quod Ecclesia habeat *omnia* media necessaria ad sanctificandum eisque *agat,* siquidem est corpus vivum: ad passivam non requiritur quidem quod omnia membra sint sancta (hoc enim attenta humana fragilitate est moraliter impossibile), necesse tamen est quod membrorum sanctitas ex influxu societatis proveniat ac proinde illa semper et in omni gradu existat.

230. **Qua ratione interior sanctitas innotescat.** Profecto fateri oportet quod in hac vita « nullus scire valet *certitudine fidei*, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum » [5], *certitudine* tamen *morali* quisque ex testimonio bonae conscientiae et ex observantia divinae legis de propria iustitia certiorari potest et alii eius sanctitatem cognoscere valent. Nonne Christus voluit ut ex fructibus distinguerentur veri a falsis prophetis, quia *non potest arbor bona malos fructos facere: neque arbor mala bonos fructus facere?* [6]. Ergo ex operibus sanctis de sanctitate agentis iure sententia dicitur.

231. **Errores — Veritas.** Erraverunt *defectu* REFORMATORES negantes sanctitatem *activam* seu existentiam sacramentorum aliorumque principiorum sanctitatis, et *passivam* reducentes cum LUTHERO ad solam fidem iustificantem. Accedunt ANGLICANI, qui cum LITTON sic sanctitatem extenuant, ut dicant in omnibus posse deficere, necnon RATIONALISTAE qui, miracula negantes, sancti-

---

[4] Ad externam sanctitatem merito reducuntur charismata gratis data et maxime miracula; etenim *gratiae gratis datae* ordinantur ad aliorum sanctificationem (S. THOM. 1-2 q. 111 a. 1) et *miracula* sunt signa sanctitatis (S. THOM. 2-2 q. 178 a. 2). Cf. GROOT p. 165.

[5] CONC. TRID. Sess. 6 cp. 9.

[6] Matth. 7. 18.

tatem in gradu heroico non agnoscunt [7]. MODERNISTAE directe sanctitatis notam non impetunt, sed eius notionem corrumpunt activas virtutes iuxta Americanismi placita passivis anteponendo [8], humilitatem ignaviae, obedientiam rationis abdicationi, mortificationem carnis dementiae comparantes [9], caelibatum quasi malum societatis damnando [10], cultum privatum quasi egoismum proscribendo [11], et ipsam moralitatis notionem systemate pragmatismi pervertendo [12]. *Excessu* erraverunt MONTANISTAE, PELAGIANI et REFORMATORES plurimi peccatores excludentes ab Ecclesiae membris [13]. **Veritas** continetur in SYMB. NICAEN. : « Credo unam *sanctam*... Ecclesiam » : pro hac vero sanctitate non requiri ut omnia Ecclesiae membra sint sancta, constat ex condemnatione QUESN. et SYN. PISTOR. [14].

THES. 29. *Ecclesia Christi* 1 *est sancta* — 2 *non solum sanctitate activa, sed passiva* — 3 *etiam gradu perfecto et heroico;* — 4 *haec autem sanctitas, utpote Ecclesiae nota, non solum est interna, sed etiam externa.*

232. **Prima pars.** *Ecclesia Christi est sancta.* **Ex Scripturis.** Nam in V. T. Messias promittitur uti peccati Adam reparator et veternosi serpentis destructor [15], in Quo omnes gentes divinam benedictionem (quam amiserant in Adamo), erant recepturae [16]; Ecclesia vero describitur tamquam *foedus Dei* [17], eiusque *sanctificatio* perpetua [18], *templum* ungendum seu sacrandum [19], civitas *superna luce* irradiata [20], regnum *justitiae* et *salutis* [21], in quo, *consummato peccato deletaque iniquitate,* adducenda erant *iustitia* sempiterna [22], *judicium* et *legis observantia* [23], cum *exercitio* om-

---

[7] C. MAZZELLA n. 680.
[8] Apud PIUM X Enc. *Pascendi.*
[9] Passim in ephemeridibus.
[10] Apud PIUM X Enc. *Pascendi.*
[11] Apud CERASOLI in *Armonie della fede* n. 16 a. 1906 p. 322.
[12] Vide supra n. 26.
[13] Cf. FRANZ. *De Eccl.* th. 25 p. 438-9.
[14] QUESN. pr. 72-8; SYN. PISTOR. pr. 15; PROFESSIO FIDEI proposita *Waldens.*
[15] Gen. **3.** 15.
[16] Gen. **22.** 18.
[17] Isai. **42.** 6; **61.** 8; Jer. **31.** 31.
[18] Ezech. **37.** 26 sqq.
[19] Dan. **9.** 24.
[20] Isai. **60.** 1 sqq.; KNAB. in *Isai.* II p. 410 sqq.; *in Joan.* **1.** 4 p. 71.
[21] Isai. **1.** 29 *heb.;* **45.** 8 *heb.*
[22] Dan. **9.** 24; Isai. **53.** 5-12.
[23] Isai. **42.** 4.

nium *virtutum* [24]. In N. T. Christus, qui venerat ad *peccatum tollendum* [25] et *principem huius mundi ejiciendum* [26], testatus est Ecclesiam suam non esse *de hoc mundo* [27], sed *regnum coelorum* [28], cuius beatitudines revocantur ad *exercitium virtutum*, quo homo mundatur et unitur Deo [29] : Ipse Patrem exoravit ut essemus *sancti* [30], praecepit ut *opera bona* exercentes [31] Patrem, qui est in coelis, imitaremur [32]; ne vero sanctitatis media deessent, *seipsum tradidit pro Ecclesia ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata* [33]. — **Patres** affirmant in Ecclesia « resplendere iustitiam sicut aestivis mensibus fulget meridies [34]; eam vocant coelestis Ecclesiae imaginem et imitationem [35], verum *paradisum* [36], veram matrem viventium [37], iter ad coelum [38], decorem et gloriam vultus Christi [39], arcam in qua sancti custodiuntur [40], verum semen Abrahae [41], plenitudinem Christi [42] et si quae aliae appellationes huiusmodi [43] », ex se et ex contextu ideam exhibentes rei sanctae et Deo dicatae. Ut unus saltem audiatur, sic AUG. : « Sanctam Ecclesiam, matrem vestram, tamquam supremam Jerusalem sanctam civitatem Dei honorate, diligite, praedicate. Ipsa est quae in hac fide, quam audistis, fructificat et crescit in universum mundum, Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis; quae malos in fine separandos, a quibus interim discedit disparilitate morum, tolerat in communione sacramen-

---

[24] Isai. **11**. 6-10. Tam frequenter Isaias loquitur de *regno sanctitatis* ut scripsisse dicatur *edictum gratiae*. CORNELY *Intr. in Sacr. Scrip.* Disp. VI. § 5 n. 1.

[25] Joan. **1**. 29.

[26] Joan. **12**. 31.

[27] Joan. **18**. 36.

[28] Matth. **3**. 2. et alias saepissime.

[29] Matth. **5**. 3-12.

[30] Joan. **17**. 19.

[31] Matth. **5**. 16; Joan. **15**. 1 sqq.

[32] *Estote vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.* Matth. **5**. 48.

[33] Ephes. **5**. 25-7. *NB*. Si quis verba de Ecclesia triumphante exponeret (S. THOM. 3 p. q. 8 a. 3 ad 3), argumentum non infirmaret, siquidem futura sanctitas praesentem subaudit. Cf. BILLOT p. 189-90.

[34] AMBR. *Hexaem.* IV c. 5.

[35] CYRIL. Hieros. *Catech.* XVIII n. 26.

[36] AUG. *De Gen. ad Litt.* XI c. 25.

[37] AMBR. in *Luc.* II n. 86.

[38] HIL. in *Psal.* **133**. n. 2.

[39] AMBR. in *Psal.* **48**. n. 11.

[40] AUG. in *Psal.* **28**. n. 10.

[41] AUG. *Quaes. in Pent.* VI c. 25.

[42] CHRYS. in *Eph.* hom. 3 n. 2.

[43] BILLOT. *th.* 4 p. 191-2.

torum »[44]. — **Rationis** argumentum deduci potest ex *incarnationis fine,* qui est salus animarum[45] et ex *permanentia Christi* in Ecclesia[46], in quam tamquam caput[47] *vitam influit* gratiae[48].

233. **Secunda pars.** *Ecclesia est sancta sanctitate activa et passiva.* De *sanctitate passiva* nihil addimus praedictis, quae de *formali* sanctitate membrorum loquuntur. De *sanctitate activa* in **V. T.** sermonem habent ISAI. qui iustitiam regni Messianici repetit ex *lege eius*[49], EZECH. qui loquitur de templo et sanctificatione positis *in medio Israël,* ut hic fiat populus Dei[50], MALACH. qui annuntiat *mundum sacrificium* offerendum a solis ortu usque ad occasum[51] et Messiam exhibet quasi ignem conflantem et herbam fullonum filios Levi purgantem[52]. In **N. T.** Christus perfectissimam *legem* tradidit[53], *sacramenta* instituit[54] quae sanctitatem significant et conferunt, atque *regimen* ordinavit ad sanctitatem obtinendam[55], secundum illud Apostoli: *Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem prophetas, alios autem Pastores et Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi*[56]. — **Ex Patribus** CYRIL. Hieros. ideo Ecclesiam dicit catholicam « quia generaliter omne peccatorum genus, quae per animam et corpus perpetrantur, *curat et sanat:* eadem vero omne possidet, quovis nomine significetur, virtutis genus, in factis et verbis et spiritualibus cuiusvis speciei donis »[57]. AMBR. ait: « Ipsa (Ecclesia) locus est sanctus, ipsa terra foecunda et optima virtutum messibus »[58]. — **Ratio** congruit, nam finis aptis mediis assequitur; si itaque Christus Ecclesiam instituit ut *essemus sancti et immaculati*[59], profecto suae sponsae dedit media ad vitam spiritualem gignendam.

234. **Tertia pars.** *Ecclesia est sancta etiam in gradu perfecto et heroico.* **Ex Scripturis.** Nam pulchritudo huius sponsae non

---

[44] AUG. *Serm.* 214.
[45] Cf. Rom. **5**. 12 sqq.; 1 Petr. **1**. 9.
[46] Matth. **28**. 20.
[47] Eph. **5**. 23.
[48] Joan. **15**. 1 sqq.
[49] Isai. **42**. 4.
[50] Ezech. **37**. 26 sqq.
[51] Malach. **1**. 11.
[52] Malach. **3**. 2-3.
[53] Matth. **5-7**.
[54] Joan. **3**. 5; etc.
[55] Matth. **28**. 18-20; Rom. **10**. 13-18 coll. I Corinth. **4**. 1.
[56] Eph. **4**. 11.
[57] CYRIL. Hier. *Catech.* XVIII. n. 23.
[58] AMBR. *Epist.* 63.
[59] Ephes. **1**. 4.

qualiscumque proponitur, sed *eximia*, quae vel in minimis excitat amorem Christi [60], qui tradidit semetipsum pro ea, ut exhiberet sibi *gloriosam* Ecclesiam [61], qui Patrem exoravit ut *suam sanctitatem* ei communicaret [62], quique vitis vera per illam *multos fructus* facit [63]. Ceterum nonne de Ecclesia melius quam de Jacob dicitur quod Deus dedit ei *certamen forte ut vinceret* [64]? Sane Christus misit Apostolos et discipulos suos tamquam *agnos inter lupos* [65], *persecutiones* eis praenuntians [66] et *perennem pugnam* contra portas inferi [67]; heroës autem sunt qui nobilissimas palmas ferunt sublimioresque triumphos celebrant. Hinc eximiae sanctitatis signa, h. e. miracula, Ecclesiae suae promisit [68]. — Porro **Patres** docent quod « ubi est Ecclesia ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et *omnis gratia* » [69]. « Ecclesia, inquit CYRIL. Alex., mons est *multa sanctorum millia* continens, tamquam *cedros et arbores proceras* plantatas secus decursus aquarum » [70], ipsa « civitas est Dei, quasi *regio sanctificatorum* » [71], quae, ut loquitur CYRIL. Hier., possidet « *omne virtutum genus* in factis et verbis, et spiritualibus cuiusvis speciei donis » [72]; quaeque ut addit GREG. M., « quotidie spiritualiter facit quod per Apostolos corporaliter faciebat... (scil.) *miracula* (virtutum) tanto *majora quanto spiritualia* » [73]. Imo Patres saepe celebrant signa heroicae sanctitatis Ecclesiae enarrando miracula, quae omni tempore in ea facta sunt [74]. **Ratio** congruentiae desumitur ex praedictis in prima parte.

235. **Quarta pars.** *Sanctitas est Ecclesiae nota.* Nam apud ISAI. populi confluunt ad civitatem Jerusalem, quia *vident* san-

---

[60] Cant. **4**. 1-13; **6**. 3-9; **7**. 1-9.

[61] Ephes. **5**. 25-7.

[62] Joan. **17**. 17-9; 26.

[63] Joan. **15**. 5.

[64] Sap. **10**. 12.

[65] Luc. **10**. 3.

[66] Joan. **15**. 18-9; **16**. 2.

[67] Matth. **16**. 18.

[68] *Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint non eis nocebit: super aegros manus imponent, et bene habebunt.* Marc. **16**. 17-8; Joan. **14**. 12; 1 Corinth. **12**. 4-11.

[69] IREN. *Adv. Haer* III c. 24.

[70] CYRIL. Alex. *in Amos* **9**. 13-15.

[71] CYRIL. Alex. in *Mich.* 5.

[72] CYRIL. Hier. *Catech.* XVIII n. 23.

[73] GREG. M. *In Evang.* hom. 29. n. 4; LACT. *Div. Inst.* XIV 26.

[74] IREN. *Adv. haer.* I. c. 56; TERTUL. *Apol.* c. 23; ATHAN. *De Inc. Verbi;* ORIG. *Cont. Celsum* I; CHRYS. *In Matth.* hom. 4; AUG. *De Civ. Dei* c. 8; etc.

ctitatis fulgoribus *illustratam* [75], et illam agnoscunt publico virtutum exercitio [76]; CHRISTUS vero, non solum voluit ut *operibus* distinguerentur veri a falsis prophetis [77] et *mutua dilectione* agnoscerentur sui discipuli [78], qui quasi *lux* splendere debebant *coram hominibus* [79]; sed Patrem exoravit ut Ecclesiae sanctitate, non minus quam unitate, *manifestaretur* veritas suae missionis [80].

THES. 30. *Ecclesia Romana vera fulget sanctitate* — 1 *activa et* — 2 *passiva,* — 3 *qua carent aliae Ecclesiae.*

236. **Prima pars.** *Ecclesia Romana est sancta sanctitate activa.* Nam *a*) integram doctrinam revelatam tenet, qua hominibus manifestans mundi originem eiusque vanitatem, a saeculi pompa homines retrahit et ad mundi principium et finem (Deum) convertit, cuius bonitatem et providentiam naturalem et supernaturalem superexaltans, rapit in amorem eius, qui infinite perfectus prior dilexit nos et semetipsum tradidit pro nobis. *b*) Sicut autem mentem illuminat, ita voluntatem dirigit sanctissimis legibus; effraenis concupiscentiis habenas injicit jejuniis aliisque poenitentiis: a malo retrahit comminatione canonicarum poenarum in hoc mundo, inferni ac purgatorii in altero: bona opera promovet promissione gloriae in futuro saeculo, ubi justus judex reddet unicuique secundum opera ejus. *c*) Nec solum habet media, quibus fugam mali bonique prosecutionem urgeat, sed quibus sanctitatem directe et indirecte foveat, scil. *sacramenta* quae justificant impium et justo adaugent gratiam, *sacrificia,* sacram *liturgiam, orationes, exempla* sanctorum, etc.; ad sanctitatem vero perfectam promovendam possidet *instituta religiosa,* in quibus castitas et poenitentia perfectione et fine toto coelo distant ab iis, quae apud monachos graecos vel bickos Budhistarum vigent. *d*) Porro ista omnia non materialiter tantum possidet, sed vera arbor ferax, flores semper emittens fructusque ad maturitatem indesinenter perducens, cum

---

[75] Isai. **60**. 3 sqq.

[76] Isai. **11**. 10 (*hebr.*) col. 6-9; KNAB. in *h. l.*

[77] Matth. **7**. 15-20.

[78] *In hoc cognoscent quoniam discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Joan. **13**. 35.

[79] *Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in coelis est.* Matth. **5**. 16.

[80] Joan. **17**. 17-26. *NB.* Attendas fidelium unionem et sanctitatem Christum deducere ex incorporatione ad seipsum.

magna libertate et instantia quotidie in actum deducit, siquidem *praedicationibus* instat opportune et importune, obsecrat, increpat in omni patientia et doctrina : ne fides et mores detrimentum patiantur, Conciliis et RR. PP. *definitionibus* necnon *decretis* SS. CC. damnat errores et pravas consuetudines : *praeceptis* cultum Dei promovet et ad conscientiae emundationem inducit : ad sanctitatem vero perfectam fovendam *nova instituta* novis temporibus respondentia approbat.

237. **Secunda pars.** *Ecclesia Romana est sancta sanctitate passiva.* Sanctitati activae respondet passiva. Revera si *a*) *multitudinem* quaeris, habes infantes ab ipsa rite baptizatos, habes, maxime in pagis, non exiguum numerum animarum in innocentia vel poenitentia tota vita Deum servientium, habes tempore paschali et missionum oppida et castella pene integra in statu gratiae. *b*) Si *sanctitatem perfectam* desideras, habes centena millia monachorum utriusque sexus, qui diverso habitu et variis regulis Evangelica consilia in actum deducunt, quorum alii orationi et acri corporis castigationi intenti vitam contemplativam agunt, alii operibus misericordiae dediti vitam activam exercent, alii medio modo meditationibus et spirituali ministerio addicti utramque vitam contemplativam et activam conjungunt. *c*) Si *sanctitatem heroicam* petis, habes sanctos ab Ecclesia non in occulto, sed post diligentissimum virtutum examen publice canonizatos, quos in candelabro ponit ut omnes videant, nullatenus timens ut hominum malitia suum infirmetur judicium. Nec huiusmodi sanctitas antiquus tantum est Ecclesiae fructus : nostris quoque temporibus edit; et si quaeris *martyres* habes plurimos perturbationis Galliae, illosque maiori adhuc numero, quos schisma Moschovitarum inedia, frigore, ferro et igne consumpsit in Polonia et Siberia, vel qui recentius in Cocincina, Corea et Siam sanguine suo fidem illustrarunt : si *confessores* desideras plurimos habes quorum beatificationis causa vel iam expleta, vel introducta, vel proxime resumenda est a S. Cong. [81]. Adde missionarios, qui, patria et vitae commodis

[81] Inter beatos qui saeculo elapso floruerunt recensentur Gabriel Perboyre M. († 1840), Petrus Chanel M. († 1841), Gaspar Buffalo († 1838), J. B. Vianney († 1859), Gabriel a B. V. Dol. († 1862), Sophia Barat († 1865). Inter sanctos ultimis his annis relati sunt Petrus Fourier, A. M. Zacharia, Gerardus Majella, Alexander Sauli, J. B. La Salle, Clemens Hofbauer, Joseph Oriol.

abdicatis, apud barbaras nationes sine spe lucri et gloriae, summa rerum inopia, gloriam Dei totis viribus promovent; adde pios sacerdotes, adde pudicas virgines, adde afflictos, infirmos et calumniatos, qui tribulationes patienter sustinent, ac sine dubio cum S. V. BEDA clamabis: « O vere beata mater Ecclesia, quam vincentium gloriosus martyrum sanguis exornat, quam inviolatae confessionis candida induit virginitas. Floribus eius nec rosae nec lilia desunt! »[82]. De *sanctitatis signis* seu miraculis supra diximus[83].

238 **Tertia pars.** *Neque Ecclesia graeca, neque protestantium sectae gaudent sanctitatis nota.* Summum praeiudicium contra ACTIVAM SANCTITATEM sectarum *a*) iam est quod sanctitatem non constituant de necessitate salutis[84], vel quod servili jugo potestati civili Ecclesiam subdant[85]; hoc enim in se malum est et multorum causa malorum, siquidem temporalia bona sunt spinae bonum semen suffocantes[86]. *b*) Ceterum ubinam sunt media salutis apud sectas? Nonnullae sacramentis ex defectu materiae vel formae carent, aliae integram legem non servant, aliae cum Luthero libertatem vel cum Calvino bonorum operum necessitatem impugnant. *c*) Et si quae (ut nonnullae Ecclesiae graecae) servant media sanctitatis communis et perfectae, non retinent uti media socialia; siquidem desunt qui *iuridice, instanter* et *fortiter* applicent, unde comparari possunt *fossili,* quod ramos, follia et fructos antiquos servat, sed, mortuum, de novo non edit. — Ex defectu sanctitatis activae, sequitur privatio SANCTITATIS PASSIVAE; licet enim quidam haeretici bonae fidei (qui implicite Romanae Ecclesiae adhaerent) sint iusti, *a*) non sunt tamen tales prout *suis sectis adhaerent, b*) ceteris paribus *numero et perfectione* inferiores sunt his, qui in Ecclesia Romana degunt, nec *d*) unquam gradum *sanctitatis heroicae* attingunt; unde, exceptis sanctis, quos cum Romana habent communes utpote ante separationem genitos, nullos habent quos proferant. Imo *e*) dum in Ecclesia Romana, qui de religione sunt meriti[87], sanctitate quoque vix non omnes

---

[82] BEDA in *Fest. OO. SS.* serm. 1; BILLOT *th.* 4 p. 212-3; GROOT p. 248-9, 251-2.

[83] Cf. n. 230. GROOT p. 250.

[84] BELLAR. *De Eccl.* IV c. 13.

[85] Hoc MODERNISTIS improperat Pius X Enc. *Pascendi.*

[86] Matth. **13.** 22.

[87] Commemora fundatores familiarum religiosarum, episcopos, RR. PP., etc.

emicuerunt; fundatores e contra schismatis graeci et protestantismi nomen abominabile reliquerunt. Profecto Conc. Cp. IV PHOTIUM damnavit quia « scissionibus mundum replentem... alienumque thronum invadentem, moechiam rursus omnibus exprimentem... et scandalum omnibus excitantem » [88]. LUTHERUS perjurus et concubinus, gloriabatur se diabolum habuisse magistrum et verbis contumeliosis et infandis scribere solebat [89]. CALVINUS saevitia furiarum Lutherum superavit nec ab incontinentiae labe fuit immunis [90]. THEOD. BEZA Calvini comes et alter protestantismi parens carminibus exaltavit sodomorum nequitiam, et a suis uti simoniacus vitiorumque omnium reus est habitus [91]. « Reformationis initiatores in Anglia fuerunt HENRICUS VIII, CRAMMER, THOMAS CROMWEL, SOMERSET, ELISABETH : totidem nomina execranda, synonyma luxuriae, perjurii, perfidiae, hypocrisis, et nefandae barbariae » [92].

239. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** *Nota* esse debet aliquid proprium et visibile : atqui sanctitas *activa* communis est

---

[88] Apud BARON. a. 869 n. 46.

[89] E. DENIFLE *Lutero e Luteranismo* edit. Rom. 1905, multis testimoniis et scriptis Lutheri, probat ipsum fuisse *impium,* non solum voti violatione, sed orationis (p. 113 sqq.) et sanctorum (p. 126) despectu, et quia Deum facit auctorem peccati (p. 125) : *mendacem* theoretice et practice (p. 95; 131; 138; 260 sqq.; 432 sqq.) : stylo *provocacem* et *abjectum* (p. 104-5; 139 sqq.); *ebriosum* (p. 110 sqq.) : ultra omnem modum *impudicum,* ita ut castitatem diceret impossibilem (p. 112 sqq.; 121 sqq.) et, muliere habita quasi libidinis explendae medium a Deo datum (p. 123; 301; etc.), licitum faceret puellarum raptum (p. 16; 23; 121 etc.) atque, fornicarius et concubinus ipse, permitteret polygamiam imo et polyandriam, atque adulteria in affectu et in opere suaderet et perficeret (p. 104; 308-323). Cf. BOSSUET apud *Billot* p. 203.

[90] De aliorum contemptu hoc accipe testimonium : « Chiama *Lutero* il Pericle della Germania; *Melancton* è incostante e codardo; *Osiandro* è mago, seduttore, bestia selvaggia; *Augiland* è orgoglioso, stizzoso, asino; *Capmulus* è un dappoco; *Heshus* un fetido chiaccherone; *Stancer* un asino; *Memnone* un manicheo; a *Wesfalio* scrisse : *la tua scuola è una putida stalla di porci. M'odi o cane? m'intendi o frenetico, mi capisci, bestiaccia?* Fa continui giocarelli sulla parola *tridentini,* per dire che i padri del concilio sono sotto la protezione di Nettuno dal tridente ». CANTÙ *Storia Universale* Lib. XV c. 19 not. 8. — A corruptione morum eum excusat CANTÙ *l. c.,* sed de eius incontinentia testimonia affert RORBACHER *Storia della Chiesa Univ.* L. 84 § VIII circa medium.

[91] CONRAD SCHLUSSELBURG, *Theol. calv.* II p. 72 ed. 1592.

[92] BILLOT *l. c.* ex Bossuet.

falsis ecclesiis, *passiva* est res spiritualis ideoque invisibilis: ergo. **Resp.** *Dist. min. quoad 1 partem:* Falsis ecclesiis est communis sanctitas activa inadaequate inspecta et per modum habitus *conc.*, etiam adaequate inspecta et per modum actus, sicut convenit corpori viventi, *neg.* — *Dist. pariter quoad 2 part.:* Sanctitas passiva non est visibilis per se et directe *conc.*, non est visibilis per accidens ex virtutum actibus et signis *subd.:* si agitur de sanctitate communi et quorumdam tantum *conc.*, si de sanctitate multorum, maxime vero de sanctitate heroica, miraculis comprobata, *neg.* Licet sanctitas formalis per se videri nequeat, ex operibus tamen potest dignosci. Profecto si quid huic cognoscibilitati obstaret esset hypocrisis: atqui nec ipsa opponitur; *a*) si enim fictio in quotidianis studiosam animadversionem non effugit, in observatione totius divinae legis et constanti exercitio virtutum impossibilis apparet. *b*) Adde hypocrisim non esse vitium commune, nec inveniri in multitudine; cum igitur multitudo virorum et mulierum cuiuscumque gradus et conditionis totam divinam legem observant, de interiori sanctitate societatis, cui illa multitudo pertinet, nullatenus ambigi potest. *c*) Attendas etiam hypocrisim non secus a ceteris creaturarum actibus limitibus coarctari, ac proinde repugnare in exercitio sanctitatis heroicae, quae humanas vires in immensum excedit. *d*) Omnem tandem possibilitatis limitem praetergredi ac plusquam metaphysice repugnare dicenda est hypocrisis, cum sanctitas miraculis confirmatur; si enim miracula patrantur ad sanctitatem demonstrandam, de illa extat divinum et infallibile testimonium [93].

240. **Obiic. 2.** « Bonum ex integra causa malum autem ex quocumque defectu »: atqui in Ecclesia sunt multi peccatores: ergo. **Resp.** *Neg. consequentiam.* Membra Ecclesiae non sunt eius causa efficiens vel finalis sed materialis tantum, unde principium assumptum non concludit. Accedit quod societatis natura non desumitur ex illis qui a societatis perfectione deficiunt, sed ex illis qui eius finem obtinent, sicut exercitus valor non pensatur ex desertoribus vel semilixis, sed ex militibus fidelibus et strenuis qui inimicos dissipant et triumpha agunt. Porro peccatores, iuxta evangelicas parabolas [94], sunt quidem in Ec-

[93] Quandonam Deus miracula operetur ad sanctitatem servorum suorum ostendendam, non facile intelligitur quousque thaumaturgus vivit, sunt enim miracula repromissa potius *fidei* quam *caritati* (Matth. **17**. 19; **21**. 21 coll. 1. Corinth. **13**. 2); sed quando invocatione defuncti miracula contingunt, res fit manifesta, siquidem repugnat damnatos quidquam a Deo impetrare, et finis invocantis miraculum saltem implicite est ut exauditione constet de virtute eius, quem deprecatus est. Cf. Off. *S. Agathae* ant. ad *Bened.;* S. THOM. 2-2 q. 178 a. 2.

[94] Matth. **3**. 12; **13**. 24 sqq.; 47 sqq.; 1 Tim. **2**. 20; etc.

clesia, sed pertinent ad membra mortua, quae socialia media negligunt nec societatis finem assequuntur, nisi a malitia recedentes et ipsi justificentur [95].

241. **Obiic. 3.** AUG. contra Donatistas negat miraculis veram religionem demonstrari: ergo sanctitas heroica non est nota verae Ecclesiae. **Resp.** *Neg. assertum* et *consequentiam.* Etiam dato quod miracula non essent signum sanctitatis heroicae, haec sufficienter probaretur virtutum exercitio, ut patet ex eodem AUG. [96]; sed insuper falso dicitur AUG. negasse miraculorum vim [97], siquidem in impugnatione Donatistarum, qui falsa miracula obtrudebant, ab hoc argumento mere praescindit [98].

ARTIC. 6 - DE NOTA CATHOLICITATIS.

242. **Quid catholicitas generice accepta.** A graeco καθ' ὅλον (secundum totum) *catholicitas* importat universalitatem, quae, cum in diversis attendi possit, ad diversa quoque significanda est adhibita. Revera Ecclesiae catholicitatem *a*) alii invenerunt in universalitate *locorum* [1], *b*) alii in universalitate *personarum* [2], *c*) alii in universalitate *revelatae doctrinae* [3], *d*) alii in universalitate *temporum* [4]: quae omnia Ecclesiae Christi convenire patet ex Matth.[5], ubi Christus Apostolos suos mittit *a*) *in mundum universum,* ut *b*) *omnes gentes* docerent *c*) *quaecumque mandaverat eis,* suam praesentiam promittens *d*) *usque ad consummationem saeculi.*

243. **Catholicitas stricte sumpta eiusque divisiones.** Verum catholicitas *doctrinae* reducitur ad unitatem fidei et catholicitas *temporis* respicit durationem Ecclesiae, quae non est eius nota sed proprietas

---

[95] De relativa majori moralitate catholicorum respectu habito ad haereticos eiusdem regionis, testantur census. Cf. v. g. de filiis spuriis Germaniae *L'Unione* 27 Feb. 1909.

[96] Cf. supra n. 232 et vide pulcherrima quae ex sanctitate activa et passiva Ecclesiae idem AUG. in *Lib. De Vera relig.* arguit pro veritate Ecclesiae.

[97] Cf. supra n. 91.

[98] Cf. C. MAZZELLA *l. c.* n. 689.

[1] AUG. in *Ps.* **56.** n. 13.

[2] CYRIL. Hier. *Catech.* XVIII n. 231; AUG. *Cont. Jul.* II c. 3.

[3] CYRIL. Hier. *l. c.*

[4] Plures distinguunt etiam inter catholicitatem *materialem* et *formalem,* quae multitudini membrorum a prima indicata addit vinculum quo in societatis unitatem coëunt; sed abstinemus ab hac divisione, quia in praesenti agimus de catholicitate illius Ecclesiae, quam esse unam unitate communionis, fidei et regiminis in superioribus ostendimus.

[5] Matth. **28.** 19-20.

sequens apostolicitatem: in praesenti itaque agendum est de universalitate *personarum* et *locorum;* quae dividitur in catholicitatem *a*) iuris et facti, *b*) physicam et moralem, *c*) absolutam et relativam, *d*) simultaneam et successivam. *a*) *Catholicitas iuris* respicit voluntatem antecedentem qua Deus Ecclesiam faciens de necessitate salutis ordinavit ad omnes gentes; *catholicitas facti* respicit Dei voluntatem consequentem et denotat homines baptismo Ecclesiae aggregatos nec haeresi nec schismate ab ea separatos esse in toto mundo, *b*) Prout vero universalitas personarum et locorum intelligitur stricte de totalitate, quae exceptiones non habet, vel large de magna multitudinis copia in dissitis et praecipuis mundi regionibus dispersa, *catholicitas* vocatur *physica* vel *moralis. c*) Si catholicitas moralis consideratur *in se ipsa,* prout magna membrorum copia reputatur universitas, dicitur *moralis absoluta,* si consideratur respective ad alias religiones quas sectatorum numero, regionum varietate et extensione dominationis excedit, dicitur *moralis relativa;* quae dispescitur in *collectivam* et *distributivam* prout excessus in numero et extensione respicit alias religiones simul sumptas, vel divisim seu singulariter inspectas. *d*) Tandem supradicta catholicitas est *successiva* si Ecclesia transmigratione ex una in aliam gentem paullatim ad omnes nationes venit, *simultanea* si eodem tempore in toto mundo dominatur.

244. **Errores — Veritas.** Contra catholicitatis notam antiquitus dimicarunt DONATISTAE et fere omnes HAERETICI ut se excusarent de membrorum paucitate[6]; eamdem impugnarunt NOVATORES in genere et PUSEYSTAE in specie, qui catholicitatem ab unitate separantes, Ecclesiae catholicitatem intellexerunt de collectione omnium sectarum, quae christiano nomine recensentur. His accensendi sunt MODERNISTAE qui catholicitatem *physicam* quaerentes christianis connunerant haereticos et paganos[7], Ecclesiam Romanam improperantes quod sua dogmatum immobilitate universalitatem regni Dei impediat[8]. **Veritas** de catholicitate Ecclesia continetur in SYMBOLO; quod vero attinet ad naturam huius notae, tenendum est Ecclesiam Christi esse catholicam universalitate *morali, simultanea* et *absoluta,* imo etiam *respectiva* ad sectas christianas divisim acceptas: an vero haec catholicitas

---

[6] AUG. *C. Jul.* II c. 3.

[7] Cf. supra n. 27 et 218.

[8] Sic in *Il Programma* p. 8. « Se la Chiesa non ha smarrito la coscienza de' suoi destini cattolici... essa deve uscire dal recinto del solitario santuario, a cui non giunge più il fervore della vita collettiva, pulsante nelle officine e nelle università »

competat Ecclesiae *essentialiter* et *perpetuo*, ita ut sectis ne in momento quidem numero et extensione cedere possit, negarunt BELLAR. et MELC. CANUS [9], sed communius docent theologi.

THES. 31. *Ecclesia Christi non solum* — 1 *de* JURE *sed* — 2 *de* FACTO *est catholica,* — 3 *haec autem catholicitas ei competit uti vera* NOTA.

245. **Prima pars.** *Ecclesia est de jure catholica seu universalis.* Si enim Deus *omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* [10], et de necessitate medii fecit baptisma, quo homo inseritur Ecclesiae [11], profecto voluit Ecclesiam ad omnes gentes pervenire, ac proinde *de jure* universalem constituit. Hinc Christus Apostolos misit in mundum *universum,* ut Evangelium praedicarent *omni* creaturae, aeternam condemnationem comminando iis, qui Apostolis eorumque successoribus adhaerere nollent [12].

246. **Secunda pars.** *Ecclesia etiam de facto est catholica.* Ecclesiae catholicitas adumbrata in PROTOËVANGELIO [13], cum Deus promisit Salvatorem, in quo et per quem mundus de serpente victoriam erat relaturus [14]; clarius est annuntiata Abrahamo in cuius semine (quod est mysticum Christi corpus seu Ecclesia) *benedicendae erant omnes gentes* [15], et manifeste est proposita in Psalmis et Prophetis. Revera in PSALMIS celebratur haereditas Christi (*Ecclesia*) complectens *omnes gentes* et *terminos terrae* [16], et regnum (*Ecclesia*) quo Messias *dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos terrae,* subjiciens *omnes reges terrae* et *omnes gentes* [17]; quapropter eius legati (*Apostoli*) *in fines orbis terrae* resonare debebant verba salutis [18], ut *universas familias gentium* ducerent ad Dominum adorandum [19]. ISAIAS contemplatus est *gentes, insulas* et *plenitudinem maris* quaerere legem servi Domini eiusque foedus ita constituere [20], ut *multitudine gen-*

---

[9] BELLARM. *De Eccl.* IV c. 7; M. CANO *De Loc. Theol.* IV c. 6.

[10] 1 Tim. **2**. 4.

[11] Joan. **3**. 5. *NB.* Attendas veram Ecclesiam *unicam* esse.

[12] Marc. **16**. 15-6.

[13] Gen. **3**. 15.

[14] Cf. BILLOT *De Verbo Incarn.* p. 342; HUMM. *Com. in Gen.* p. 162.

[15] Gen. **22**. 18 coll. Gal. **3**. 16; cf. CORNELY *Com. in Gal.* p. 495 sqq.

[16] Ps. **2**. 7-8.

[17] Ps. **71**. 7-11.

[18] Ps. **18**. 5; Rom. **10**. 28.

[19] Ps. **21**. 28-9.

[20] Isai. **42**. 4-12

tium regnum sempiternum firmarent [21]; quare laetabundus consolatur Jerusalem (Ecclesiam) cui filii *de longe venient* et filiae *de latere surgent,* cum ab extremo *oriente* (Madian, Epha, Saba) et ab ultimo *occidente* (insulae et mare a principio) convertentur *multitudo maris* et *fortitudo gentium,* ipsi quoque divites, sapientes et reges [22]. DANIEL regnum messianicum (Ecclesiam) vidit sub figura lapidis, *qui factus est mons magnus et implevit omnem terram* [23]. EZECHIEL « sub symbolis templi vastissimi in alto monte erecti, cultus levitici splendide restaurati, terrae admirabili fonte foecundatae inter duodecim tribus advenasque aequali modo distributae, describit regni messianici pulchritudinem, sanctitatem, *universalitatem* » [24]. Apud ZACCARIAM angelus Domini prohibet metiri Jerusalem (Ecclesiam), quia *absque muro habitabitur Jerusalem prae multitudine hominum et jumentorum in medio eius* [25]. MALACHIAS prophetarum ultimus describit Ecclesiae sacrificium, quod offeretur *in omni loco,* quia *ab ortu solis usque ad occasum* magnum est nomen Domini in gentibus [26]. — In **N. T.** CRISTUS docuit quod *multi ab Oriente et Occidente venient et recumbent cum Abraham et Isaac, et Jacob in regno coelorum* [27]; prophetavit Apostolos futuros sibi *testes in Jerusalem, et in omni Judaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae* [28], regnum vero coelorum praefiguravit captura piscium quorum *copiosa multitudine* rumpebatur rete [29], et descripsit parabola grani sinapis quod, *cum creverit, majus est omnibus oleribus et fit arbor ita ut volucres coeli veniant, et habitent in ramis eius* [30]. Hinc MARCUS testatus est Apostolos praedicasse Evangelium *ubique* [31] et PAULUS Romanos certiorabat quod eorum fides annuntiabatur in universo mundo [32]. — **Patres** Ecclesiae catholicitatem annuntiatam viderunt in *a*) *symbolis* et *b*) *testimoniis* Scripturae, eamque *c*) *didactice* et *d*) *polemice* docuerunt. Revera *a*) Ecclesiae universalitatem agnoverunt

---

[21] Isai. **9**. 2-7.
[22] Isai. **60**. 3-14.
[23] Dan. **2**. 27 sqq.
[24] Ezech. **40-48** apud CORNELY *Introd. in Sacr. Script.* Diss. VI § 14 n. 4.
[25] Zach. **2**. 4.
[26] Malac. **1**. 11.
[27] Matth. **8**. 11.
[28] Act. **1**. 8.
[29] Luc. **5**. 6 coll. Matth. **13**. 47 sqq.
[30] Matth. **13**. 31-32; cf. Ezech. **17**. 23.
[31] Marc. **16**. 10; Rom. **10**. 18.
[32] Rom. **1**. 8; Colos. **1**. 6.

in *arca Noë* [33], in *linteo* visionis Petri, in quo erant omnia quadrupedia [34], in *vocatione Pastorum et Magorum* Christum in cunabulis adorantium [35], in *dono linguarum,* quo die Pentecostes Apostoli a Spiritu S. sunt ditati [36]. *b*) Eamdem intellexerunt in testimoniis Scripturae, supra allatis [37] dicentes cum AUG. quod « prope omnis pagina (Scripturae) nihil aliud sonat, quam Christum et Ecclesiam *toto orbe diffusam* » [38]. *c*) Eam fidelibus tradiderunt uti tesseram, qua vera Ecclesia a falsis agnoscitur. « Ubi, inquit IGNAT M., fuerit Ch. J. ibi *catholica* est Ecclesia » [39]. Similiter CYPR. : « Ecclesia Domini luce perfusa, *per totum orbem* radios suos porrigit... ramos suos in *universam terram* copia ubertatis extendit; profluentes largiter rivos latius expandit » [40]. Et OPTAT. : « Probavimus eam esse Ecclesiam catholicam, quae est *in toto orbe diffusa* » [41]. Item CYRIL. Hier. : « Si quando peregrinatus fueris in civitatibus, ne quaeras ubi sit Dominicum, sed ubi sit *catholica Ecclesia*. Hoc enim proprium nomen est huius sanctae et matris omnium nostrum, quae quidem sponsa est D. N. J. C. » [42]. Hinc. PACIAN. : « *Christianus* mihi nomen est, *Catholicus* vero cognomen. Illud me nuncupat, istud ostendit : hoc probor, inde significor » [43]. Tandem Patres contra *Arianos, Novatianos, Donatistas, Pelagianos* et *Nestorianos* inde veritatem nostrae Ecclesiae arguebant quod haereticorum sectae pauca tantum membra quibusdam in locis coarctata, habebant, dum vera Ecclesia ubique diffusa innumero populo coalescebat [44].

---

[33] GREG. M. *In Ezech.* hom. 16; AUG. *De Unitate Eccl.* n. 9; *De Civ. Dei* XV c. 26.

[34] HIER. *in Ezech.* c. 38; ORIG. *in Gen.* II hom. 1; BASIL. *in Isai.* **14**; AUG. *De Unit. Eccl.* n. 30.

[35] FULG. *De Epiph.* serm. 5; LEO M. *De Epiph.* serm. 1.

[36] AUG. *Cont. Litt. Petil.* n. 74; *in Psal.* **18.** serm. 2 n. 5; etc. Universalitas Ecclesiae videri potest annuntiata etiam in *tribus linguis* tituli crucis, quae in universo orbe resonabant. Cf. TOLET. apud *Knaben.* in Joan. **19.** 20.

[37] AUG. *De Unit. Eccl.* n. 9-30; OPTAT. *De Schis. Donat.* II n. 1 et 5; CHRYS. *in Matth.* hom. 54 n. 2; EPIPH. *Adv. Haer.* 61 n. 2 etc.

[38] AUG. *Serm.* 46 n. 33.

[39] IGNAT. M. Epist. ad *Smyr.* n. 8.

[40] CYPR. *De Unit. Eccl.* n. 5.

[41] OPTAT. *De Schis. Donat.* II n. 2.

[42] CYRIL. Hieros. *Catech.* XVIII n. 26.

[43] PACIAN. ep. 1 ad *Sympr.*

[44] CLEM. Alex. *Strom.* VII c. 17; GREG. Naz. *Or.* 4; *c. Jul.* I n. 67; AUG. in *Ps.* **56** n. 13; OPT. *c. Parm.* II; etc.

247. **Tertia pars.** *Catholicitas est vera nota Ecclesiae Christi.* Nam in **Scripturis** V. et N. T. *Catholicitas* ponitur signum distinctivum regni messianici seu Ecclesiae: atqui signum distinctivum est nota: ergo. Hinc, ut vidimus, **Patres** catholicitatem Ecclesiae proponebant fidelibus uti tesseram verae Ecclesiae, dicentes verum christianum nomine CATHOLICI *ostendi, probari* et *significari.*

THES. 32. *Ecclesia Romana — 1 vere est Catholica, — 2 ceterae omnes catholicae non sunt.*

248. **Prima pars.** *Ecclesia Romana est vere catholica.* Primum argumentum sumitur ex ipso NOMINE; hodie enim non minus quam temporibus AUG. Ecclesia Romana « tenet ipsum *Catholicae* nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere » [45]: atqui nomen communi consensu impositum est signum rei, siquidem nomen proprium alteri nemo cedit: ergo. Si FACTUM spectes, habes omnibus temporibus Ecclesiam Romanam fuisse catholicam. Revera catholicitati Ecclesiae, quae Sedi Romanae coniungitur, testimonium dederunt **saec. 1** PAULUS ap., **saec. 2** IREN. et TERTUL., **saec. 3** CYPR. et ATHAN., **saec. 4** CHRYS. et HIERON., **saec. 5** AUG., LEO M. et PROSP., **saec. 6** GREG. M., **saec. 8** BEDA, **saec. 9** BERN., **saec. 16** BELLARM. [46]. « Fidem suam, inquit HIER., quam vocant?... Si *Romanam* responderint, ergo *catholici* sumus » [47]. AMBR. enarrat de fratre suo Satyro quod post naufragium quaesivit ab incolis terrae, « utrum cum episcopis *catholicis*, h. e. cum *Romana Ecclesia* convenirent » [48]. Nostris diebus solemne argumentum praebuit CONC. VATIC. in quo plus quam mille episcopi ex omnibus mundi regionibus convenerunt pro fidei defensione; omnibus vero notum est hodiedum Romanam Ecclesiam universis mundi linguis Dominum

---

[45] AUG. *C. epist. Fund.* c. 4; *De vera Relig.* c. 12.

[46] BELLARM. *De Eccl.* IV c. 7 refert etiam testimonia praedictorum Patrum. TANQUEREY *De vera Eccl.* n. 140-4 continuum progressum Ecclesiae Romanae enarrat. Cf. etiam A. BALLER. et E. VASCUS *Synops. hist. eccl.* a. 1881.

[47] HIER. *Adv. Ruf.* I n. 4.

[48] AMBR. in *Ps.* **40** n. 30.

laudare, ubique sacrificium Missae Deo offerre, ac filiorum numero non modo singulas sectas christianas superare, sed omnes simul excedere [49].

249. **Secunda pars.** *Nulla ex sectis separatis est catholica.* Nam si NUMERUM spectes, sectae separatae valde cedunt Romanae, eorumque asseclae exigui sunt, si iuxta fidei et communionis subdivisiones nomine et re distinguantur. Si LOCUM consideres, repetere licet quod suo tempore scribebat AUG.: « Non omnes haeretici per totam faciem terrae... Alii hic, alii ibi,... ipsi se non norunt. Alia secta in Africa, alia haeresis in Oriente, alia in Aegypto, alia in Mesopotamia. Diversis locis sunt diversae... Sed tamen illa (Ecclesia Catholica) omnes novit, quia cum omnibus fusa est » [50].

250. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Ecclesia debet crescere usque ad finem mundi: ergo nondum est catholica. **Resp.** Fidei dilatationi obstat catholicitas physica *conc.*, moralis *neg.* Ultro damus Ecclesiam, plantam vere fructiferam, semper extendere propagines suas novosque edere fructus; hoc enim *a*) exigit divina providentia, quae non violenter nec in instanti opera sua ad perfectionem ducit; *b*) hoc exigunt prophetiae, quae Ecclesiam exhibent *civitatem,* cuius portae jugiter sunt apertae ad peregrinos, qui de longe veniunt, recipiendos [51], et quasi *lapidem* qui factus est mons magnus et replevit terram [52]; *c*) hoc exigit parabola grani sinapis, quod excrevit in arborem [53]; *d*) hoc exigit Apostolorum missio, quos Christus voluit prius praedicare Jerusalem et in omni Judaea et Samaria et dein usque ad ultimum terrae [54]. Etiam ratione locorum catholicitas debet intelligi *moralis*, non physica prout scil., salva humana libertate et defectionibus inde sequentibus, Ecclesia filios habet multos in omni natione *cognita* dispersos; « quamobrem sensu quidem *absoluto* nonnisi in consummatione saeculi cum veritate dicetur Ecclesia pervenisse ad omnes gentes, et occupasse omnem terram, sed sensu *relativo,* ab ipso iam aevo apostolico debuit ubique diffundi, et de omnibus gentibus colligi » [55].

---

[49] Ex *Krose* et *Baumgarten,* GROOT p. 261 catholicos enumerat 270.000.000 graecos schismaticos cum aliis dissidentibus 110.000.000 Protestantium 150.000.000. Cf. etiam DE BROGLIE not. 3 p. 464-5.

[50] AUG. Serm. 46 c. 8 n. 18.

[51] Isai. **60.** 8-11.

[52] Dan. **2.** 35.

[53] Matth. **13.** 32.

[54] Act. **1.** 8 coll. Coloss. **1.** 8.

[55] BILLOT. *th.* 6 p. 227; Rom. **1.** 8; **10.** 18; Colos. **1.** 8; 23.

251. **Obiic. 2.** Christus Ecclesiam suam vocavit *pusillum gregem* [56]; extensione ergo et fidelium numero catholica esse nequit. **Resp.** Christus vocat Ecclesiam pusillum gregem ratione interioris humilitatis et externi despectus *conc.:* ratione paucitatis membrorum *subd.:* comparatione facta cum numero reproborum, vel examine instituto primis Ecclesiae temporibus *conc.,* aliter *neg.* Sicut Christus sub diverso respectu est rex gloriosus et abjectio plebis; ita Ecclesia est *catholica* et *pusillus grex,* ad quem pauci qui per angustam portam intrant pertinent; licet enim Ecclesia peccatores nunc comprehendat, hi tamen in ea non permanebunt, sed damnatione a mystico Christi corpore separabuntur: si ergo Ecclesia *terminative* et in ultima perfectione sumatur, solis electis coalescit, qui reprobis comparati pauci sunt. Quod si obiectum testimonium de Ecclesia militante intelligatur, adhuc catholicitati eius non repugnat, siquidem *pusillus grex* dicuntur christiani, quia « apud homines abjecti et debiles habentur » [57]. Nonne insuper Ecclesia, verum granum sinapis, in exordio fuit societas minima? Imo etiam hodie si haereticis addantur pagani numero cedit; quid igitur si comparentur ei quotquot fuerunt homines ab origine mundi? [58].

252. **Obiic. 3.** HIER. loquens de concil. *Ariminense* dicit: « Tunc *Usiae* nomen abolitum est, Nicaenae fidei damnatio conclamata est: ingemuit totus orbis, et se esse arianum miratus est » [59]. Ergo vel catholicitas non est nota verae Ecclesiae, vel arianismus fuit Ecclesia Christi. **Resp.** HIER. hyperbolice loquitur de *materiali* haeresi plurium episcoporum *conc.;* aliter *neg.* Imprimis certum est quod Praesules *Ariminenses* voci ὁμοούσιος (*consubstantialis*) substituentes ὁμοιούσιος (*similis*) veram fidem non negarunt, siquidem consubstantialitatem Filii cum Patre aliis vocibus manifestarunt; unde a Patribus et scriptoribus coaevis non damnantur de *haeresi,* sed de *favore* dato Arianis verbis ambiguis veritatem proponendo. Hoc innuit ipse HIER. cum dicit mundum *esse miratum* de suo arianismo; nemo enim admiratur de sententia scienter et deliberate prolata [60]. Adde arianam haeresim potius quam in populo in praesulibus serpsisse, neque proinde ex defectione plurium episcoporum extensionem Arianismi posse metiri [61].

253. **Obiic. 4.** Cum catholici enumerantur, plures includuntur, qui, nomine excepto, nil de Ecclesia retinent; fidem enim negant, obedientiam R. P. dectrectant, legesque non observant: ergo ex ca-

---

[56] Luc. **12.** 32.

[57] KNABEN. in *h. l.* p. 390.

[58] AUG. *Cont. Jul.* II c. 3; BEDA *in Luc.* **12.** IV c. 54.

[59] HIER. *Dial. ad. Lucif.* n. 19.

[60] JUNGMANN *Diss. in hist. Eccl.* D. VII n. 9-10; SUAREZ *Def. Fidei* I c. 16 n. 17.

[61] ATHAN. ad *Juvin.* apud *Theod.* H. E. IV. 3.

tholicorum censu nil pro catholicitate Ecclesiae evincitur. **Resp.** *Conc. ant.* et *neg. cons.* Nam eadem repeti debent de sectis Protestantium, unde catholicitas moralis et respectiva Romanae Ecclesiae adhuc permanet. Sed insuper plures qui sejuncti dicuntur a Catholica fide, revera non sunt separati; licet enim *errores* profiteantur, materialiter tantum tenent et non pertinacia intellectus et voluntatis: R. P. *non obediunt,* sed obedientiae debitum non negant: et si *legem* Ecclesiae non observant, nec sacramenta suscipiunt, agnoscunt tamen; unde legis violatores et publici peccatores potius quam haeretici vel schismatici dicendi sunt.

254. **Obiic. 5.** Anglicani ubique terrarum evangelizatores mittunt et in toto mundo asseclas habent: ergo sunt catholici. **Resp.** *Neg. cons.* Ad catholicitatem non sufficit quaecumque praesentia in regionibus mundi sed requiritur numerus ingens et firmitas asseclarum: atqui evangelizatores angli, licet copiosis subsidiis adiuventur, paucos ab idololatria convertunt, qui insuper tam leviter eis adhaerent, ut sine persecutionis periculo ad pristina redeant. Adde haereticorum evangelizatores potius in corruptione catholicorum quam in ethnicorum conversione vires insumere, ac divitiarum cupiditate fidelium defectiones et paganorum persecutiones saepius excitare [62].

ARTIC. 7 - DE NOTA APOSTOLICITATIS.

255. **Quid Apostolicitas.** Ex graeco ἀπὸ στόλος nomen *Apostoli* exprimit missum cum relatione ad mittentem seu *cum mandatis missum* atque per antonomasiam dictum est de his, qui a Christo missi sunt in universum mundum, ut homines verbis docerent et sacramentis sanctificarent. Porro Apostoli duplex habebant munus: unum *personale,* per semetipsos exercendum in prima Ecclesiae plantatione, *sociale* alterum implendum etiam per successores, qui ipsorum potestate recturi erant Ecclesiam Dei usque ad finem mundi: secundo hoc sensu instituitur quaestio de Ecclesiae apostolicitate.

256. **Quotuplex apostolicitas.** Communiter triplex distinguitur, scil. *doctrinae, originis* et *successionis.* De apostolicitate *doctrinae* quaedam innuimus cum *unitatem fidei* demonstravimus, et iterum agemus cum de revelationis progressu; in praesenti adnotasse sufficiat apostolicitatem doctrinae esse corollarium apostolicitatis missionis: si enim Apostoli usque ad finem mundi praedicare debent *omnia* quae-

[62] BILLOT *th.* 7 p. 235-6.

cumque dixit Christus [1], profecto eorum doctrina immutata permanere debet in Ecclesia. Hinc Patres cum IREN. apostolicam doctrinam deducunt ex apostolica successione, qua vera Ecclesia ab haereticis sectis distinguitur, sola habens *charisma veritatis* [2]. Apostolicitas *originis* et *successionis* intelligitur *materialiter* et *formaliter:* illa adest cum sedes (seu particularis quaedam ecclesia) est fundata ab Apostolo (*apostolica origine*) et sine interruptione est occupata ab aliquo munia apostolica exercente (*apostolica successione*), licet ipsa sedes schismate vel haeresi separata fuerit ab unitatis centro, et episcopus, qui apostolica officia exercet, defectu ordinationis vel jurisdictionis illicite et invalide ecclesiam regat et pascat: haec habetur cum sedes, quae ab Apostolo vel eius legitimo successore est fundata (*apostolica origine*), numquam ab unitate catholicae Ecclesiae defecit, et episcopus, qui sine interruptione in locum Apostoli suffectus est (*apostolica successione*), illius auctoritatem sive ordinis sive jurisdictionis possidet (*apostolica auctoritate*).

257. **Formalis successionis apostolicae definitio.** Cum de apostolicitate Ecclesiae agitur, profecto non est sermo de sola apostolicitate *materiali* sed de *formali,* nec solius *originis* sed *successionis,* unde potest definiri: *Legitima et perennis personarum suffectio in Apostolorum locum ad regendam et pascendam Ecclesiam.* Prima definitionis verba apostolicitatem *originis* innuunt, cetera apostolicitatem *successionis* exprimunt. Apostolicitas successionis dicit imprimis *suffectionem personarum in Apostolorum locum,* quia successio non importat quamcumque potestatis communicationem, quae etiam vicariis fiat, sed veram substitutionem in locum alicuius ad eadem munia exercenda. Dicit suffectionem *perennem,* quia, si quo tempore defuit successio [3], deficit etiam potestas, quae transire debebat; sicut enim ramus a trunco praecisus et arefactus amplius virescere nequit, ita sedes apostolica, interrupta successione, iterum fundari potest, prosequi non potest. Dicit *legitimam* successionem ideoque *publicam* seu manifestam et peractam *secundum* electionis *leges* a legitima auctoritate statutas; agitur enim de publico munere, quod nemo sibi assumere potest, sed legitima

---

[1] Matth. **28**. 20.

[2] IREN. *Adv. Haer.* IV c. 26 n. 2.

[3] Interruptio *sedis vacantis* non impedit successionem, *a*) quia in re morum parum pro nihilo reputatur, *b*) quia hoc modo transit potestas in aliis societatibus, et *c*) quia, sede vacante, in Ecclesia est potestas eligendi successorem, in qua radicaliter continetur potestas regendi.

missione suscipere debet, ne intrusus habeatur et sit. Dicit *ad regendam et pascendam Ecclesiam*, quia talis erat apostolica auctoritas, duplicem potestatem ordinis et iurisdictionis complectens [4].

258. **Quomodo apostolicitas originis et successionis innotescat.** Nota imprimis apostolicitatem sive originis sive missionis esse *notam solius* et *totius* Ecclesiae Christi, quaeque proinde manifeste constare debet de toto corpore et de singulis eius partibus. Jamvero si de unaquaque particulari ecclesia publicis et certis documentis apostolica fundatio et legitima successio foret probanda, *apostolicitas* inter Ecclesiae notas recenseri nequiret, siquidem de pluribus particularibus ecclesiis antiquitatis documenta desunt, vel authentica demonstrari non possunt. Via ergo facilior est quaerenda et IREN., CYPR., OPT., AMBR., HIER., AUG. aliisque Patribus [5] praeeuntibus, agnoscitur in *apostolicitate Sedis Romanae*, cui omnes particulares ecclesiae Christi unitate communionis, fidei et regiminis coniunguntur. Profecto si Sedes Romana est apostolica, omnes, quae ei adherent, sunt apostolicae, quia ad apostolicitatem non requiritur *immediata* fundatio per Apostolum (secus foret impossibilis Evangelii propagatio ad dissitas regiones) sed sufficit quod particularis ecclesia sit constituta apostolica auctoritate. Cum ergo in Ecclesia Romana episcopi eligantur vel confirmentur a R. P., et novae ecclesiae eius auctoritate fundentur, ex apostolicitate R. P. omnes catholici episcopi apostolici efficiuntur eorumque ecclesiae apostolicae. E contra omnes ecclesiae, quae a Sede Romana separantur vere (seu *formaliter*) apostolicae non sunt; dato enim quod demonstrari posset Andream, Matthaeum, Joannem vel alium Apostolum erexisse tales sedes, illis deest apostolica auctoritas et apostolicum fundamentum, siquidem schismate vel haeresi separatae sunt ab unitatis centro et sic defecerunt ab Ecclesia Christi, et ruerunt de apostolico fundamento. Porro Sedem Romanam esse apostolicam et RR. PP. Apostolorum legitimi successores, demonstrabimus in thesi.

259. **Errores — Veritas.** Apostolicitatem Ecclesiae negarunt PROTESTANTES, qui verbo tenus concedentes quamdam apostolicitatem originis et doctrinae, non agnoverunt formalem successionem, cui extraordinariam missionem substitui posse dixerunt [6]. MODERNISTAE *originem* apostolicam concedunt, imo exaggerant [7], sed apostolicam *successionem* negant praesens Ecclesiae regimen ex collectiva conscientia iuxta temporum circumstantias post Apo-

---

[4] C. MAZZELLA n. 721 sqq.

[5] Testimonia infra dabimus.

[6] C. MAZZELLA n. 727.

[7] Nam Apostolis et maxime Paulo tribuunt Ecclesiae constitutionem. *Il Programma* p. 69, 76.

stolos determinatam blaterantes [8]. **Veritas** proponitur in SYMBOLIS quae *apostolicitatem* Ecclesiae profitentur [9], hanc vero esse *originis* et *successionis* ex Patribus apparet.

THES. 33. *Vera Ecclesia Christi est apostolica — 1 origine, et — 2 successione seu auctoritate; — 3 haec autem apostolicitas est Ecclesiae nota.*

260. **Prima pars.** *Christi Ecclesia est apostolica origine.* **Ex Scripturis.** Nam Christus mittens Apostolos in mundum universum, ut Evangelium praedicarent omni creaturae, eis promisit indefectibilem et efficacem suam praesentiam usque in finem mundi: atqui haec Christi praesentia denotat essentialem et perennem apostolicitatem originis verae Ecclesiae: ergo. MAIOR patet ex testimonio saepe invocato: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* [10]; etenim Christi praesentia ex natura rei et ex usu scripturali importat indefectibilitatem. *Ex natura rei,* nam, ut patet ex part. *et,* Christus suam praesentiam ideo promittit ut onus per se excedens humanas vires [11] fieret possibile: Christi ergo praesentia non passiva intelligenda est sed actuosa, qua Apostolos ita adiuvat ut eorum missionis exitus sibi imputetur: atqui Christo nonnisi felix et infallibilis exitus potest imputari: ergo Christi praesentia importat perennitatem, immutabilitatem, et infallibilitatem apostolicae missionis. *Ex usu Scripturae,* hae enim divinae praesentiae tribuunt certam et efficacem protectionem [12]. MINOR probatur. Nam Christus dicit se futurum *cum Apostolis* docentibus et baptizantibus (ideoque Ecclesiam administrantibus) *usque ad consummationem saeculi:* ergo perpetuo manet in Ecclesia, quam commendavit Apostolis, quod profecto non esset, si Ecclesia ab apostolica origine deficeret.- CONFIRMATUR. Nam Christus suam ecclesiam perpetuo dimicaturam contra

---

[8] Apud PIUM X Enc. *Pascendi;* LOISY *Autour* etc. p. 180 sqq.; *Il Program.* l. c.

[9] « Credo... unam sanctam catholicam et *apostolicam* Ecclesiam ». SYMB. CP.

[10] Matth. **28.** 19-20.

[11] Nam pauperes piscatores, sine intellectu, sine protectione, sine armis mundum docere non poterant, nec religionem immutabilem usque ad finem mundi propagare.

[12] Gen. **21.** 22; **26.** 3; **31.** 3; **39.** 2; Exod. **3.** 12; Jud. **6.** 12; 1 Reg. **10.** 7; Psal. **22.** 4; Isai. **43.** 3; Jer. **1.** 19; etc.

portas inferi aedificavit supra *Petrum* [13]: atqui manente domo manet fundamentum: ergo vera Ecclesia in Petro ac proinde in apostolis radicatur. Et ideo JUDAS de falsis prophetis seu haereticis dicit quod *segregant seipsos* [14]; vere enim segregatur, qui a societate, quae praecesserat et manet, sejungitur. — **Patres** Ecclesiae apostolicitatem *a*) deduxerunt EX NOMINE. Sicut enim inclytae familiae nomen sine additamento et sine contestatione servatum est argumentum genuinitatis originis et successionis sobolis; ita nomen immutatum *Ecclesiae catholicae* est argumentum antiquitatis, et apostolicitatis suae originis, siquidem re substantialiter mutata, nomen quoque mutari oportet. Hinc CLEM. Alex., infidelibus quaerentibus quae sit vera Ecclesia, respondet: illa sola quae novum nomen non accepit sed *catholicam* audit, sicut ab exordio est vocata: « Et essentia et opinione et principio et excellentia, *solam* esse dicimus *antiquam et Catholicam* Ecclesiam... Ex haeresibus autem aliae quidem appellantur *ex nomine* (auctoris), ut quae appellatae sunt a Valentino et Marcione et Basilide; aliae autem *ex loco* ut Peratici; aliae autem *ex gente* ut Phrygum haeresis; aliae autem *ex propriis dogmatibus*, ut Docetarum et Haematitarum; aliae autem *ex positionibus et iis quae ipsae honorarunt*, ut qui appellantur Cainistae et Ophiani; aliae *ex iis quae nefarie ausae sunt et perpetrarunt*, ut qui ex Simonianis vocantur Entychitae » [15]. *b*) Idem evincunt ex TEMPORE, LOCO, et AUCTORE SECTARUM. Sane rivuli, qui de regio flumine exeunt originem illo proximiorem habent, quam detegit, qui contrario cursu flumen ascendit; ergo Ecclesia quae auctorem, locum et originis tempus nacta est post aevum apostolicum apostolica non est, illa vero quae in historiae decursu novam originem non prodit, merito apostolica reputatur. Profecto *novae Ecclesiae* fundatio, non est res secundi ordinis quae silentio premi possit vel oblivione conteri: sicut regnorum successio perturbationibus et bellis paratur, ita mutatio religionis non fit sine contentione et

---

[13] *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* ET *portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Matth. **16.** 18; Eph. **2.** 20.

[14] *Hi sunt qui segregant seipsos.* Iud. 19.

[15] CLEM. ALEX. *strom.* VII c. 17; JUST. M. *Dial. contra Tryph.* n. 35; CHRYS. *in Act.* hom. 33; AUG. *Cont. Julian.* I n. 6; n. 75; III n. 91.

pugna saltem incruenta : horum autem documenta scriptis et monumentis in historiae jura transeunt. Hinc TERTUL. haereticos interpellat : « *Qui estis, quomodo, et unde venistis?* Quid in meo agitis non mei? Quo denique, *Marcion,* iure sylvam meam caedis? Qua licentia, *Valentine,* fontes meos transvertis? Qua potestate *Apelles,* limites meos commoves? Quid hic ceteri ad voluntatem vestram seminatis et pascitis? Mea est possessio, *olim* possideo, *prior* possideo, habeo origines firmas *ab ipsis auctoribus* quorum fuit res. Ego sum haeres Apostolorum » [16]. Simili ratione ALEX. *Alexan.* impugnabat haeresim Arianam quia a 15 personis, quos enumerat, *noviter propositam* [17], et COELES. papa signabat Nestorio diem a quo, nisi perfidam *novitatem* condemnasset, a communione Ecclesiae separatus fuisset [18].

261. **Secunda pars.** *Ecclesia etiam successione apostolica sit oportet.* **Ex Scripturis.** Nam tum *auctoritatem,* tum *missionem* Christus contulit Apostolis exercendam usque ad finem mundi : atqui post mortem exercere non possunt nisi per successores : ergo auctoritas et missio apostolica transit in eorum successores. Revera si AUCTORITATEM attendis habes quod Christus tradidit Petro potestatem qua fieret *fundamentum* Ecclesiae et radix suae *firmitatis* [19] et *infallibilitatis* [20], apostolis vero suam perennem assistentiam promisit in munere *praedicandi et baptizandi* [21] : atqui fundamentum Ecclesiae eius firmitatem et infallibilitatem semper comitatur, perennis vero assistentia in exercitio potestatis supponit permanentiam ipsius auctoritatis : ergo. Si MISSIONEM consideras habes Christum plenitudinem suae potestatis dedisse Apostolis ut opus, quod *sibi a Patre erat commissum,* perficerent [22], ut Evangelium praedicarent *in mundum universum,* ut sacramenta administrarent *omnibus gentibus* [23] : atqui opus redemptionis mundi Christo commissum [24] Apostoli per se complere non poterant, sicut

---

[16] TERTUL. *De Praescr.* c. 36. Cf. etiam c. 40 ubi *Marcionem* et *Valentinum* non agnoscit, quia *Antonini fere principatu sub episcopatu Eleutherii* ejecti sunt.

[17] ALEX. Alex. *Epist.* relata in Act. conc. Nicaeni.

[18] COELEST. *Epist. ad Nestorium.*

[19] Matth. **16.** 18-9.

[20] Luc. **22.** 32 col. 1 Tim. **3.** 15.

[21] Matth. **28.** 19-20.

[22] *Sicut tu me misisti in mundum et ego misi eos in mundum.* Joan. **17.** 18. *Sicut misit me Pater et ego mitto vos.* Joan. **20.** 21.

[23] Matth. **28.** 12-20; Marc. **16.** 15-6.

[24] Christus missus est pro salute totius mundi. Joan. **3.** 17; 1 Tim. **2.** 5.

nec personaliter praedicare ubique et baptizare omnes gentes : ergo *missio* Apostolis data non erat personalis sed *realis*, transitura in successores, quemadmodum Apostolus explicat Tito praecipiens ut potestatem quam acceperat gubernandi Ecclesiam aliis communicaret [25]. **Confirmatur** *ex natura rei*. Nam cum officium vel potestas non sit in bonum subjecti, cui insidet, sed societatis, nisi princeps eligendo personam ad aliquod officium, contrarium expresse dicat, ex natura rei intelligitur officium manere et potestatem transire in legitimos successores : atqui *missio apostolica* erat officium sociale, nec regni coelorum fundator contra perennitatem talis officii quidquam dixit : ergo. Accedit quod Ecclesia non est regnum terrenum ex sese possidens media socialia et formam societatis, sed supernaturale quod *ex fundatore* accipere debet media et formam, quae proinde sine novo interventu fundatoris seu nova fundatione mutari nequeunt : atqui nova fundatio Ecclesiae repugnat *origini* apostolicae : ergo forma socialis a Christo primitus statuta permanere debet et apostolica auctoritas in successores descendere [26]. — Hinc **Patres** de apostolica fundatione non contenti, in vera Ecclesia quaerunt continuatam *successionem* episcoporum, in quibus *apostolici seminis traduces* pervenerint, quique Apostolos *antecessores* habeant. « Edant ergo, inquit TERTUL. loquens de haereticis, originem ecclesiarum suarum : evolvant ordinem episcoporum suorum... sicut (Ecclesia) Romanorum, Clementem a Petro ordinatum edit... et ceterae exhibent quos ab Apostolis in episcopatum constitutos *apostolici seminis traduces habeant* » [27]. Et IREN. : « Habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt episcopi, et *successores eorum* usque ad nos » [28].

262. **Tertia pars.** *Apostolicitas est vera nota Ecclesiae Christi*. Nam apostolicitas importat continuatam durationem illius ministerii apostolici, quo in exordio Ecclesia est fundata et gubernata : atqui apostolicum ministerium erat profecto visibile et primitivae Ecclesiae proprius character, siquidem Apostolos et non alios voluit Christus praeordinatos testes suae resurrectionis [29], eosque misit ad praedicandum et ad dispensanda mysteria Dei [30] :

---

[25] *Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas et constituas per civitates presbyteros,* SICUT *et ego disposui tibi.* Tit. **1.** 5.

[26] BILLOT *th.* 9 p. 264.

[27] TERTUL. *De Praesc.* c. 31.

[28] IREN. *Adv. Haer.* III c. 2.

[29] Act. **10.** 41.

[30] Cf. supra n. 260 ; 1 Corinth. **4.** 1.

ergo apostolicitas est signum visibile et proprium verae Ecclesiae, ideoque eius nota. Hinc, ut vidimus, Patres ex apostolicitate originis et successionis distinguunt veram Ecclesiam a sectis quae Ecclesia Christi non sunt, quia *nomine, antiquitate* et *auctoritate* non sunt apostolicae.

THES. 34. *Ecclesia Romana — 1 origine et — 2 successione est apostolica: — 3 sectae vero separatae apostolicae non sunt.*

263. **Prima pars.** *Ecclesia Romana origine est apostolica.* **Argum. 1** *ex nomine.* Nam « nomen *Catholicae* inditum fuisse societati christianae, quando primitus nata est (quaeque proinde apostolico ministerio est fundata) multiplici apparet argumento. Apparet ex ipso *Symbolo* Apostolico...; apparet ex usu vetustissimorum Patrum, Latinorum pariter et Graecorum incipiendo ab *Ignat. M...* et *Polyc... Clem.* Alex..., *Cyril.* Hier. diserte asserentium hoc nomen *esse proprium* huius sanctae (Ecclesiae) matris omnium nostrum, ita ut quicumque fidelis in civitatibus peregrinatus fuerit, quaerere debeat non ubi sit *Dominicum...* sed ubi sit *Catholica Ecclesia* »[31]. Atqui nomen *Ecclesiae catholicae* proprium est Ecclesiae Romanae. Ergo. **Argum. 2** *ex defectu alterius originis.* Nam, ut diximus, repugnat separationis a primitiva Ecclesia nullum extare documentum, quod saltem aliqua probabilitate illiusmet signet *tempus* quo contigit, *locum* quo coepit, *personam* qua novam formam induit: atqui separationis Ecclesiae Romanae ab apostolica neque locum, neque tempus, neque auctorem quis indicare valet: ergo. **Argum. 3** *ex historia.* Nam apostolicitatem Ecclesiae Romanae **saec. II** docuit IREN. dicens quod ad illam « propter *potiorem principalitatem* necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles »[32], et TERTUL. qui, de apostolicitate Ecclesiae agens, exclamat: « Si Italiae adjaces, habes Romam unde nobis quoque auctoritas praesto est »[33]. **Saec. III** CYPR. testabatur quod Christus « ut unitatem

---

[31] BILLOT *th.* 8 p. 254 sqq. ubi citat IGNAT. M. epist. *ad Smyr.* c. 8; *Epist.* ECCL. SMYR. *de Marty.* S. Polycarpi; CLEM. Alex. *Strom.* VII c. 17; CYRIL. Hier. *Catech.* 18 n. 26; ATHAN. *Hist. Arian.;* PACIAN. *de nomine catholico.*

[32] IREN. *Cont. Haer.* III c. 3 Ecclesiam Romanam *potiorem* vocat *principalitate* quia principis Apostolorum sedes.

[33] TERTUL. *De praesc.* n. 35. *NB.* Attendas quomodo non solum apostolicitatem Ecclesiae Romanae praedicet, sed aliarum omnium quae, illi adhaerendo, apostolicam doctrinam et auctoritatem mutuantur.

(totius Ecclesiae) manifestaret, unitatis eiusdem *originem ab uno incipientem* sua auctoritate disposuit »[34]; voluit scil. ut Ecclesiae unitas constaret ex apostolica origine unius Sedis Romanae, quam alias vocat « radicem et matricem Ecclesiae catholicae », « unde unitas sacerdotalis exorta est »[35]. **Saec. IV** OPTAT. testabatur in Cathedra Romana *servari unitatem,* quia *ceteri Apostoli* fundando suas Ecclesias non sibi aedificarunt, nec contra *singularem cathedram* aliam erexerunt[36]. AMBR. scribebat: « Ubi est Petrus (h. e. R. P. Petri successor) ibi est Ecclesia »[37]; et HIER.: « In illa Ecclesia (Romana) permanendum (est), quae ab *Apostolis fundata usque ad diem hanc durat* »[38]. **Saec. V** AUG. ait: « In *catholica* Ecclesia... tenet ab ipsa sede Petri Apostoli... usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum »[39]. **Saec. VII** MAXIM. M. dicit: « Non fas est illum ex quacumque laude cognominari, qui olim damnatus, est abjectus *ab Apostolica* Sede Romanae urbis »[40]. **Saec. IX** habemus testimonium CONC. CP. IV *in* quo Patres clamarunt: « Quisquis... injurias contra *Sedem Petri* Apostolorum principis moveat, aequalem et eamdem quam ille (Photius) condemnationem recipiat », atque communi voce professi sunt se nolle separari a fide et doctrina *Apostolicae Sedis*[41]. **Saec. XI** haec doctrina confirmatur in causa Michaëlis Caerularii a LEONE IX[42]. **Saec. XII** PETRUS abb. Cellensis scribebat: « Est auro locus *in quo conflatur,* et habet argentum *venarum suarum principia* (h. e. unde omnis Ecclesiae legitimitas procedit), *sedem Petri* et curiam romanam ». « Si extra communis monetae formam vis fabricare aliam, quam *non adprobavit sedes Petri*... pedem sisto et terminos constitutos non transgredior »[43]. **Saec. XIII** incipiunt Scolastici quorum sententia notissima est.

264. **Secunda pars.** *Ecclesia Romana etiam successione est apostolica.* Probatur ex *natura rei,* ex *Patribus* et ex *historia.* **Ex**

---

[34] CYPR. *De Unit. Eccl.* n. 4.

[35] CYPR. *Epist.* 55 *ad Cornel.*

[36] OPTAT. *De Schis. Donat.* I c. 2.

[37] AMBR. *De Sacr.* III c. 7.

[38] HIER. *Adv. Lucif.* coll. interrog. *Theophili* Alex. cui respondet; *epist.* 63 n. 2.

[39] AUG. *Cont. ep. fundam.* IV n. 5.

[40] MAXIM. M. apud MIGNE *Patr. Grec.* t. 91 p. 144.

[41] BARON. an. 869 n. 19.

[42] LEO IX *epist. ad Mich. Caerul.* apud BARON. a. 1054 n. 12.

[43] PETR. CELL. *Epist.* VI ep. 23; IX ep. 10. Cf. SCHRADER *De Unit. Rom. Pont.* p. 1 n. 109 sqq.; C. MAZZELLA *De Eccl.* n. 736; BILLOT *l. c.* p. 256-266.

natura rei. Nam, ut vidimus, Christus voluit Apostolorum auctoritatem transire in successores, apostolicitatem proinde originis et successionis faciens inseparabiles : atqui Ecclesia Romana est sola apostolica origine : ergo talis est etiam successione. — **Patres** apostolicitatem Sedis Romanae eo sensu defendunt, quod in ea maneant *apostolici seminis traduces* et quod successione continuatur ordinatio, qua a Petro *Clemens* est constitutus [44] : atqui haec non solius originis sed et successionis apostolicitatem produnt : ergo. Hinc IREN. ad probandam apostolicitatem Ecclesiae catalogum retexit eorum, *qui ab apostolis instituti sunt episcopi et* SUCCESSORES *eorum usque ad nos* [45]. — **Historia Ecclesiastica** testatur Petrum Romam venisse, ibique constituta sua sede, sub Nerone martyrio vitae cursum consummasse, eoque defuncto legitime electum esse Linum, cui successit Cletus, huic vero Clemens et ita porro usque ad gloriosum Pium X, qui nunc gubernacula tenet Ecclesiae [46].

265. **Tertia pars.** *Sectae separatae non sunt apostolicae.* Argumenta data in prima et altera parte, hanc quoque evincunt. **Argum. 1** *ex nomine.* Nam nulla e sectis vocatur *catholica* vel *apostolica* sed a prima ad ultimam alio nomine designatur, unde sectis post saec. V exortis verba CLEM. Alex. († 415) adaptantes, dicere possumus alias esse appellatas ex nomine *auctoris,* ut Lutherani, Calvinistae, Arminiani, Puseystae; alias *ex gente,* ut Graeci et Anglicani; alias *ex operatione* ut Quakeri et Methodistae; alias *ex propriis dogmatibus* ut Sacramentarii et Anabaptistae, Universalistae, etc. **Argum. 2.** *ex auctore et originis tempore.* Nam unjuscujusque sectae agnoscitur auctor, qui initio cum Ecclesia Romana sentiebat, et RR. PP. favorem invocare non dubitavit [47], dein superbia vel luxuria ab antiquo arbore praecisus particularem congregationem instituit cujus fasti notissimi sunt. NON EST APUD SECTAS SUCCESSIO APOSTOLICA. Cum enim omnes Apostoli aedificaverint Petro, qui Ecclesiae est fundamentum, et *una* tantum sit vera Ecclesia, ecclesiae particulares, quae a Romana separantur,

---

[44] Recole testimonia n. 261.

[45] IREN. *Cont. haer.* III c. 2.

[46] Elencum Rom. Pont. dabimus in appendice.

[47] Sic *Pelagius* cum Celso, *Sergius* cum Honorio, *Photius* cum Nicolao, *Lutherus* cum Leone X, *Henricus VIII* cum Leone X et Clemente VII.

auctoritatem et missionem apostolicam a Christo derivatam statim amittunt, non secus ac deficit radius a sole avulsus et arescit rivus a fonte praeclusus ac moritur ramus a trunco praecisus. Ceterum praeter Romanam quatuor sunt ecclesiae quae apostolicam originem expostulant, scil. *Antiochena, Alexandrina, Jerosolimitana* et *Constantinopolitana:* sed primae tres episcoporum successionem abruperunt saec. VIII cum Persae et Saraceni ea loca Romanis adimentes episcopales sedes everterunt; Constantinopolitanam vero fundatam esse ab apostolo Andrea, dixit quidem Nicephorus sed non probavit, dum acta concilii Cp. I innuunt recentioris esse originis [48].

266. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Si nomen novum *apostolicitatem* excludit, neque ecclesia Romana est apostolica, quia eius asseclae olim *Athanasiani, Traduciani,* etc. sunt vocati, nunc autem *Romanos* et *Papistas audiunt* [49]. **Resp.** Alia nomina a *catholica* vel *apostolica* injuria imposita sunt Ecclesiae Romanae a quibusdam haereticis et limitato tempore *conc.,* sunt communiter ei data et ab ipsa recepta, *subd.:* tamquam nomina exclusiva vel contradistincta a nomine *Ecclesiae catholicae neg.,* tamquam resumptiva illius *conc.* vel *trans.* Est incomparabilis differentia inter nomina imposita Ecclesiae Romanae et illa quibus haereses insigniuntur: his enim nova nomina competunt *necessario* ut possint agnosci, unde *universaliter* de ipsis praedicantur sine injuriae specie; cum e contra catholici *Athanasiani* vocabantur ab arianis et *Traduciani* a pelagianis et nunc *Papistae* dicuntur a protestantibus, nomen novum per modum injuriae infertur et a *quibusdam* tantum imponitur [50]. Quod si absque injuria dicuntur *Romani,* est quia hoc nomen perantiquum est et cum nota apostolicitatis coincidit, utpote derivatum a Sede Apostoli Petri [51].

267. **Obiic. 2.** Quod est spirituale videri non potest, nec uti verae Ecclesiae nota haberi: atqui potestates ordinis et jurisdictionis, quae missionem apostolicam integrant, sunt spirituales. Ergo. **Resp.** Quod est spirituale videri non potest per se *conc.,* per accidens *neg.* Sicut sanctitas passiva formaliter est spiritualis et tamen externis operationibus percipitur, ita potestas ordinis videtur sacramento, quo confertur, et potestas jurisdictionis legitima electione vel missione.

---

[48] BELLAR. *De Ecclesia* IV c. 8.

[49] PROTESTANTES apud *Bell.* l. c. c. 4.

[50] AUG. *C. Julian.* I n. 75; III n. 91.

[51] Adde hoc nomen non esse necessarium ad catholicorum distinctionem.

268. **Obiic. 3.** *Sacra ordinatio* potest frustrari defectu intentionis ordinantis vel ordinati, *electio* simonia et violentia electi, *missio* hypocrisi mittentis et haeresi missi: ergo de apostolica successione ne indirecte quidem et per accidens certitudo haberi potest. **Resp.** Ordinatio, electio et missio *physice* frustrari possunt *conc.*, etiam *moraliter* et attenta divina providentia, *neg.* vel *subd.*: in quibusdam episcopis ecclesiarum particularium *conc.*, in universa Ecclesia, ita ut de apostolicitate eius ambigi possit *neg.* In difficultate nihil penditur Christi praesentia, qua promisit se futurum cum Apostolis *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Profecto multa sunt, quae *physice* contingere possunt et tamen attenta scientia Dei eiusque providentia simpliciter repugnant. Nonne physice solis naturae viribus potest homo observare totam legem naturalem, et tamen absque gratia fieri nequit? Nonne physice potest homo non operari quod prophetia est praedictum, et tamen repugnat prophetiam non impleri? Similiter ergo attento ordine physico possunt omnes Dei ministri apparenter tantum ordinari vel mitti, sed quia hoc contradicit promissionibus Christi divinaeque salvificae voluntati, de facto repugnare dicendum est. Damus non repugnare quod ex defectu materiae, formae vel intentionis unus vel alter episcopus Ecclesiae romanae esse possit non ordinatus, aut simoniaca electione vel haeresi carere jurisdictione; sed *attenta divina providentia* omnino repugnat omnes episcopos romanae Ecclesiae non esse ordinatos vel esse sine iurisdictione, vel electum R. P. non esse successorem S. Petri in Primatu [52].

CAPUT II.

De Ecclesiae natura et proprietatibus.

ARTIC. 1 - DE SPIRITUALITATE ECCLESIAE.

269. **De quibus agendum.** Societatis *natura* sub duplici respectu potest considerari, scil. secundum sua *constitutiva* prout constat membris tamquam causa materiali et auctoritate tamquam causa formali, et dein in *specifica ratione* qua ab aliis societatibus

[52] Quaeri posset num in particulari quadam Ecclesia deficere possit ordinatio, et respondemus quod saltem diuturno tempore Deus non permittet.

distinguitur : hoc altero sensu in praesenti quaestio proponitur, et quia societatis species desumitur ex fine [1], qui in Ecclesia est spiritualis, naturam Ecclesiae cum eius spiritualitate convertimus. Quod ad proprietates attinet, de his tantum agimus quae proxime Ecclesiae spiritualitatem sequuntur, unde caput dispescimus in quatuor articulos : — 1 *De spiritualitate Ecclesiae* — 2 *De eius necessitate et indefectibilitate* — 3 *De sociali perfectione Ecclesiae* — 4 *Deque eius superioritate.*

270. **Spiritualitatis notio expolitur.** Nomen *spiritus* non sumimus sensu profano de re immateriali, sed sacro prout in Scripturis et maxime apud Apostolum intelligitur « anima vel potius superior hominis pars (*mens*), quatenus gratia sanctificante instructa et cum Spiritu S. unita principium supernaturalium actionum constituit, ita ut omnes virtutes sint [2] *fructus spiritus* » [3]. Spiritualis igitur est Ecclesia quia instituta ut homines ad *finem ultimum* supernaturalem (aeternam beatitudinem) perducat, habet supernaturalem *finem proximum* (sanctificationem animarum) et supernaturalia *media* (revelationem et sacramenta) sicut supernaturalia *membra,* quae scil. gratia vel fide perfecte vel inchoative sunt filii Dei. Sicut autem spiritualitate Ecclesia in propria specie constituitur, eâdem ab aliis societatibus distinguitur : a *societate* quidem *civili,* quia haec licet ultimo sit coordinanda ad Deum qui est principium et finis [4] omnium, ac proinde etiam societatis civilis [5], tamen directe et per se, temporalem prosperitatem naturalibus mediis curare debet : ab aliis societatibus religiosis, quia si haec sunt independentes ab Ecclesia ad ultimum finem non perducunt [6], et si dependent (ut religiosae congregationes) non habent ex sese media sufficientia ad finem, sed, fructus supernaturalis vitae Ecclesiae, eam adiuvant in consecutione sui finis.

271. **Ecclesia habet jus possidendi bona temporalia.** Nam argumenta, quae *ex jure naturae* desumuntur ad demonstrandam utilitatem imo legitimitatem et necessitatem privati dominii [7], facili negotio applicantur societati religiosae, quae, non minus quam civilis, dona-

---

[1] TARQUINI *Ius. Eccl. Publ.* n. 7.
[2] Gal. 5. 22 sqq.
[3] CORNELY in 1 *Corinth.* p. 70.
[4] Apoc. 1. 8.
[5] Cf. supra n. 37.
[6] Infra *necessitatem* Ecclesiae vindicabimus.
[7] MEYER *Inst. jur. natur.* p. 2 n. 163 sqq.; LEO XIII Enc. *Rerum novarum.*

tione, haereditate et operibus socialibus acquirere potest bona temporalia, profecto rependenda iis qui ministrant coelestia [8]. Adde *Ecclesiae finem:* ut enim Ecclesia possit hominem perducere ad consecutionem aeternae felicitatis, *a*) eget ministris a terrenis curis expeditis, pluribus enim intentis minus ad singula sensus; eget *b*) externo splendore cultus, quo homo sensibilibus subiectus ad altissima spiritus manuducatur; atque *c*) debet pauperum necessitatibus subvenire, siquidem elargitionibus plebs allicitur et divitibus praebentur exempla virtutum. Sicut ergo « Dominus, cui ministrabant angeli, ad informandam Ecclesiam suam loculos habuisse legitur, et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, aliisque indigentiis tribuens » [9]; ita Ecclesia bona temporalia habere debet. Hinc Pius IX Ecclesiae jus acquirendi ac possidendi vocavit *nativum et legitimum* [10], et RR. PP. oppositam sententiam saepe proscripserunt [11], canonicis poenis mulctando eos, qui ecclesiastica bona usurpant [12].

272. **De dominio temporali R. P.** Si Ecclesia bona temporalia mobilia et immobilia potest possidere, profecto etiam R. P. Ecclesiae princeps habere potest territorium, in quo jura civilis principatus exerceat. LEGITIMITAS principatus R. P. constat ex legitimitate *originis*, de qua agunt historici [13], et ex plurium saeculorum *praescriptione*, quae per se civilem possessionem inducere valet; NECESSITAS vero et consequens inamissibilitas [14] provenit ex connectione cum libero exercitio primatus; unde *plurimi* episcopi, qui Romae convenerant pro canonizatione MM. Japonensium rescripserunt R. P.: « Civilem sanctae sedis principatum ceu quiddam necessarium ac providente Deo manifeste institutum agnoscimus, nec declarare dubitamus, in praesenti rerum humanarum statu ipsum *hunc principatum civilem pro bono ac libero Ecclesiae animarumve regimine* OMNINO REQUIRI. Oportebat sane totius Ecclesiae Caput, R. P. nulli principi esse subiectum, imo nullius hospitem; sed in proprio dominio ac regno sedentem suimet juris esse,

---

[8] *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* 1 Corinth. **9**. 11.

[9] BEDA Lib. IV c. 54 *in Luc.* **12**; Joan. **12**. 6; Act. **2**. 44-5; **4**. 34-5; 1 Corinth. **9**. 9-14; 1 Tim. **5**. 17-8.

[10] PIUS IX Alloc. *Numquam fore* 15 Dec. 1856; Enc. *Incredibili afflictamur* 17 Sept. 1863.

[11] WICLEF. prop. 10, 16, 18, 32, 33, 36, 39, 44; SYLL. prop. 26, 37.

[12] CONC. TRID. Sess. 22 *De Refor.* cp. 11; Const. APOST. SEDIS § 1 n. 10, 11; § 3 n. 3. Cf. GIBIER *obb. c. la Chiesa* ser. 1 conf. 44.

[13] Cf. JUNGHMANN Diss. XIV per omnia; HENGENRÖTHER *Vol.* 3 I cp. 8 § 7 p. 101 sqq.

[14] Plane non quoad determinatam extensionem territorii, sed quoad substantiam ipsius principatus.

et immobili, tranquilla et alma libertate catholicam fidem tueri ac propugnare, totamque regere ac gubernare christianam Rempublicam » [15].

273. **Errores — Veritas.** Contra Ecclesiae spiritualitatem *defectu* erraverunt NOVATORES finem ultimum autumantes consequi per Christum sine ordine ad Ecclesiam [16]: *excessu* FRATICELLI Ecclesiae potestatem subtrahentes ab his qui bona temporalia possident [17], necnon MODERNISTAE qui ex spiritualitate Ecclesiae deducunt « externum apparatum omnem esse tollendum, quo illa ad intuentium oculos magnificentius ornatur » [18]. **Veritas** continetur in praedictis de Ecclesiae unitate et sanctitate, atque in CONC. VATIC. docente Deum « ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, *Sanctam* aedificare Ecclesiam decrevisse » [19].

THES. 35. *Attento fine — 1 Ecclesia societas est vere spiritualis: — 2 huic tamen spiritualitati temporalia media non obstant.*

274. **Prima pars.** *Ecclesia est societas spiritualis.* Nam « *a*) *nomina* regni Dei, regni coelorum, regni quod non est de hoc mundo, *b*) *beatitudines* in Evangelio annuntiatae, tum *c*) repetitae *promissiones* remissionis peccatorum et vitae aeternae in visione Dei, *d*) *scopus* incarnationi praefixus ac per Ecclesiam et in Ecclesia attingendus [20], unoque demum verbo omnes omnino N. T. auctoritates [21], ita protestantur, ut ne apparens quidem ratio relinquatur in contrarium » [22]. Ergo Ecclesia « quamvis ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas, tamen propter

---

[15] ACT. CONCIST. 9 Jul. 1862. Cf. PIUM IX Alloc. *Quibus quantisque* 20 Apr. 1849; *Cum Catholica* 20 Mart. 1860; SYLL. *prop.* 75. 76; LEON. XIII Alloc. *Post excitatos* 24 Martii 1884; Alloc. 30 *Dec.* 1890, etc.; PALMIERI p. 386-91, qui dominium civile R. P. habet uti *factum dogmaticum* ab infallibili magisterio propositum; BILLOT *Vol.* 3 p. 30. DE ANGELIS *Praelect. juris. can.* III t. V. n. 1-15 qui diffuse hanc et praecedentem evolvit quaestionem.

[16] Nam docent homines sola fide iustificari. Vol. 3 n. 429.

[17] Apud DENZINGER n. 412-3.

[18] Apud PIUM X Enc. *Pascendi.*

[19] CONC. VATIC. *Pastor Aeter.* Proem.

[20] Scil. Christus missus est ut *salvetur mundus per ipsum* (Joan. **3.** 17); sicut autem ipse a Patre missus fuerat, ita misit Apostolus suos (Joan. **20.** 21) — Adde etiam *media* Ecclesiae tradita, quae sunt sacramenta, sacrificium, etc.

[21] Eph. **4.** 11 auctoritas Ecclesiae exhibetur ut ordinata *ad consummationem sanctorum;* et **5.** 25-7 Ecclesia enuntiatur Christi sponsa sancta et immaculata.

[22] BILLOT I th. 4 188 sqq.

finem sibi constitutum, atque *instrumenta* quibus ad finem contendit, supernaturalis est ac spiritualis » [23].

275. **Secunda pars.** *Spiritualitate Ecclesiae media corporalia non obstant.* Nam species societatis non sumitur ex complexu omnium quae quomodocumque ipsi conveniunt, sed ex nobiliori eius parte et ex propriis : supernaturalitas ergo importat quidem media *propria* Ecclesiae esse supernaturalia, sed non excludit corporalia omnibus societatibus hominum communia, qualia sunt visibile regimen, sanctiones corporales, operationes externae, etc. Accedit quod *supernaturalitas* petitur ex fine; quanto autem « finis est altior et a sensu remotior, tanto minus sufficiens est homo privatus sibi soli relictus ad eum capessendum; sicut videmus quod puero magis necessaria est exterior disciplina ad scientiam et virtutem, quam ad ea, quae sunt vitae materialis. Et in hoc est perpetuus adversariorum sophisma, quod non vident aut videre nolunt, media ad finem esse determinanda non *ex sola conditione finis* secundum se, sed etiam et maxime *ex conditione eorum, qui ad finem tendere debent.* Ergo nisi sit exterior directio et socialis potestas, a qua haec directio procedat, multo magis impossibile est obtentio finis in regno coelorum, quam in quavis alia societate » [24].

ARTIC. 2 - DE ECCLESIAE NECESSITATE ET INDEFECTIBILITATE.

276. **Quaestionis sensus.** *Necessitatem* Ecclesiae non aliam intelligimus quam in tractatu *De Religione* exposuimus, scil. ethicam seu moralem, prout ipso creationis titulo homo tenetur veram religionem profiteri sub poena amissionis ultimi finis si non faciat [1]. Haec *necessitas* est *medii,* siquidem in Ecclesia tantum et per ipsam solam prosunt sacramenta et acquiritur gratia; quia tamen agitur de medio extrinseco et positivo, ingressus in Ecclesiam esse potest in *voto,* ut patet de haereticis bonae fidei [2]. — *Indefectibilitas* idem est quod *perennitas,* eique non solum opponitur corruptio per desitionem in nihilum, sed etiam substantialis trasformatio in melius, qua scil. nova oeconomia salutis inducatur : an vero et quomodo in accidentalibus Ecclesia progredi possit, dicemus in tractatu *De Fontibus Revelationis.* Porro indefectibilitatem Ecclesiae militantis non proponi de aeternitate sed de

---

[23] LEO XIII Enc. *Immor. Dei.*

[24] BILLOT II th. 20 p. 130.

[1] Supra n. 34.

[2] Haeretici bonae fidei pertinent ad animam Ecclesiae, dici tamen potest quod *voto* sunt etiam corporis eius. BILLOT *th.* 11 p. 302.

duratione mundi manifestum est; in futura enim vita sancti sub uno principe Christo coadunantur.

277. **Errores — Veritas.** Ecclesiae *necessitatem* impugnant INDIFFERENTISTAE sive absoluti sive relativi de quibus diximus in superioribus [3]: *indefectibilitatem* praeter RATIONALISTAS, qui non secus a ceteris humanis institutionibus Ecclesiam habent corruptioni subjectam [4], impugnarunt MONTANISTAE, MANICHAEI, JOACHIMITAE, SCHWEDENBORGIANI, IRWINGIANI, triplicem oeconomiam *Patris, Filii et Spiritus S.* distinguentes, quarum prima fuit in V. T. altera est in N., tertia futura est ante finem mundi [5]. Accedunt MODERNISTAE evolutionem Ecclesiae perpetuo praedicantes [6] et ad inducendam novam religionis formam modernis adspirationibus magis consonam totis viribus laborantes [7]. **Veritas.** Ecclesiae *necessitas* definita est in CONC. LAT. IV: « Una est universalis Ecclesia extra quam nullus omnino salvatur » [8]: *indefectibilitas* effertur a CONC. VAT. cum docet pastorem aeternum decrevisse aedificare ecclesiam « ut salutiferum opus *perenne* redderet » [9]; necnon in SYMBOLO: « credo unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam »; cum enim definitiones Ecclesiae sint immutabiles, semper erit Ecclesia catholica [10].

THES. 36. *Ecclesia est societas — 1 necessaria et — 2 indefectibilis.*

278. **Prima pars.** *Ecclesia est societas necessaria.* Sequitur ex praedictis. Nam probavimus hominem teneri ad professionem verae religionis [11]: atqui vera religio est sola Ecclesia [12]: ergo. Hinc Christus in **Scripturis** damnationem comminatur iis qui Ecclesiam non ingrediuntur: *Quicumque,* ait, *non receperint vos,*

---

[3] Cf. supra n. 35 et 45.

[4] VOLTAIRE, D. STRAUSS, E. HARTMANN apud *Groot* p. 270.

[5] GROOT p. 278-9; TANQUEREY *De Eccl.* n. 106. Addi possunt ADVENTISTAE qui novum Christi adventum expectant.

[6] Apud PIUM X Enc. *Pascendi;* SABATIER *A propos de la separation* 1905; ANONYM. *Lettere confidenziali* apud *Civiltà Catt.* 1906 q. 1335. In *Il Programma* p. 90 ajunt: « Tutto è cambiato nella storia del cristianesimo, pensiero, gerarchia, culto ».

[7] Apud GROOT p. 279.

[8] CONC. LAT. IV c. *Firmiter.*

[9] CONC. VATIC. *Pastor aeter.* Prooem.

[10] SYMB. CP. apud *Pesch* n. 315.

[11] Supra n. 36.

[12] Nam tract. 2 probavimus veram religionem esse *christianam,* et cap. 1 huius tract. soli *Ecclesiae Romanae* vindicavimus originem a Christo.

neque audierint sermones vestros, exeuntes foras de domo vel civitate excutite pulverem de pedibus vestris: Amen dico vobis tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrhaeorum in die iudicii, quam illi civitati [13]. — PATRES Ecclesiam comparant *Paradiso* extra cuius moenia non est spes vitae, *Arcae Noë* extra quam ineluctabilis mors paratur, *Haevae* quae omnium viventium est mater; unde negant *Deum posse habere patrem* qui Ecclesiam non habet matrem [14].

279. **Secunda pars.** *Ecclesia usque ad finem mundi permanebit.* Nam *a*) si **Scripturas V. T.** inspicias habes *semen mulieris,* quod superari non debet a serpente sed ipsum conterere; habes *semen Abrahae* in quo omnes gentes sunt benedicendae; habes *catholicitatem* personarum et locorum, necnon *aeternitatem* regni messianici [15]: si **N. T.** consideres invenies *b*) quod Ecclesia exhibetur uti *plenitudo temporis, novissimi dies* et *imago rerum* [16], in V. T. praefigurata et manifestanda in claritate aeternae visionis: atqui ultra *plenitudinem* nemo progreditur, post *ultimos dies* sola manet aeternitas, post *imaginem* rerum sola veritas, post *fidem* beatifica visio: ergo. *c*) Adde prophetias Arcangeli *Gabrielis, B. V. M.* et *Simeonis,* qui universitatem temporis et personarum annuntiarunt de regno messianico [17], necnon testimonium *Christi,* qui in sua Ecclesia manere promisit cum Spiritu S. usque ad finem mundi [18], et videbis an Ecclesia aliquando deficere possit. *d*) Ceterum omnia quae ad Ecclesiam pertinent indefectibilitatem praeseferunt: nam *fundator* talis est ut non sit in aliquo alio salus [19] siquidem ipse factus est *hostia pro peccatis* in consummatione saeculorum [20]; *societas* est supra petram aedificata, unde adversariorum incursus non timet [21]; *successor Petri* manere

---

[13] Matth. **10**. 14-5 coll. Marc. **16**. 15-6.

[14] Testimonia dedimus n. 219.

[15] De *catholicitate* Ecclesiae cf. n. 246; *aeternitatem* regni messianici testantur 2 Reg. **7**. 13; Ps. **109**. 4; **131**. 11 sqq.; Isai. **9**. 7; **54**. 10; **55**. 3; Jer. **32**. 40; Ezech. **16**. 60-2, etc.

[16] Act. **2**. 17; 1 Corinth. **13**. 9 sqq.; Gal. **4**. 4; Ephes. **1**. 10; Hebr. **1**. 1; **10**. 1; 1 Petri **1**. 20; 2 Petr. **1**. 19; AMBR. in *Ps.* **38** n. 25; DIONYS. *De Eccl. Hier.* V n. 2; BRUNO Asten. hom. 34 apud C. MAZZELLA *De Virt. infus.* n. 508-10.

[17] Luc. **1**. 33; 48-55; **2**. 31-2.

[18] Matth. **28**. 19-20; Joan. **16**. 6.

[19] Act. **4**. 12; S. THOM. 1 p. q. 106 a. 4.

[20] Hebr. **9**. 26. Cf. A. PADOV. in *h. l.*

[21] Matth. **16**. 18.

debet quousque Satanas conabitur scindere Ecclesiae unitatem fidemque evertere [22]; *fideles* aderunt quousque Filius hominis mittet angelos ad separandos malos de medio justorum [23]; *sacrum ministerium* exerceri debet usque ad consummationem sanctorum, donec occurramus in virum perfectum in aetatem plenitudinis Christi [24]; *sacramenta,* utpote ordinata ad Eucharistiam, non cessabunt ante Missam, quae offerenda est *donec* (Christus) *veniat* [25], « in quo datur intelligi quod hic ritus Ecclesiae non cessabit usque ad finem mundi » [26]. **Ex Patribus** IGNAT. M. ait quod « ob id Dominus in capite accepit unguentum, ut *Ecclesiae* spiret incorruptionem » [27]. AMBR. testatur quod Ecclesia « obumbrari potest, deficere non potest » [28], atque imaginibus Apostoli inhaerens, non aliam agnoscit Ecclesiae successionem quam futurae vitae : « Primum, ait, umbra praecessit, secuta est imago, erit veritas. Umbra in Lege, imago in Evangelio, veritas in coelestibus » [29]. Et HIER. : « Super quam (petram) fundata Ecclesia nulla tempestate concutitur, nullo turbine ventisque subvertitur » [30]. « Ecclesia, inquit CHRYS. est coelo validior » [31], et ideo, ut concludit AUG., « non vincetur Ecclesia, non eradicabitur, nec cedet quibuslibet tentationibus, donec veniat huius saeculi finis » [32]. **Ratio** sumitur ex prima parte. Nam quod est de necessitate salutis manere debet quousque sunt homines salvandi : atqui homines salvandi erunt usque ad finem mundi, siquidem Deus *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* [33] : ergo.

280. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Scriptura annuntiat magnam apostasiam futuram ante Christi adventum [34] : ergo Ecclesia, quae *catholica* est, deficiet. **Resp.** Annuntiat defectionem fidei perfectae quae per caritatem operatur *conc.* etiam fidei imperfectae et externae tantum *neg.* vel *subd.* : ita ut apostatae coalescant in societatem quamdam christianam numero vincentem Ecclesiam Romanam

---

[22] Luc. **22.** 31-2.
[23] Matth. **13.** 40; 48-9.
[24] Ephes. **4.** 11-3.
[25] 1 Corinth. **11.** 26.
[26] S. THOM. in 1 *Corinth.* **11** lect. 6.
[27] IGNAT. M. ad *Ephes.* c. 17.
[28] AMBR. *Hexaem.* IV c. 2 n. 7.
[29] AMBR. in *Ps.* **38** n. 25.
[30] HIER. in *Isai.* **4.** 6.
[31] CHRYS. *Hom. ante exil.* 1.
[32] AUG. in *Ps.* **60** n. 6. Cf. JUST. M. *Dial. c. Tryph.* c. 90; HYPP. *De Chr.* et *Antich.* c. 59; ORIG. *Exort. ad martyr.* etc.
[33] 1 Tim. **2.** 4.
[34] Matth. **24.** 24; Luc. **18.** 8; 2 Thess. **2.** 3 sqq.; 2 Petr. **3.** 3.

neg. aliter *trans.* Vere futuram esse magnam apostasiam concedunt catholici interpretes [35]; quomodo vero hoc possit componi cum catholicitate et indefectibilitate Ecclesiae non est certum. Profecto fides aliquando sumitur de fide caritate informata, et ideo quia in fine mundi *refrigescet caritas multorum* [36], etiam fides formata deficiet. Quod si verba sunt explicanda de vera apostasia, notamus Ecclesiam ab apostatis non esse evertendam, sed post pugnam ex illis triumphum acturam [37]: defectio autem ideo catholicitati non obstabit quia catholicitas simultanea [38] ultra limites ab ipsa Scriptura signatos non est praemenda.

281. **Obiic. 2.** Etiam religio judaica perennitatis promissiones habuit [39] et tamen christianae cessit: ergo. **Resp.** Aeternitas promissa Judaeis erat conditionata vel generica *conc.*, absoluta et individua *neg.* Quaedam e promissionibus factis populo Israël erant conditionatae fidelitati eius, qui a Deo recessit, quomodo vero absolutae in Messia erant implendae fundatione novi foederis vidimus supra [40]. Ad rem AUG.: « Quando ei (Aaron) aeternitas promissa est, non ipsi umbrae et figurae, sed ei, quod per ipsum adumbrabatur et figurabatur promissum est » [41].

282. **Obiic. 3.** « Ecclesiae historia historia est organi viventis »[42]: atqui omnis vivens mutatur et senescit: ergo. **Resp.** *Dist. min.:* Omne vivens virtute naturali *conc.*, etiamsi divina virtute firmetur *nego.* Modernistae non secus a rationalistis omne supernaturale interventum Dei in humanis rebus ignorant, et ideo sicut Ecclesiae originem ex hominum voluntate iuxta temporum necessitates et experientias deducunt, ita iuxta mutabilitatem humanarum opinionum mutabilem et corruptibilem faciunt. Sed Ecclesiae firmitas est a Christo qui usque ad finem mundi suam efficacem praesentiam promisit [43]; Christus autem non veterascit [44], sed *heri et hodie ipse et in saecula* [45].

ARTIC. 3 - DE SOCIALI PERFECTIONE ECCLESIAE.

283. **Quae societas perfecta.** Societas est *perfecta* seu *independens* cum iure proprio habens omnia media necessaria ad con-

---

[35] KNAB. in *Luc.* p. 498.

[36] Matth. **24** 12.

[37] Dan. **7**. 23-7.

[38] Quidam cum BELLAR. *De Eccl.* IV c. 7 n. 4-5 et M. CANO *De Loc. theol.* IV c. 6 putant catholicitatem non necessario esse *simultaneam* et *omnium temporum.*

[39] Gen. **17**. 7; Deut. **18**. 5, 2 Reg. **7**. 13 etc.

[40] Cf. supra n. 193 et 197.

[41] AUG. *De Civ. Dei* XVIII c. 6 n. 1.

[42] ANONYM. *Il Program.* p. 78.

[43] Matth. **28**. 20.

[44] Hebr. **1**. 11.

[45] Hebr. **13**. 8.

secutionem finis ab alia non pendet in exercitio socialium operationum. Huic perfectioni non repugnat quod media nonnulla sibi utilia vel etiam necessaria non possideat *de facto* vel non debeat *per se exercere;* si enim *ex sese* ius habet ad illa, *iure proprio* possidet omnia quae sunt ad finem. Ex hoc iam apparet quod perfectioni Ecclesiae non obstat defectus militum neque immediatum exercitium iuris gladii [1]; potest enim haec exigere a Statu, qui si renuat, Christus aliter incolumitati suae sponsae providebit [2].

284. **Errores — Veritas.** Ex falsa notione potestatis Status, cui subjici putaverunt quidquid fit in ejus territorio, MAR. PATAV., EDM. RICHER, FEBRON., GALLICANI et moderni STATOLATRAE putaverunt Ecclesiam *in foro externo* ita pendere a Statu, ut sine ejus consensu leges condere non valeat, judicia proferre non possit, nec poenis inobedientes prosequi [3]. Accedunt MODERNISTAE qui, dum autumant administrationem sacramentorum et exercitium cultus externi regulari a civili potestate, implicite docent « in temporalibus negotiis Ecclesiam subdi Statui » [4]. **Veritas** est proposita a Leone XIII docente quod Ecclesia est « societas genere et jure perfecta, cum adjumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria voluntate beneficioque conditoris sui omnia in se ac per se ipsa possideat » [5].

THES. 37. *Ecclesia ex Christi institutione, adeoque iure divino, est societas — 1 legalis — 2 perfecta et — 3 a Statu omnino independens.*

285. **Prima pars.** *Ex Christi institutione Ecclesia est societas legalis.* Quidam ut evincerent legalitatem Ecclesiae, probare conati sunt eam non opponi legibus regnorum, quae si idololatriam profitentur, omni cultui liberum exercitium concedere debent; si religionem christianam agnoscunt Ecclesiam Romanam, quae sola est Christi Ecclesia, impugnare non possunt [6]. Sed *legalitatem* Ecclesiae ex altiori principio, h. e. ex lege divina naturali et positiva, desumendam putamus. *a*) Cum enim *omnis potestas sit a*

---

[1] De his dicemus agentes de potestate *coactiva*.

[2] GIBIER *Obb. c. la Chiesa* ser. 1 c. 45.

[3] BILLOT *l. c.* p. 124 sqq. ex TAINE ostendit Napoleonem Ecclesiam habuisse veluti Status ancillam, quae ad auctoritatem ejus firmandam erat instituta.

[4] PIUS X Enc. *Pascendi.*

[5] LEO XIII Enc. *Immortale Dei.*

[6] C. MAZZELLA n. 498 sqq.

Deo [7], lex, quae Ecclesiam a Christo fundatam [8] vetaret, non esset lex, sed injustum praeceptum; *obedire enim oportet Deo magis quam hominibus* [9]. *b*) Adde legem esse ordinationem rationis *in bonum commune,* lex vero, quae Ecclesiam prohiberet, esset in damnum societatis *c*) multo magis quod societas civilis naturaliter tenetur veram religionem [10] ideoque Ecclesiam amplecti.

286. **Secunda pars.** *Ex Christi institutione Ecclesia est societas perfecta.* Nam *a*) **Scripturae** *nomina* et *similitudines* constanter exhibent ideam societatis perfectae, dum ne una quidem vice Ecclesiam proponunt quasi partem alterius entis physici vel moralis, sed semper proponunt ut aliquid in se perfectum et omnino distinctum a ceteris omnibus. Profecto Ecclesia non est ramus sed *arbor* ex grano sinapis germinans, non ovium coadunatio sed *ovile* sub pastore, non membrum sed *corpus* sub Christo capite, non collegium sed *regnum,* unica *sponsa* quam Christus sibi procreavit sine macula et sine ruga, etc. [11]. *b*) Quod si *societatis perfectae constitutiva* attendas, invenies Ecclesiam a suo fundatore omnia accepisse. Revera Christus *formam monarchicam* constituit in qua plebs ab episcopis sub supremo pastore R. P. regitur [12]: ipse *plenissimam auctoritatem* tradidit communicando potestatem ligandi et solvendi omnia [13]: ipse *missionem expeditam* concessit Apostolos mittendo in mundum universum ad omnes gentes [14]. **Patres** non solum *a*) potestatem episcopalem dicunt plenam et civili praestantiorem [15], sed *b*) expresse contradistinguunt a civili [16], et, quia divina, negant subjici imperatoribus [17], qui ea carentes [18], nihil possunt in rebus ecclesiasticis [19], et episcopis subjiciuntur [20]. « Respondi (comitibus imperatoris), scribit AMBR..., quae sunt divina imperatoris potestati non esse subiecta ». GELAS.

---

[7] Rom. **13**. 1.

[8] Cf. supra n. 193.

[9] Act. **5**. 29.

[10] Cf. supra n. 37 et n. 48.

[11] Testimonia dedimus n. 193.

[12] De Ecclesiae forma infra dicemus.

[13] *Quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in coelo: et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in coelo.* Matth. **18**. 18.

[14] Matth. **28** .19; Marc. **16**. 15.

[15] IGNAT. M. *Ad Trall.;* GREG. Naz. or. 17 *ad Theod.*

[16] GELAS. *ad Anast.* imper.; NICOL. I *Ad Mich. imp.*

[17] AMBR. ep. *ad Marcel.;* NICOL. I *l. c.;* DAMASC. *De imag.* or. 1 et 2.

[18] DAMASC. *l. c.*

[19] FELIX III *ad Zenon.* imp.; SYMM. *Adv. Anast. imp.*

[20] SYM. *l. c.;* GREG. Naz. or. 17 *ad Theod.*

ait : « Duo sunt, imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur ; *auctoritas sacra* Pontificum, et *realis potestas*... Subdi te debere cognoscis religionis potius ordine, quam praeesse ». Et SYMM. : « Conferamus honorem Imperatoris, cum honore Pontificis... tu humana administras : ille *tibi* divina dispensat » [21]. *c*) Hinc principes christiani theoretice et practice agnoverunt independentiam ecclesiasticae jurisdictionis, quemadmodum videre est in actibus *Constantini M., Valentiniani I, Honorii, Valentiniani III, Theodosii junionis, Theodorici, Justiniani, Basilii Macedonis, etc.*[22]. **Ex ratione.** Nam societas a fine specificatur : ubi ergo finis in suo ordine est perfectus etiam societas perfecta sit oportet : atqui finis Ecclesiae est perfectus *in se* quia salus animae est ultimus hominis, et *in operatione Ecclesiae* quia Christus animarum salutem totaliter ei commendavit : ergo.

287. **Tertia pars.** *Ex Christi institutione Ecclesia est societas a Statu independens.* Sequitur ex praedictis. Nam societas perfecta ab alia non pendet. Ceterum si penderet vel esset ex natura rei vel ex impotentia aut voluntate sui fundatoris : atqui non *ex natura rei* quia ordo supernaturalis a naturali specifice differt [23] ; non *ex impotentia* fundatoris quia ipsi data est omnis potestas in coelo et in terra [24] ; non *ex voluntate* Christi quia de hac nullum est testimonium [25], imo contrarium extat siquidem absolute sine causarum exceptione vel conditione ratum habuit in coelo quae in terris Ecclesia erat ligatura aut solutura [26] : ergo. Ceterum societas, quae ab alia pendet, ex hujus voluntate potest *impediri* in exercitio sui ministerii, imo abrogari vel saltem *mutari* et *coarctari* quoad locum et personas : atqui Ecclesia a Statu nequit impediri quia est societas *necessaria,* nequit abrogari quia *indeficiens,* nequit coarctari quia *catholica* [27] : « itaque divinae huius societatis naturam opinione adulterant... (qui) Ecclesiam Dei sub imperium ditionemque reipublicae subjugant » [28]. CONFIRMATUR

---

[21] Testimonia ipsa sunt quae modo citavimus.

[22] TARQUINI *Inst. jur. eccl. publ.* n. 45.

[23] Explicabimus in tr. *De Deo elev.* et *De Grat.*

[24] Matth. **28.** 18.

[25] Cum circumstantia *dependentiae* non sit accidentalis et ex natura rei non possit deduci, Christus eam debuisset indicare, si vere voluisset.

[26] Matth. **16.** 19 ; **18.** 18.

[27] Supra n. 245-6.

[28] LEO XIII Enc. *Libertas.*

ex facto, siquidem nec Apostoli nec Patres Status licentiam vel confirmationem invocarunt, sed in legislatione ipsa matrimoniali, quae civiles quoque effectus nanciscitur, praeter et contra civiles leges egerunt [29].

288. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** « Ecclesia, inquit OPTATUS, est in republica et non respublica in Ecclesia » [30]: atqui quod in altero continetur ab eo dependet: ergo. **Resp.** *Dist. ant.* OPTAT. dixit Ecclesiam in republica quatenus ab imperio Romano tuebatur *conc.*, quia a civili potestate pendebat *neg.* Donatistis, qui maledicta intulerant Constanti imperatori ob eleemosynas catholicis missas ut in pauperes erogarent, Optatus respondet ei potius gratias esse referendas, siquidem fines imperii tueri valens exercitibus, non necessitate compulsus ex benevolentia necessaria subministrabat Ecclesiae, quae in romano imperio quasi in domo sua morabatur libertate et divitiis affluens [31].

289. **Obiic. 2.** Apud hebraeos et paganos negotia ecclesiastica ad regium tribunal deferebantur et episcopi theoretice et practice in id consenserunt: ergo quaestiones ecclesiasticae ad civilem spectant societatem, quae proinde Ecclesiae principatur. **Resp.** Episcopi agnoverunt antecedens jus Status judicandi de rebus ecclesiasticis *neg.*, agnoverunt jus aliquod consequens, vel tolerarunt usurpationem *conc.* Quod attinet ad paganos injuria adducuntur in quaestione de Ecclesia, quod vero spectat hebraeos non tenet paritas ex parte potestatis civilis, quae in populo Israël erat theocratica, neque ex parte potestatis religiosae, quae amplissima jura Ecclesiae non erat assecuta [32]. Porro episcopi agnoscere potuerunt concessiones concordatis firmatas, vel injustas vexationes tolerare ad majora mala praecavenda. Quod si quidam ex animi imbecillitate, ambitione, vel avaritia injustas Status usurpationes agnoverunt, non in auctoritatem invocandi sunt, sed detestandi [33].

290. **Obiic. 3.** Potestas independens locum proprium habet, in alieno enim territorio sine domini licentiam ius dicere vetitum est: atqui territorium est Status: ergo [34]. **Resp.** Ecclesia in territorio Status

---

[29] Libertas Ecclesiae contra usurpationes laicas constat ex Act. et ex historia martyrum. De legislatione matrimoniali dicemus in tr. *De Matrimonio*. Interim cf. GROOT p. 426.

[30] OPTAT. *De schism. Donat.* III.

[31] TARQUINI *l. c.* n. 57; C. MAZZELLA n. 587.

[32] SUAREZ *Defin. Fidei* III cp. 25-6 et BELLARM. *De R. P.* II c. 19 negant apud hebraeos potestatem religiosam civili fuisse subiectam.

[33] TARQUINI *l. c.* n. 60; PIUS IX All. *Numquam fore.*

[34] REGALISTAE apud *Tarquini* l. c. n. 47.

non habet dominium proprietatis *conc.*, neque habet jurisdictionis *subd.*: politicae *conc.*, religiosae *neg.* Haec difficultas in mera aequivocatione fundatur. Si enim in *alieno* territorio jus dici non liceret, neque Status valeret leges promulgare, judicia exercere et poenas inferre; proprietas enim territorii non est Status sed privatorum. Quod si proprietas privata ratione boni publici gravatur *servitute passiva* quoad dominium politicum Status, ita ratione boni religioni subjacet dominio religioso, quod de alia re ab independenti auctoritate exercetur. Ceterum si dominium aliquod proprietatis foret necessarium pro exercitio potestatis ecclesiasticae dicendum esset hoc a Christo, qui omnia poterat in coelo et in terra, datum esse Apostolis cum eos misit in mundum universum ad regnum coelorum fundandum et regendum.

291. **Obiic. 4.** « Culturae interest, Ecclesiam subesse Statui. Ergo jus circa sacra sejungi nequit a Statu, in quo viget cultura (*Kultur-Staat*). **Resp.** Prima lex verae culturae, parere ordini divinitus constituto; ex eo fonte maxima bona etiam temporalia originem habent »[35], ut infra melius apparebit.

ARTIC. 4 - DE SOCIALI ECCLESIAE PRAEEMINENTIA.

292. **Quae Status erga Ecclesiam officia.** Distinguendum est inter Statum catholicum et acatholicum, christianum, indifferentem et infidelem. STATUS CATHOLICUS debet *a*) Ecclesiam theoretice et practice *agnoscere* actibus cultus publici participando; Status enim, non minus quam privata persona, indifferenter se habere nequit ad veram religionem [1]. Et quia unusquisque juxta vires suas debet promovere cultum Dei, et Status debet curare bonum sociale, ad quod summopere ordinatur Ecclesia, *b*) hanc Status debet *fovere*, tum *negative* non tolerando sine necessitate et de consensu R. P. exercitium aliarum religionum, tum *positive* adjuvando praedicationem verae fidei, administrationem sacramentorum, cultusque publici manifestationes [2]. Quia tandem juribus Ecclesiae respondent officia Status, hic *c*) debet Ecclesiae scholarum inspectionem concedere [3] eique *praestare* temporalia quae requiruntur ad consecutionem finis Ecclesiae, ideoque media suppeditare eius potestati coactivae et privilegia clericorum sancire. STATUS CHRISTIANUS ACATHOLICUS de *jure*, iisdem tenetur officiis quibus vincitur

---

[35] GROOT p. 432.

[1] Cf. supra n. 37.

[2] Cf. supra n. 41.

[3] De jure inspectionis scholarum dicemus infra.

catholicus; *de facto* cum evidentiam falsitatis verae Ecclesiae habere nequeat, *a*) ei incumbit onus inquirendi de vera Ecclesia, et cohaerenter ad sua principia debet liberam *b*) professionem catholicismi permittere *c*) Ecclesiamque habere uti legitimam societatem capacem possidendi et invocandi publicam auctoritatem adversus externos et internos hostes. Status indifferens, qui vere in bona fide esse nequit [4], logice debet Ecclesiam aestimare societatem ordinis superioris, cui jura possessionis et necessaria ad propriam existentiam competunt. Status infidelis *de jure* debet Ecclesiam ingredi, *de facto*, cum non possit negare probabilitatem huius religionis, ejus propagationem debet permittere; « quare si prohiberet ne praedicatores veritatem annuntiarent, vel christiani in suo dominio jam existentes, libere suam religionem profiterentur, ad hoc cogi posset etiam vi armata nationum christianarum [5].

293. **Quae bona ex Ecclesia mutuetur Status.** Vera religio *a*) firmitatem tribuit legibus Status, et *b*) promovet exercitium omnium virtutum, quae sicut in se sunt bona religiosa simul et civilia, ita *c*) fons extant et origo totius temporalis prosperitatis, omniumque bonarum artium progressus [6]. Profecto « quod Europa christiana barbaras gentes edomuit, easque a feritate ad mansuetudinem, a superstitione ad veritatem traduxit: quod Mahumetanorum incursiones victrix propulsavit: quod civilis cultus principatum retinuit, et ad omne decus humanitatis ducem se magistramque praebere ceteris consuevit: quod germanam libertatem eamque multiplicem gratificata populis est: quod complura ad miseriarum solatium sapientissime instituit, sine controversia magnam debet gratiam religioni (h. e. Ecclesiae), quam ad tantas res suscipiendas habuit auspicem, ad perficiendas adjutricem » [7].

294. **De privilegiis clericorum.** Est corollarium socialis perfectionis Ecclesiae. Nam si *a*) attendas *distinctionem* inter clericos et laicos, quam Christus instituit, si *b*) consideres *libertatem et independentiam,* qua Christus donavit ministros et dispensatores mysteriorum Dei, ut expedite acceptum munus exequerentur, si *c*) perpendas inter homines *aestimationem personarum* et *dignitatum* foveri externo obsequio et opibus; facile intelliges non solo ecclesiastico jure sed divino clericos excipi a communitate fidelium in pluribus, quae spectant ordinem externum et civilem: atqui in huiusmodi exemptionibus a civi-

[4] Ratio naturalis clare praedicat necessitatem religionis; hanc ergo nemo aufugit.

[5] Tanquerey *De Eccl.* n. 241.

[6] Cf. supra n. 172.

[7] Leo XIII Enc. *Immortale Dei.*

libus oneribus consistunt privilegia clericorum : ergo. Verum etsi Christi voluntati, innitantur privilegia *servitiorum, fori, competentiae* et *canonicis,* non fuerunt tamen in concreto ab ipso Christo determinata; et ideo Ecclesia valet pro temporum opportunitate et necessitate nonnihil immutare, quemadmodum facere solet concordatis vel tacito consensu [8].

295. **Regium placet non Status jus, sed injuria aestimandum.** « *Placitum* est facultas, quam civilis auctoritas impertitur bullis ac brevibus pontificiis ceterisque omnibus auctoritatis ecclesiasticae actis, ut vim in sua ditione habeant [9] : *jus* autem *placiti* est jus defensionis adversus Ecclesiae molimina [10], naturaliter insitum auctoritati politicae, cujus virtute declarat nullam habere vim bullas, brevia Pontificum atque aliud quodcumque actum ecclesiasticae auctoritatis, quibus facultas illa non fuerit impertita; *addunt nonnulli,* tam in foro externo, quam in interno » [11]. Jamvero hoc *regium placet* ante saec. XV ignotum, contradicit supremae et independenti auctoritati Ecclesiae, eique contumeliosam inurit calumniam. Revera *a)* antiquissimum *placiti regii* exemplum afferunt DUCIS ANDEG. qui a. 1381 vetuit ne Bulla Urbani VI legeretur in conventu accademiae Parisiensis; sed factum non est ad rem, siquidem Urbanus VI pro pontifice dubio habebatur, et ab illo Duce non agnoscebatur. Primus qui revisionem decretorum R. P. sibi arrogavit, fuit JOAN. II Lusitaniae rex, damnatus tamen ab INN. VIII a. 1486 apostolicis mandatis se subjecit. De praecedentibus saeculis repeti possunt quae contra arianos scripserat ATHAN. : « Numquam imperator ecclesiastica curiose perquisivit » [12]. *b)* Profecto Ecclesia est societas superior, ut demonstrabimus in thesi : atqui repugnat superiorem judicari ab inferiori vel ab ipso accipere suorum actuum sanctionem : ergo ecclesiasticae leges civilis potestatis consensu non egent. *c)* Quod si ab Ecclesiae superioritate praescindamus, concedendum saltem erit eam esse societatem perfectam : sicut ergo Ecclesia non sibi reservat approbationem legum Status, sic nec Status approbationem decretorum Ecclesiae usurpare debet. *d)* Ceterum quae esse possunt Ecclesiae contra Statum molimina? Ergone immaculata sponsa Christi civilem societatem evertet? Nonne potius Ecclesia Status

---

[8] Quae sint privilegiorum jura, et quae adhuc vigeant, videbis apud canonistas.

[9] A *regio placet* vix differt *exequatur :* illud theoretice hoc practice opponitur intrinseco valori decretorum Ecclesiae.

[10] Huc venit *appellatio ab abusu.*

[11] VAN-ESPEN *P. 2 Tit. 24 c. 6.* apud TARQUINI Dissert. *de Regio placet.*

[12] ATHAN. *Hist. Arian. ad Mon.*

prosperitatem promovet? « Putidum (ergo) impiumque commentum illud est, Apostolicae sedis divinitus collata jura, ac traditum a Christo Domino supremi regiminis in Ecclesia clavum, et potestatem *humanis placitis,* nutibusque arctari, praescribi aut imminui posse » [13].

296. **Errores — Veritas.** Relationem Ecclesiae ad Statum *excessu* perverterunt canonistae quidam potestatem Status derivantes ab Ecclesia, principesque civiles dicentes vicarios R. P. [14]: *defectu* ii qui Ecclesiae socialem perfectionem negare ausi sunt, vel cum CAVOUR, noto adagio *libera Ecclesia in libero Statu,* Ecclesiam omnino parem Statui fecerunt [15]. **Veritas** est proposita a LEONE XIII qui contra primos docuit quod « Deus humani generis procurationem intra duas potestates partitus est, scil. *ecclesiasticam* et *civilem,* alteram quidem *divinis,* alteram *humanis* rebus praepositam. *Utraque est in suo genere maxima:* habet utraque suos, quibus contineatur, terminos » : contra alios sanxit quod « inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio : quae quidem *conjunctioni* non immerito comparatur, per quam *anima* et *corpus* in homine copulantur » [16].

THES. 38. *Etsi Status sit societas in suo ordine perfecta — 1 ab Ecclesia tamen separari nequit: unde, cum — 2 civili societati Ecclesia praestet dignitate et auctoritate, — 3 in jurium conflictu judicium ad Ecclesiam pertinet.*

297. **Prima pars.** *Status ab Ecclesia separari non potest.* « *a*) Primum enim, quum hoc nitatur fundamento, religionem nullo pacto debere civitati esse curae, magnam infert injuriam Deo, qui ipse humanae societatis non minus quam hominum singulorum conditor et conservator est; proptereaque non privatim tantummodo colatur necesse est, sed etiam publice. *b*) Deinde, quidquam esse supra naturam, non obscure negat. Etenim actionem civitatis sola vitae mortalis prosperitate metitur, in qua consistit causa

[13] PIUS IX Const. *Probe nostis* 9 Mar. 1853; INN. X *In eminenti* 1650; ALEX. VII 14 Maî 1658; CLEM. XI *Alias ad Apostolatus* 27 Oct. 1711; *Nova semper* 29 Nov. 1714; *Accepimus nuper* 1715; CLEM. XIII 15 Jan. 1763; 25 Junii 1766 etc.; SYLL. *prop.* 20, 41; TARQUINI Dissert. *De regio Placet;* PALMIERI *thes.* 23 p. 567 sqq.

[14] AUG. TRIUMPHUS *De potest. eccl.;* PANORMIT. Com. in *Decret.* II.

[15] MODERNISTAE apud Pium X Enc. *Pascendi; Il Program.* p. 123-4.

[16] LEO XIII Enc. *Immortale Dei;* BONIF. VIII Bulla *Unam sanctam;* SYLLAB. pr. 55.

proxima civilis societatis : causam ultimam civium, quae est sempiterna beatitudo extra hanc brevitatem vitae hominibus proposita, tamquam alienam reipublicae, plane negligit. Quod contra, ad adeptionem summi illius absolutique boni, ut hic totus est fluxarum rerum ordo dispositus, ita verum est rempublicam non modo non obesse, sed prodesse oportere. *c*) Praeterea descriptionem pervertit rerum humanarum a Deo sapientissime constitutam, quae profecto utrjusque societatis, religiosae et civilis, concordiam requirit. Nam, quoniam ambae, tametsi in suo quaeque genere, in eosdem tamen imperium exercent, necessitate fit, ut causae inter eos saepe existant ejusmodi, quarum cognitio et dijudicatio utriusque sit. Jamvero, nisi civitas cum Ecclesia cohaereat, facile ex illis ipsis causis concertationum oritura sunt semina, utrinque acerbissimarum; quae judicium veri, magna cum animorum anxietate, perturbent. *d*) Postremo maximum importat ipsi societati civili detrimentum; haec enim florere aut stare diu, posthabita religione, quae summa dux ac magistra adest homini ad jura et officia sancte custodienda, non potest » [17].

298. **Secunda pars.** *Ecclesia civili societati praestat.* Nam in **Scripturis** Christus docuit *quaerere primum regnum Dei* (scil. Ecclesiam) *et iustitiam eius* [18], omniaque terrena utcumque pretiosa postponere bonis animae [19], cuius vel minimum damnum nullis creatis bonis potest rependi [20]: unde Apostoli principibus et sacerdotibus objicientibus tranquillitatem Status obstare propagationi Ecclesiae responderunt: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* [21]. Scripturae concinnant **Patres** qui non tantum *a*) affirmant superioritatem Ecclesiae [22], sed *b*) illam evincunt ex praestantia sui finis, quem finem Status excellere dicunt quanto anima *praetiosior est corpore* [23], quanto ratio superat *sensum animale* [24], quanto spiritualia *terrena* antecellunt [25], quanto coelum

[17] PIUS X Enc. *Vehementer.*

[18] Matth. **6**. 33.

[19] Matth. **5**. 29-30; **6**. 25-32.

[20] *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* Matth. **16**. 26.

[21] Act. **5**. 29. Cf. TARQUINI *l. c.* n. 55.

[22] IGNAT. M., GREG. NAZ., GELAS., SYM., supra n. 286.

[23] CHRYS. *in 2 Corinth.* **15**. ISID. PELUS. III Epist. 449; IVO CARNOT. *ad Henric. reg. Angliae* ep. 51; HUGO a S. VICT. II *de Sacr.* p. 2 c. 4; INNOC. III in cap. *Solitae de Major.* etc.

[24] IVO CARNOT. *l. c.*

[25] GREG. NAZ. *l. c.*; HUGO a S. VICT. *l. c.*; INNOC. *l. c.*

distat a terra [26]; atque addunt *c*) ex hac subordinatione Statum mutuare suam perfectionem, non secus ac corpus ex informatione animae perficitur [27], multo magis quod ultimus finis hominis est salus aeterna, iuxta quam ipsa perfectio Status est aestimanda [28]. Ut testimonium aliquod audiamus, sic loquitur CHRYS. : « Aliud imperii genus est, ac civili quidem imperio praestantius. Ecquod illud est? Quod in Ecclesia viget...; hoc enim imperium tanto civili excellentius est quanto coelum terra, et quantum inter corpus et animam discriminis est tantum item ab illa hoc distat ». Et Ivo CARNOT. : « Sicut sensus animalis subditus debet esse rationi, ita potestas terrena subdita esse debet ecclesiastico regimini. Et quantum valet corpus nisi regatur ab anima, tantum valet terrena potestas, nisi informetur et regatur ecclesiastica disciplina ». Hinc BONIF. VIII : « *Subesse R. P. omnem humanam creaturam* (ideoque etiam principem de quo praecipue agebatur) *declaramus, dicimus, diffinimus omnino esse de necessitate salutis* » [29]. **Ratio** sumitur ex *origine*, ex *auctoritate* et ex *fine* Ecclesiae. EX ORIGINE quia forma auctoritatis civilis est a Deo *mediate*, Ecclesiae vero *immediate:* atqui ea quae immediate sunt a Deo uti ab auctore gratiae, praestant his quae mediate tantum sunt a Deo uti ab auctore naturae : ergo. EX AUCTORITATE, nam auctoritas civilis est solum circa terrena, Ecclesiae vero potestas directe attingit coelestia et indirecte terrena [30] : illa limitibus coarctatur in iis ipsis, quae suum finem spectant [31], haec limites in suo ordine non agnoscit. EX FINE, nam societates *fine* specificantur, unde ad invicem comparantur sicut eorum fines : atqui finis Ecclesiae est spiritualis et aeternus, attingens bonum animae, finis societatis civilis terrenus et temporalis, respiciens bonum corporis; spirituale autem et aeternum in immensum excedit terrenum et temporale, et anima praestat corpori : ergo.

299. **Tertia pars.** *In conflictu vel dubio jurium, praevalet jus Ecclesiae, ad quam proinde spectat harum quaestionum examen et solutio.* Nam tribunal aliquod pro solutione quaestionum et pro

---

[26] CHRYS. *l. c.*

[27] IVO CARNOT. *l. c.*

[28] ISID. PELUS. *l. c.*

[29] BONIF. VIII Bul. *Unam Sanctam.*

[30] Nam Christus communicavit Apostolis suam potestatem de qua dixit : *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* Matth. **28.** 18-9; Joan. **20.** 21.

[31] Puta iuribus aliarum societatum vel privatorum.

definitione jurium esse debet: atqui Ecclesia judicari nequit a Statu, siquidem superior inferiori non subjicitur: ergo supremum tribunal ad quod quaestiones mixtae sunt deferendae est Ecclesia. Accedit quod *jus*, utcumque civile, pertinet ad genus morum [32]; si ergo de existentia juris dubium exurgat directe vel indirecte judicium spectat ad societatem quae in definiendis rebus morum est infallibilis: atqui res morum cum rebus fidei integrant objectum infallibilitatis Ecclesiae: ergo. Hinc RR. PP. saepe *ratione peccati — certis causis inspectis — casualiter* de quaestionibus juris civilis dederunt sententiam, reges etiam aliquando deponendo et legitimitatem novi gubernii sanciendo [33].

300. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** « Sicut *ratione obiecti* fides ac scientia extraneae ab invicem sunt; sic Status et Ecclesia alter ab altera extranea sunt ob *fines* quos prosequuntur, temporalem ille, haec spiritualem » [34]. **Resp.** *Nego utrumque suppositum.* Nam fides etiam de iis, quae rationis lumen non aufugiunt, esse potest [35] et Ecclesiae magisterium indirecte attingit ea quae fidei connectuntur. Porro finis temporalis distinguitur quidem a spirituali, sed non separatur, siquidem finis mediatus ordinari debet in ultimum, et finis ultimus hominis est supernaturalis.

301. **Obiic. 2.** « Licuit alias temporale subjici (Ecclesiae).... quia Ecclesia a Deo, sine medio, ut ordinis supernaturalis est auctor, instituta ferebatur. Sed iam haec a philosophis atque historicis respuuntur » [36]. Ergo. **Resp.** Ecclesiae potestatem non esse a populo sed immediate a Deo infra demonstrabimus.

302. **Obiic. 3.** Nil evincitur pro superioritate Ecclesiae ex his quae medio aevo R. P. egerunt in rebus civilibus aliquando etiam principes deponendo; id enim agebant *iure gentium* tunc vigenti quo RR. PP. habebantur arbitri insolubilium quaestionum. **Resp.** An propositum effugium fundamentum habeat dicant historici: nobis adnotasse sufficiat inde non infirmari nostrum argumentum, siquidem RR. PP. in Bullis illo non innituntur, sed iuri *proprio*, quod scil. titulo Primatus indirecte habent in res civiles [37].

303. **Obiic. 4.** Si Ecclesia de civilibus disponere posset, Status posset impediri in consecutione sui finis, et aliquando haberentur con-

---

[32] Cf. MEYER *Inst. juris naturalis* p. 1 *th.* 45 n. 507.

[33] Cf. INNOC. III et BONIF. VIII apud *Jungmann l. c.* Diss. 30 n. 52-83; LEON. XIII *Nous ne voulons pas* 22 Jun. 1892.

[34] MODERNISTAE in Enc. *Pascendi.*

[35] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 2.

[36] MODERNISTAE in Enc. *Pascendi.*

[37] Cf. JUNGMANN Diss. 30 n. 83.

flictus insolubiles: atqui haec repugnant sapienti dispositioni divinae providentiae: ergo. **Resp.:** *Nego utrumque suppos.* Non potest frustrari finis civilis societatis ex ecclesiastica jurisdictione, quia sunt circa diversa, et quia religio est prosperitatis Status necessarium fundamentum. Non dantur conflictus insolubiles, quia Ecclesia potest iudicare de causis mixtis.

304. **Obiic. 5.** Si ecclesiastica potestas foret independens, Status detineretur a religionis receptione, ne suam amitteret imperii plenitudinem: atqui Christus non fecit quae obstant religionis propagationi: ergo. **Resp.:** Detineretur rationabiliter *neg.*, irrationabiliter *trans.* Saepe diximus ex religione in genere et ex Ecclesia in specie bona plurima societati provenire; incommoda vero intrinseca non eximunt a vinculo moralis necessitatis, qua Status, non secus ac privata persona, tenetur veram religionem amplecti.

CAPUT III.

De intima Ecclesiae constitutione.

305. **Duplex Ecclesiae forma seu anima.** Cum Ecclesia, Scripturis praeeuntibus, comparetur corpori vivo, ex ordine ad substantialem corporum compositionem eius constitutiva dicuntur *corpus* et *anima,* et quidem ita ut « *corpus* iis elementis constituatur, quibus forma socialis Ecclesiae continetur, nempe ministerio Pastorum oviumque subjectione, professione fidei, sacramentorumque participatione; *anima* sint dona interiora fidei spei et caritatis, gratiae sanctificantis, ceterarumque virtutum » [1]. Verum aliter se habet anima viventis corporei ad corpus, et anima Ecclesiae ad societatem quam vivificat; illa enim corpus vivens constituit in ipso esse corporis, ita ut nulla alia forma ibidem inveniatur [2], « at corpus mysticum Ecclesiae constituitur in esse corporis independenter ab anima, quia, praecisione facta ab interioribus habitibus gratiae et virtutum, jam intelligitur socialis membrorum colligatio sub hierarchia, instructa duplici potestate tum jurisdictionis seu imperii, tum ordinis seu dispensationis sacramentorum; et ideo corpus ibi est simpliciter natura prius quam anima, imo vero, habet in se id quo ministerialiter sive instrumentaliter esse animae causatur » [3]. Quia ergo agimus de Ecclesia sub formali ratione *socie-*

[1] PALMIERI *De R. P.* Prol. § XI.
[2] S. THOM. 3 p. q. 85 a. 6 ad 2.
[3] BILLOT I *Proem. 2 p.* p. 281.

tatis, gratia et alia dona interiora non enumeramus inter constituiva Ecclesiae, eorumque explicationem ad tractatum *De Gratia* remittimus. Porro in societate materiam praebent subditi seu *membra*, forma est ab *auctoritate*, in qua origo et natura sunt consideranda; hinc sex articuli huius capitis 1 *De membris Ecclesiae*, — 2 *De origine potestatis Ecclesiae*. — 3 *De existentia ecclesiastici magisterii*, — 4 *De eius infallibilitate*, — 5 *et obiecto*. — 6 *De iurisdictionis plenitudine*.

ARTIC. 1 - DE MEMBRIS ECCLESIAE.

306. **Societatis membrum et subditus.** Nomine sumpto ex corpore organico Ecclesiae *membra* intelliguntur fideles quibus religiosa societas integratur, qui licet diverso gradu, aliquo tamen modo ad invicem cohaerent et sociales operationes agunt. *Subditi* tantum sunt qui societatem non constituunt, sed subjiciuntur sociali auctoritati ex originario quodam facto nondum penitus frustrato, ut v. g. in civili militia desertores, qui exercitum non constituunt et tamen suis ducibus subjiciuntur. Nobis de membris proprie dictis est agendum.

307. **Tria de ratione membri Ecclesiae.** Qui vel leviter considerat quamlibet societatem, videt peculiari facto (puta inscriptione, domicilio, nativitate, etc.) sua membra adscire, dein vero retinere prout ipsa ea non expellit et illa aliqua operatione (legum observantia, vectigalium solutione, muneris alicuius socialis exercitio, etc.) vitam socialem agunt, et a ceteris membris non sejunguntur : similiter ergo ut quis sit membrum Ecclesiae requiritur et sufficit eum *a*) *baptismo* mystico Christi corpori inseri, *b*) *fidei professione* et *dependentia* a legitima auctoritate vitam christianorum ducere et *c*) *excommunicatione* a fidelium coetu non separari.

308. **De prima conditione.** *Baptismum* esse originarium factum quo Ecclesiae membra constituuntur omnes concedunt, et si SUAREZ [1] excipis, communiter docent non solum paganos, sed et catechumenos non esse de Ecclesia. Sed sufficitne baptismus reputatus [2]? BELLARM., PALM. et PESCH [3] affirmant, quia sic baptizati, dum interiori gratia animae Ecclesiae conglutinantur, exteriori subjectione ejus corpori

---

[1] SUAREZ. *De Fide* Disp. IX sect. 1 n. 13 sqq.

[2] Baptismus *reputatus* seu aestimatus locum habet cum vitio materiae, formae vel intentionis invalide confertur, aut cum quis, baptizatum se existimans, christianorum more vivit, leges Ecclesiae observat, ejus auctoritati subjicitur et sacramenta suscipit.

[3] BELLAR. *De Eccl.* III c. 10; PALMIERI *De R. P.* proleg. § XI n. 4; PESCH *De Eccl.* n. 329.

unjuntur: BILLOT [4] melius negat, quia sicut in aliis societatibus reputata initiatio nullius est roboris, et reputatum matrimonium excusat a peccato usum coniugii sed illud non constituit; ita reputatus baptismus excusat a culpa usurpationem mediorum Ecclesiae, sed eius membrum non facit.

309. **De secunda conditione.** Haeretici vocantur qui deficiunt *ab unitate fidei,* seu non confitentur omnes veritates a Deo revelatas et ab Ecclesia propositas, distinguuntur autem in occultos et manifestos, formales et materiales. *Haereticus occultus* dicitur qui vel *solo corde* fidei dogma negat vel, si aliquo externo signo manifestat, hoc non facit *coram aliis,* seu notorie; *publicus* qui haeresim profitetur in publico et qua talis agnoscitur [5]: si dogma fidei est sufficienter propositum, qui negat dicitur haereticus *formalis,* si sufficiens propositio non est facta (v. g. rudi vel in haeretica natione degenti) haereticus dicitur *materialis.* Porro theologi conveniunt haereticos non esse membra Ecclesiae, sed dissentiunt cum in particulari quaeritur de haereticis *occultis* et de notoriis *bonae fidei.* **Haereticos occultos** connumerari Ecclesiae membris inter ceteros negant SUAREZ et FRANZ. [6] sed communius cum BELLAR. affirmant [7]. Ratio est quia haeretici occulti charactere baptismali Ecclesiae inseruntur, externe vero ideoque socialiter adhaerent ceteris membris unitate fidei et communionis. Hinc communi sententia episcopus vel parochus occulte haereticus jurisdictionem servat; nec exercitium actus socialis intelligitur in eo, qui societatis non est membrum [8]. — Quoad **haereticos bonae fidei** distinguendum est inter eos, qui rationis usum nondum sunt adepti, et alios qui in haeresi educati, cum adolescunt, ex ignorantia suis sectis adhaerent. Infantes rite baptizati, procul dubio sunt membra Ecclesiae; sacramentum enim effectum sortitur cum fictio non obstat, et infans, libertatis expers, sicut in baptismo obicem non ponit collationi gratiae, ita nec incorporationi cum mystico corpore Christi. Sed aliter sentiendum est de adultis qui, etsi *in voto* de corpore Ecclesiae maneant, eo quod

---

[4] BILLOT *De Eccl.* I p. 295 sqq.

[5] Quae stricte requirantur ad rationem *haeretici notorii* docet *theol. moralis.*

[6] SUAREZ *De Fide* Disp. IX sect. 1 n. 23 sqq.; FRANZ. *De Eccl.* thes. 22.

[7] BELLAR. *De Eccl.* III c. 10; PALMIERI *l. c.;* C. MAZZELLA n. 604 sqq.; BILLOT th. 11 p. 303; PESCH n. 295.

[8] Opponunt PIUM IX in Bulla *Ineffabilis* negantes dogma Immaculatae Conceptionis damnasse de defectione *ab unitate Ecclesiae;* sed Pius IX loquitur de *interiori unitate* non de externa, unde subjicit huiusmodi haereticos, *si* quod corde sentiunt, *verbo aut scripto, aut alio quovis externo modo significare ausi fuerint,* incurrere in poenas a jure statutas, quod non esset necessarium si solo interno dissensu a ratione membrorum deficerent.

implere volunt omnia quae Christus instituit, *re* tamen sunt de sola anima, quia externa fidei professione a vera Ecclesia recedunt, cui ne implicite quidem coniungi queunt, deficiente regiminis unitate [9].

310. **De tertia conditione.** Verum professio fidei in adulto baptizato non sufficit ad rationem membri Ecclesiae, quae est *una* non sola unitate fidei sed etiam communionis et regiminis, et ideo schismatici et excommunicati sunt extra Ecclesiam. **Schismatici** vocantur « qui subesse renuunt Sum. Pont. et qui membris Ecclesiae ei subjectis communicare recusant » [10]. Nota tamen non quamlibet inobedientiam erga R. P. schisma inducere, sed illam, qua homo se subtrahit ab eius obedientia nolens saltem practice [11] eius auctoritatem agnoscere : et similiter non quaelibet dissensio a fratribus unitatis communionem scindit, sed illa qua in ratione coetus religiosi a ceteris fidelibus quis sejungitur adhaerendo episcopo intruso, vel in religiosis actibus nolens cum fratribus communicare. Qui a legitima Ecclesiae auctoritate excluduntur ab aliorum communione, dicuntur **excommunicati,** et subdividuntur in *toleratos* (sive occultos sive notorios) et *vitandos,* prout Ecclesiae bonis tantum privantur vel quodlibet commercium cum fidelibus eis interdicitur. *Vitandi* communi sententia contra SUAREZ [12] non aestimantur Ecclesiae membra [13], *tolerati* communius [14] membris connumerantur, quia participationem communium suffragiorum et jurisdictionem ordinariam retinent, quod non esset si ab Ecclesiae corpore penitus forent abscissi. — Si nunc compares haereticos et schismaticos cum excommunicatis, habes illos *jure divino* a membris Ecclesiae excludi, unde nec ab eis recipi, nec aliquando eis conferri possunt sacramenta [15]; hi a membris Ecclesiae excluduntur *lege ecclesiastica,* quae in casu gravis necessitatis non obligat, unde in theologia morali recensentur casus in quibus (excommunicatione veluti suspensa) ab excommunicatis *vitandis* recipi et eis conferri possunt sacramenta [16].

311. **Errores — Veritas.** *Excessu* errarunt CONGREGATIONISTAE, UNIVERSALISTAE, GRAECI SCHISMATICI et MODERNISTAE omnes christanas sectas reputantes partes integrantes unius Ecclesiae, cuius fidem coarctarunt ad fundamentalia quaedam dogmata :

---

[9] Cf. BILLOT *l. c.* 299-302; PESCH *l. c.*

[10] S. THOM. 2-2 q. 89 a. 1.

[11] Qui *theoretice* primatum R. P. respuit est haereticus.

[12] SUAREZ *De Fide* Disp. IX sect. 1. n. 14.

[13] BELLAR. *De Eccl.* III c. 6.

[14] C. MAZZELLA n. 608.

[15] Excipitur tamen sacramentum Poenitentiae in articulo mortis, quando abest periculum approbationis haeresis.

[16] BILLOT. *th.* 11 p. 321.

defectu peccaverunt QUESNEL. WICLEF. et LUTHERANI solos sanctos, CALVINISTAE solos praedestinatos dicentes Ecclesiae membra [17]. **Veritas** docet Ecclesiam non esse *praedestinatorum universitatem* [18], neque *justorum* complexum [19], sed comprehendere justos et peccatores, qui haeresi, schismate vel excommunicatione separati non sunt a fidelium communione [20].

THES. 39. *Primum et principale requisitum in Ecclesiae membris est character baptismalis, quapropter pagani, judaei et catechumeni non sunt Ecclesiae membra.*

312. **Ex Scripturis.** Nam CHRISTUS misit Apostolos ut *baptismo* mundum salvarent [21], *baptismumque* fecit Ecclesiae januam [22]: ACTUS enarrant *baptismo* primos fideles esse appositos Ecclesiae [23]: PETRUS hebraeos et ethnicos conversos dicit *qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei* [24]: et PAULUS qui docuit *baptismo* sponsam Christi mundari [25], comparat *baptismum* circumcisioni, qua filii Abraham adjungebantur populo Dei [26], atque affirmat *baptismo* in Christi corpus fideles coalescere [27]. Qui ergo baptismum non suscipit mystico Christi corpori quod est Ecclesia non conjungitur. **Patres** docent catechumenos adhuc esse *in vestibulo* Ecclesiae [28], *alienos a fidelibus* [29], eisque *inserendos* [30], et **Ecclesia** orat ut catechumeni *fiant sua membra, ovesque veri Pastoris* [31]. Consonat **ratio,** nam in omni societate membra constituuntur nativitate vel juris solemnitate; atqui baptismus est vera nativitas spiritualis et ipso homines primo vocantur

---

[17] Cf. supra n. 207.

[18] Prop. 1-2 *Huss* dam. a MART. V.

[19] Prop. 71-8 *Quesn.* dam. a CLEM. XI; prop. 15 *Syn. Pist.* dam. a PIO VI.

[20] « Pastor aeternus... sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua velut in domo Dei viventis fideles omnes *unitatis fidei* et *caritatis vinculo* continerentur ». CONC. VATIC. *Past. aet.* cp. 1.

[21] *Euntes... qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit.* Marc. **16.** 15-6.

[22] *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritus S. non potest introire in regnum Dei.* Joan. **3.** 5.

[23] Act. **2.** 41; **10.** 1 - **11.** 17.

[24] 1 Petr. **2.** 10; Ephes. **2.** 12; 19; **5.** 8.

[25] *Ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae.* Eph. **5.** 26.

[26] Col. **2.** 11.

[27] Rom. **6.** 3; 1 Corinth. **12.** 13; Gal. **3.** 27.

[28] CYRIL. Hier. *Procatec.* n. 1; AUG. *De pecc. merit. et remis.* n. 39.

[29] CHRYS. *in Joan.* 34.

[30] GREG. Naz. *orat.* 40 n. 16. CYRIL. Hier. *l. c.* n. 17.

[31] LITURGIAE apud FRANZ. *De Ecclesia* th. 22 pag. 385-6.

fideles, qui ex baptismo nomen *pisciculorum* habent [32]: ergo. Accedit quod membra societatis jurisdictioni ejus subjacent et de socialibus bonis participant: atqui catechumeni [33] bona Ecclesiae non percipiunt nec eius subduntur jurisdictioni [34]: ergo.

THES. 40. *In adultis est de ratione membri Ecclesiae professio verae fidei et vinculum communionis, unde — 1 haeretici — 2 schismatici et — 3 excommunicati non sunt membra Ecclesiae.*

313. **Prima pars.** *Haeretici non sunt membra Ecclesiae.* Nam **Scriptura** haereticos dicit *non permanere* nobiscum, sed *ex nobis prodire* [35], *naufragare* [36] et ita penitus *subverti* ut pastores ipsi eos devitare teneantur [37]: atqui haec figuris, consectariis et apertis verbis dicunt haereticos ad Ecclesiam non pertinere: ergo. **Ex Patribus** « IREN. dicit Polycarpum multos haereticos ad Ecclesiam *convertisse;* ex quo sequitur eos antea fuisse de Ecclesia egressos. TERTUL. dicit Marcionem, cum ad Ecclesiam *redire* vellet, conditionem accepisse ut ceteros, quos perverterat, Ecclesiae *restitueret.* CYPR. dicit haereticos, cum *sint extra Ecclesiam,* tamen vindicare sibi Ecclesiae auctoritatem more simiarum, quae cum homines non sint, tamen homines videri volunt. HIER... (haereticos vocat) *non Ecclesiam Christi,* sed antichristi synagogam » [38]. AUG. dicit eos *christianos non esse,* de Ecclesia *exiisse* tamquam sarmenta inutilia *de vite praecisa* [39]. **Ratio** petitur ex praedictis de *unitate fidei* [40]; siquidem haeretici aliquod dogma impugnando et

---

[32] « Nos pisciculi, secundum Ἰχθὺν nostrum J. C. *in aqua nascimur* ». TERTULL. *De Baptis.* c. 1. et 9.

[33] DIONYS. *De Hier. Eccl.* c. 7; CONC. TRID. Sess. 14 cp. 2.

[34] BILLOT *l. c.* p. 294.

[35] *Antichristi multi facti sunt* (scil. haeretici Christum negantes)... *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis permansissent utique nobiscum: sed ut manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis.* 1 Joan. **2.** 18-9. In hoc testimonio tria docentur: *a*) haereticos occultos non esse de Ecclesiae anima, siquidem *non sunt ex nobis; b*) eos tamen esse de corpore, siquidem haeresis professione *exeunt,* quod non esset si haeresi occulta iam extra Ecclesiae fines constituerentur; tandem *c*) haereticos manifestos separationem consummasse et sic Christi inimicos seu antichristos factos fuisse, et de Ecclesia exiisse.

[36] *Habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.* 1 Tim. **1.** 19.

[37] *Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita.* Tit. **3.** 10.

[38] BELLAR. *De Eccl.* III c. 4.

[39] AUG. Serm. 5 n. 1.

[40] Cf. supra n. 221.

Ecclesiae magisterium respuendo nec formalem, nec materialem fidei unitatem servant.

314. **Secunda pars.** *Schismatici Ecclesiae membris connumerari nequeunt.* Nam in **Scripturis** Christus praecepit eum, qui Ecclesiam non audit, haberi uti ethnicum et publicanum [41] seu « a coetu fidelium exclusum » [42] : atqui schismatici Ecclesiae auctoritatem saltem practice non agnoscunt ac proinde eam non audiunt : ergo. **Ex Patribus** Cypr. affirmat « si quis cum episcopo non sit, in Ecclesia non esse » [43]; Hieron. docet « schisma propter episcopalem dissentionem ab Ecclesia pariter (ac haeresim) separare » [44] : Aug. schismaticos videt in piscibus qui de rupta rete exierunt [45], et Fulg. scribit : « Firmissime tene... haereticos atque schismaticos, qui *extra Ecclesiam Catholicam* praesentem finiunt vitam, in ignem aeternum ituros » [46]. **Ratio** sumitur *ex unitate communionis* [47], nam a σχίζειν *scindere* schismatici dicuntur qui sponte a communione fidelium recedunt.

315. **Tertia pars.** *Excommunicati non sunt membra Ecclesiae.* Nam in **Scripturis** incestuosum Corinthium, quem Paulus excommunicavit, dicitur *tolli de medio fidelium* [48] : atqui qui tollitur seu de corpore abscinditur, membrum ejus non manet : ergo. **Patres** dicebant excommunicatione per sacerdotes *de Ecclesia pelli* indignos [49], eosque *ejici* a communi consessu, *abscindi* a grege [50], spirituali gladio superbi et contumaces *necari* [51] ab Ecclesiae corpore *respui* [52], *separari a Christi corpore* [53], *separari ad ovibus sanis* ovem morbidam [54], etc. **Ratio** iterum petitur ab unitate communionis; sive enim quis se separet ab aliorum societate, sive ab ea legitima auctoritate separetur, in aliorum communione non manet. Posse autem Ecclesiam ob majora quaedam crimina fideles excommunicare, sequitur *a*) ex natura societatis perfectae quae potest subditos malos expellere, et *b*) ex plenitudine auctoritatis, quam

---

[41] *Si Ecclesiam non audierit : sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Matth. **18**. 17.

[42] Knab. in *Matth.* II p. 122.

[43] Cypr. ep. 59 ad *Pupianum.*

[44] Hier. in ep. ad *Titum.* **3**.

[45] Aug. in *Joan.* tr. 122 n. 7.

[46] Fulgent. *De Fide* c. 37.

[47] Cf. supra n. 220.

[48] 1 Corinth. **5**. 2, 13, coll. Cornely in *h. l.* p. 123 et 132.

[49] Orig. *In Judic.* hom. 2. n. 5.

[50] Chry. *In* 1 *Tim.* hom. 5 n. 2.

[51] Cypr. *Epist.* 62 *de Pompis.*

[52] Hil. *in Ps.* **118**. XVI n. 5.

[53] Ambr. *de Poenit.* I c. 15.

[54] Aug. *De Corr. et Grat.* c. 15.

accepit a Christo, qui ligatum dixit in coelis *quodcumque* in terris ligat Ecclesia [55].

THES. 41. *Praeter vindicatas conditiones alia non requiritur ad rationem membri Ecclesiae, et ideo — 1 praesciti et — 2 peccatores in ea possunt inveniri.*

316. **Prima pars.** *Non soli neque omnes praedestinati sunt de Ecclesia.* Nam J. BAPTISTA Ecclesiam comparavit areae in qua sunt paleae igne comburendae [56], CHRISTUS vero sagenae missae in mari etiam pisces foras mittendos congreganti [57], decem virginibus quarum quinque a nuptiis sunt expulsae [58], et ovili cujus sunt multae oves, quae nondum intraverunt [59]: atqui *paleae* comburendae, *pisces* foras mittendi, *virgines stultae* praescitos repraesentant, *oves* vero *quae non sunt in ovili* praedestinatos aliquando futuros in Ecclesia: ergo dantur praesciti qui sunt in Ecclesia, et praedestinati qui nondum in ea sunt. Hinc APOSTOLUS Corinthium incestuosum de Ecclesia expelli jubet, non quia praescitum, sed ut salvetur [60]: et AUG. clamat: « Secundum praescientiam et praedestinationem, quam multae oves foris, quam multi lupi intus! »[61].

317. **Secunda pars.** *Etiam peccatores sunt membra Ecclesiae.* **Ex Scripturis** revoca quae diximus de visibilitate Ecclesiae [62]; sive enim parabolis inhaereas [63], sive attendas verba, quibus peccatores *fratres* vocantur [64] et in Ecclesia exhibentur [65], sive consideres potestatem remittendi peccata [66], quae in subditos est exercenda, apparet peccatores membra quidem infirma sed vera esse Ecclesiae. **Patres** bonos et malos futuros dicunt in Ecclesia usque ad finem mundi, idque arguunt ex *arca Noë* in qua erant etiam animalia immunda [67], ex *Esau* qui cum Jacob fuit verus filius Rebeccae [68], ex *magna domo* in qua cum vasis pretiosis sunt lignea

---

[55] Matth. **16.** 19; **18.** 18.
[56] Matth. **3.** 12.
[57] Matth. **13.** 47-50.
[58] Matth. **25.** 1-13.
[59] Joan. **10.** 16.
[60] *Judicavi... tradere hujusmodi satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit.* 1 Corinth. **5.** 3-5.
[61] AUG. in *Joan.* tr. 45 n. 12.
[62] Cf. supra n. 208.
[63] Matth. **13.** 24-30; 47-52; **22.** 11-3.
[64] Matth. **18.** 15 sqq.; 1 Joan. **5.** 16.
[65] 1 Corinth. **5.** 1-5.
[66] Matth. **18.** 18-22; Joan. **20.** 21-3.
[67] HIER. *Cont. Lucif.*; AUG. *Serm.* 264 n. 5.
[68] AUG. *De Jacob. et Esau* serm. 4 n. 31.

et fictilia [69], ex *virginibus fatuis* prudentibus admixtis [70], ex *zizania* grano superseminato [71], ex *paleis* grano admixtis [72], etc.; unde docent quod in Ecclesia sunt *qui mollem et dissolutam vitam amplectuntur* [73], ac proinde distinguendum esse « inter eos, qui mali foris sunt, et eos *qui intus mali sunt* » [74]; siquidem illis praeclusa est via salutis, hi vero, quia corpori Christi adhuc sunt coniuncti possunt sanari [75]. **Ratio** pro utraque parte sumitur *ex visibilitate* Ecclesiae: quinam enim sint praedestinati ad inscrutabile Dei iudicium pertinet, nec sine revelatione quisquam de sua iustitia certus esse potest [76]: in particulari pro prescitis valet *iurisdictio* quae in solis membris esse potest, licet a non praedestinatis aliquando exerceatur, pro peccatoribus argumentum praestat *sacramentum poenitentiae*, quod Ecclesiae bonum externis conferri nequit.

318. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Si baptismus esset necessarius ad membrum Ecclesiae constituendum actum esset de visibilitate Ecclesiae, siquidem baptismi valor pendet ab invisibili intentione ministri: ergo. **Resp.** Non esset visibilis Ecclesia in sua multitudine *neg.*, in determinatis quibusdam membris *subd.*: in membris secundariis *conc.*, in suo capite *neg.* Iam vidimus Deum humanae infirmitati occurrere [77], ex humana ergo libertate nil evincitur contra visibilitatem Ecclesiae, vel necessitatem baptismi.

319. **Obiic. 2.** De presbytero quodam defuncto sine baptismo Innocentius III (melius II) ex Augustino docuit invisibiliter baptizatum fuisse, ac proinde preces pro eo esse fundendas atque hostias offerendas [78]: ergo sine baptismo aliquis de Ecclesia esse potest. **Resp.** *Neg. cons.* Nam Innocentius non docuit talem presbyterum fuisse Ecclesiae membrum, sed ex baptismi voto gratiam esse consecutum, in qua moriens, in Purgatorio poterat adiuvari bonorum operibus et sacrificiis. Porro in altera vita, ubi Christi visibile corpus seu Ecclesia militans cessat, justos pari ratione Christo incorporari et sic sanctorum communione nobis coniungi, plusquam probabile est [79].

320. **Obiic. 3.** Ecclesia jus dicit in haereticos: atqui jurisdictio in membra exercetur: ergo. **Resp.** *Conc. mai. et neg. min.;* etenim ut Ecclesia haereticos judicet, sufficit quod baptismo habeat *subditos* [80].

---

[69] HIER. *l. c.;* cf. 2 Tim. 2. 20.
[70] GREG. M. *In Evang.* hom. 12.
[71] CYPR *Epist.* 51.
[72] FULG. *De fide ad Petr.* c. 43.
[73] CHRYS. *l. c.*
[74] AUG. *De Baptis. cont. Donat.* IV n. 7.
[75] AUG. Serm. 137 n. 1.
[76] CONC. TRID. Sess. 6 cp. 9.
[77] Cf. supra n. 110.
[78] DECRET. III Tit. 43 c. *Apostolicam.*
[79] BILLOT *De sacramentis* I p. 584.
[80] Supra n. 306.

321. **Obiic. 4.** Ecclesia comparatur agro in quo est zizania: atqui zizania haereticos praefigurat: ergo. **Resp.** *Neg. min.* Nam zizania *peccatores* praefigurat, et si *haereticos* intelligere velimus, dicemus cum AUG. Ecclesiam communicare cum eis non in unitate societatis, sed in unitate *nominis christiani* [81].

322. **Obiic. 5.** Tantum oves Christi sunt de Ecclesia: atqui oves Christi non peribunt in aeternum [82]: ergo praesciti non sunt membra Ecclesiae. **Resp.** Non peribunt oves quae in ovili semper manent *conc.*, quae sunt in ovili *subd.:* non peribunt defectu auxilii sufficientis *conc.;* non peribunt propria malitia *neg.* Ut taceamus *Ecclesiam* in Scripturis et apud Patres nonnumquam dici de Ecclesia triumphante, quam profecto soli praedestinati constituunt, in objecto testimonio Christus « declarat potentiam suam, neminem esse fortiorem se, ut eos de manu sua eripiat; si pereunt, sua ipsorum voluntate, non ipsius infirmitate perire (*Mald.*); conabuntur homines eos avertere, ipse daemon tentabit multis modis; at confidant; nemo de ejus potestate eos poterit tollere, nisi ipsi sponte ab ejus protectione ac potestate se subtraxerint » [83].

323. **Obiic. 6.** Repugnat membrum diaboli esse membrum Christi: atqui faciens peccatum ex diabolo est [84]: ergo peccatores non sunt membra Ecclesiae. **Resp.** Peccatores certe non sunt *membra* perfecta Ecclesiae, « nam fides, nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit » [85]; tamen pertinent ad Ecclesiae *corpus* prout externe veram fidem profitentur et legitima auctoritate reguntur: sub hac vero formalitate non sunt membra diaboli sed Christi, cujus aliqualem influxum ex Ecclesiae bonis et potestate suscipiunt [86].

324. **Obiic. 7.** Apostolus praecipit ut fornicator, avarus, idolis serviens, etc. vitetur, nec cibus cum eo sumatur [87]: atqui cum Ecclesiae membris quisque communicare potest: ergo. **Resp.** Apostolus loquitur de peccatoribus communibus *neg.;* de excommunicatis *conc.* Antiqua lectio habet *si quis frater fornicarius* NOMINETUR; porro *nomen fornicarii* non esse inurendum privata sed publica auctoritate, qua reus excommunicatur, quamvis Apostolus expresse non dicat, cum AUG. docet CORNELY [88] esse subintelligendum.

---

[81] AUG. *Quaest. in Matth.* q. 11 n. 1.

[82] Joan. **10.** 27-8.

[83] KNAB. in *h. l.* p. 340.

[84] 1 Joan. **3.** 8.

[85] CONC. TRID. Sess. 6 cp. 7.

[86] « Percipiunt tales (peccatores) a Christo quemdam actum vitae, qui est credere; sicut si membrum mortificatum moveatur aliqualiter ab homine ». S. THOM. 3 p. q. 8 a. 3 ad 1.

[87] 1 Corinth. **5.** 11.

[88] CORNELY in *h. l.* p. 130 - 1.

325. **Obiic. 8.** Patres saepe peccatores excludunt ab immaculata sponsa Christi, quae est virgo casta nullam habens maculam [89]: ergo. **Resp.** Patres excludunt peccatores a potiori et nobiliori parte Ecclesiae, seu ab Ecclesia quae plenitudine vitae vivit, et in fine mundi regnabit in aeternum, *conc.;* secus *neg.* « Ubicumque, inquit AUG., commemoravi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, non sic accipiendum est, ac si jam sit, sed *quae praeparetur, ut sit,* quando apparebit etiam gloriosa » [90].

ARTIC. 2 - DE ORIGINE POTESTATIS ECCLESIAE.

326. **Quaestionis ratio.** Quaestio de materia aliam excipit de forma seu auctoritate, in qua considerari debent *origo, natura* et *subiectum.* Horum demonstratio fieri potest *distributive,* de unaquaque potestate probando quod est a Christo et residet in R. P. et in episcopis, vel *collective* probando quod tota Ecclesiae potestas est a Christo, dein de natura et subiecto traditae potestatis inquirendo: alteram hanc viam, ut Modernistarum errores directius impugnemus, eligimus; ne tamen iustos limites testimoniorum explanatio praetereat horum explicationem ad sequentes articulos remittimus.

327. **Quotuplex Ecclesiae potestas.** Ecclesia a civili societate in hoc essentialiter differt, quod haec omnia media socialia a natura habet, unde socialis auctoritatis est tantum dirigere voluntates ad consecutionem finis, quod *jurisdictione* consequitur: Ecclesia non habet media socialia a natura, siquidem media proportionantur fini et finis Ecclesiae est supernaturalis; et ideo ad Ecclesiae auctoritatem non spectat solum *jurisdictione* dirigere voluntates, sed etiam suppeditare principia salutis, quae sunt *veritates fidei* in Scriptura et Traditione contentae et *gratiae* per sacramenta effectae: primum operatur *magisterio* alterum potestate *ordinis* [1].

328. **Qua ratione hae potestates differant.** Potestatem *ordinis re* differre a potestate *jurisdictionis* omnes concedunt; sed de distinctione potestatis *jurisdictionis* a potestate *magisterii* disputant auctores. Plurimi e canonistis et theologis cum TARQUINI [2] negant, quia potestas magisterii non ordinatur solum ad veritatem ostendendam sed ad illam

---

[89] CHRYS. in 2 *Tim.* hom. 6; AUG. *Cont. Cresconium* II n. 26.

[90] AUG. *Retract.* IV c. 18; C. MAZZELLA n. 622-3; BILLOT p. 331-5.

[1] Cf. BILLOT. *De Eccl.* II p. 8-13.

[2] TARQUINI *Jur. Eccl. Publ. Inst* lib. I n. 4 nota; C. MAZZELLA *l. c* n. 756; A. NASONI *Jur. Can. Comp* Pars. I sect. I n. 1.

fidelibus praecipiendam, praecipere autem est actus jurisdictionis; alii numero et auctoritate non inferiores cum FRANZ.[3] opinantur distingui *subiecto* quia magisterium ad *extraneos* quoque pervenit[4], cum etiam *obiecto* quia magisterii est *exponere*, jurisdictionis *praecipere*[5]. Utraque sententia est probabilis: prima innititur CONC. TRID., quod in episcopis distinguit tantum ordinationem et missionem, necnon S. THOMAE qui Ecclesiae potestatem dividit in potestatem ordinis et jurisdictionis[6]; altera innititur CONC. VATIC. quod, statuta in primatu R. P. suprema *jurisdictione*, addit in eo comprehendi *quoque* supremam *magisterii* potestatem[7].

329. **Quomodo ratione subiecti connectatur.** Licet potestas *magisterii*, *iurisdictionis* et *ordinis* distinguantur, in eodem tamen subiecto inveniuntur, et quidem ita ut potestas magisterii et jurisdictionis sint simpliciter inseparabiles, ordinis vero connaturaliter illis vinciatur. Potestas *magisterii* et *jurisdictionis* sunt inseparabiles quia jurisdictio sine magisterio non moveret efficaciter voluntatem, quae intellectum sequitur, et magisterium non induceret fidei assensum si jurisdictione voluntatem non inclinaret in obsequium fidei[8]. Potestas *ordinis* adaequate differt a potestate magisterii et jurisdictionis, unde sicut deest in pontifice electo et non consecrato, manet in episcopo haeretico vel excommunicato: connaturaliter tamen ei coniungitur. Profecto jurisdictio *eget* ordine quia animae non pascuntur (scil. ad aeternam vitam perducuntur) sine administratione sacramentorum quae ordinis potestatem supponit. Ordo *eget* jurisdictione quia sacramenta, utpote bona Ecclesiae, dispensari debent ab his qui moderantur actus sociales, quique proinde sunt societatis praesules in alios potestatem habentes[9]. Hinc Patres et Concilia vetant episcopos extra suas dioeceses ordinare vel sacrificare sine licentia ordinari loci[10].

330. **Potestatis origo, forma et subiectum aliter determinari debent in societate civili et in Ecclesia.** Sicut ex super-

---

[3] FRANZ. *De Eccl. thes.* 5; BILLOT II p. 8-16; PESCH n. 284.

[4] Cum veritas una sit pro omnibus, etiam catechumeni et infideles tenentur amplecti veritates ab Ecclesia definitas.

[5] In hac sententia obligatio amplectendi veritates definitas pro fidelibus ex duobus procedit: *a*) ex magisterio, quo veritates proponuntur et *b*) ex jurisdictione quae, consequenter ad veritatis manifestationem, assensum praecipit.

[6] CONC. TRID. Sess. 23; S. THOM. 2-2 q. 39 a. 3.

[7] CONC. VATIC. *Past. Aetern.* c. 4-5.

[8] BILLOT *l. c.* p. 13-16.

[9] Ut videbimus in tractatu *de Sacramentis* poenitentia sine jurisdictione etiam *invalide* administratur, alia sacramenta *illicite* conferuntur.

[10] Cf. CONC. CARTAG. II et EPHES. apud *Billot* p. 22.

naturalitate Ecclesiae sequitur specialis extensio suae potestatis, quae ad solam jurisdictionem nequit coarctari, ita oritur specialis modus derivationis. Profecto *non est potestas nisi a Deo* [11], sed in societate civili forma regiminis et potestatis est a Deo *mediate*, prout ordinando hominem ad societatem ea voluit quae societati sunt propria [12]: unde civilis potestas *immediate* potest deduci a plebe [13], quae sicut ab initio formam socialem determinavit et subiectum designavit [14], ita gravissimis de causis [15], maxime cum praescriptione novi regiminis, reditus formae originariae fit impossibilis [16], valet gubernii formam mutare aliumque subiectum potestatis eligere [17]. Sed potestas Ecclesiae, eo ipso quod supernaturalis est, ex conditione vel exigentiis naturae non potest derivari, et ideo sicut positiva determinatione Dei debet in actum deduci, ita humana voluntate non potest mutari [18].

331. **Praecipua testimonia de Ecclesiae potestate.** De potestate ORDINIS habes quoad Eucharistiam *Hoc facite in meam commemorationem* [19]; quoad Poenitentiam *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt* [20]; quoad Confirmationem et Ordinem factum collationis, siquidem *confirmatio* [21] et *ordo* [22] constanter datur ab Apostolis, vel ab his qui ab Apostolis erant ordinati [23]; quoad Extremam Unctionem promulgationem Jacobi qui presbyteris praecipit ungere infirmos et orare super eos [24]. De potestate MAGISTERII sunt verba Christi: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra, euntes ergo docete omnes gentes... ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi* [25]. De po-

[11] Rom. **13**. 1.

[12] BILLOT *De Eccl.* III p. 14 sqq.

[13] Ita plures ex antiquis et modernis; alii tamen opinantur potestatem immediate esse a Deo, ab hominibus vero solam subiecti determinationem.

[14] BILLOT *l. c.* p. 18 sqq. Alii originariam formam principatus deducunt ex dominio proprietatis vel ex jure patrisfamiliae.

[15] Profecto mutatio formae gubernii vel subjecti potestatis *proportionatam* causam supponit ideoque *gravem*, siquidem sola gravis causa legitimare valet violationem jurium principis prioris et societatis commotionem quae mutationes huiusmodi solent comitari.

[16] Qui plebem non habent inalienabilem fontem potestatis, legimitatem mutationis repetunt a Deo, qui non societatem pro principe sed principes in bonum societatis constituit.

[17] BILLOT *l. c.* p. 29 sqq.

[18] BILLOT. *l. c.* p. 32 sqq.

[19] Luc. **22**. 19; 1 Corinth. **11**. 24.

[20] Joan. **20**. 22-3.

[21] Act. **8**. 14-7; **19**. 1-6.

[22] Act. **6**. 6; **13**. 3 coll. KNAB. *in Act.* p. 222; 2 Tim. **1**. 6.

[23] 1 Tim. **5**. 22.

[24] Jacob **5**. 14-5.

[25] Matth. **28**. 18-20.

testate REGIMINIS : *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo : et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo* [26]. De HIERARCHIA. *Ego elegi vos et posui vos ut eatis et fructum afferatis* [27] — *Spiritus S. posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* [28] — *Designavit... alios septuaginta duos et misit illos binos ante faciem suam*[29]. De PRIMATU : *Respondens autem Jesus dixit ei : Beatus et Simon Bar Jona : quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis : et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis* [30]. — *Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum : Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* [31]. — *Simon Joannis... pasce agnos meos... pasce oves meas* [32].

332. **Errores — Veritas.** M. PATAVINUS, E. RICHER, FEBRONIUS, GALLICANI et in genere STATOLATRAE Ecclesiae potestatem saltem in *foro externo* deducunt ex concessione Status [33] : LUTHERUS, JANSENISTAE, SYNOD. PISTOR. ex fidelium delegatione [34] ; MODERNISTAE « ex conscientia religiosa » [35]. **Veritas** definita est a PIO VI in condemnatione Synod. Pistor. : « Propositio quae statuit potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicetur Pastoribus..., sic intellecta ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii et regiminis potestas : haeretica »[36].

THES. 42. *Ecclesiae potestas — 1 non a Statu vel a fidelium consensu, seu collectiva conscientia, sed — 2 a Christo immediate procedit.*

---

[26] Matth. **18**. 18.
[27] Joan. **15**. 16 ; **6**. 71.
[28] Act. **20**. 28.
[29] Luc. **10**. 1.
[30] Matth. **16**. 17-9.
[31] Luc. **22**. 31-2.
[32] Joan. **21**. 15-7.
[33] Apud C. MAZZELLA n. 517-8.
[34] C. MAZZELLA n. 758, GROOT p. 415 sqq.
[35] In Enc. *Pascendi*. « L'esperienza religiosa suscitata fra gli uomini dalla apparizione del Cristo cercò senza indugio *di ricavare dal proprio grembo* un formulario dogmatico e una organizzazione autoritaria mediante i quali la nuova coscienza cristiana trovasse modo di essere alimentata e difesa ». *Il Programma* p. 84 ; p. 11, 86 etc. ; MURRI *La vita religiosa* Disc. 20.
[36] PIUS VI Dam. prop. 2 *Conc. Pist.* ; SYLL. pr. 19, 20, 24 ; CONC. VATIC. *Pastor* cp. 1-3.

333. **Prima pars.** *Ecclesiae potestas non est a Statu neque a consensu fidelium seu collectiva conscientia.* Hoc enim vel esset ex natura rei vel ex positiva Christi institutione : atqui ex neutro : ergo. PROB. MIN. *Non ex positiva Christi institutione,* quia de hac nullum testimonium ex Scripturis et Patribus potest adduci [37], imo clarissima in contrario extant, ut videbimus in secunda parte. *Non ex natura rei,* hoc enim esset vel ex parte *finis* quasi Ecclesia foret instituta in auxilium Status [38], vel ex parte *territorii* quasi proprio jure non posset in territorio Status promulgare leges eorumque observantiam urgere [39], vel ex parte *subiecti* quasi potestas regendi essentialiter emanaret a plebe in eaque inalienabiliter consisteret [40], vel tandem ex parte *cognitionis* quasi nihil esse vel saltem a nobis cognosci et demonstrari posset quod ex indigentiis (*bisogni*) humanitatis non eruitur [41]. Atqui ex parte *finis* non sequitur Ecclesiam a Statu emanare, quia, si juvat Statum in prosecutione sui finis, in se tamen est societas perfecta imo et superior [42] : nil evincitur ex parte *territorii* quia principatus politicus sicut non excludit a suo territorio proprietatem individualem, ita non excludit dominium religiosum, quod in mundum universum Christus contulit suae Ecclesiae [43] : nil evincitur ex parte *subiecti* quia origo *ultima* omnium potestatum est Deus [44], *proxima* vero in Statu quidem a plebe sumi potest, quatenus plebs est terminus divinae creationis cui inhaerent exigentiae naturae, sed in Ecclesia

---

[37] Cum ex origine reguletur usus potestatis Ecclesiae fundator de immediata origine potestatis silere non potuit.

[38] Ita NAPOLEO apud *Billot* II p. 125.

[39] PATAV., FEBR., GALLIC. apud *Billot* II p. 124.

[40] RATIONALISTAE et SOCIALISTAE apud Leonem XIII Enc. *Diuturnum.*

[41] MODERNISTAE Ecclesiae potestatem « ponunt ex duplici necessitate oriri, una in *credente* quovis, in eo praesertim qui primigeniam ac singularem aliquam sit nactus experientiam, ut fidem suam cum aliis communicet : altera postquam fides communis inter plures evaserit in *collectivitate* ad coalescendum in societatem et ad commune bonum tuendum, augendum et propagandum... (Scil.) consociatio religiosa in unum vere coalescere nequaquam potest, nisi una sit consociatorum conscientia, unaque qua utantur formula. Utraque autem haec unitas mentem quandam quasi communem expostulat, cuius sit reperire ac determinare formulam, quae communi conscientiae rectius respondeat : cui quidem menti satis auctoritatis inesse oportet ad formulam, quam statuerit, communitati imponendam ». PIUS X Enc. *Pascendi.*

[42] Cf. supra n. 286.

[43] Cf. supra n. 290.

[44] Rom. **13.** 1.

non licet quia supernaturalis est [45]: nil tandem evincitur ex parte *cognitionis* quia immanentismum religiosum multipliciter repugnare supra ostendimus [46]. — Paucis: nemo dat quod non habet: atqui potestas Ecclesiae, utpote supernaturalis, in nulla creatura continetur, ergo neque a Statu, neque a plebe, neque a conscientia collectiva provenire potest.

334. **Secunda pars.** *Ecclesiae potestas est immediate a Christo.* Nam ut constat ex praedictis de apostolicitate Ecclesiae et iterum dicemus agentes de subiecto potestatis, Ecclesiae potestas ipsamet est quae prius fuit in Apostolis a quibus in successores transiit: atqui Apostoli potestatem receperunt ab uno Christo qui eos elegit et misit [47] et pro quo legatione fungebantur [48], utpote ministri eius [49]: ergo. Profecto **Scripturae** [50] enarrant *immediatam electionem* Apostolorum [51], discipulorum et Petri per Christum, qui eos *misit* in mundum conferens eis *potestatem* consecrandi Eucharistiam, remittendi peccata, conficiendi omnia sacramenta [52], praedicandi Evangelium, et ligandi ac solvendi omnia. *b*) Neque huiusmodi potestatem Christus contulit Ecclesiae nomine fidelium, qui necdum extabant, sed plenitudine *suae* auctoritatis quam *a Patre* acceperat [53] et Apostolis tradebat ut suam ipsam missionem prosequerentur [54]. *c*) Sicut autem Christus independenter a Statu et a populo potestatem contulit, ita voluit ut independenter exerceretur; dedit enim plenissimam et inconditionatam, atque ut valerent *ab-*

---

[45] Cf. supra n. 330.

[46] Cf. supra n. 25 sqq.

[47] EGO *elegi vos — sicut misit me Pater et* EGO *mitto vos.* Joan. **15.** 16; **20.** 21.

[48] *Pro Christo legatione fungimur.* 2 Corinth. **5.** 20.

[49] *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* 1 Corinth. **4.** 1.

[50] Dedimus n. 331.

[51] Attendas quomodo Apostoli electionem Matthiae posuerint in manu Dei, sortem dantes inter Josephum et Matthiam Act. **1.** 20-6, et Paulus legitimitatem sui Apostolatus vindicet, quia accepit *non ab hominibus neque per hominem, sed per J. C.* Gal. **1.** 1.

[52] Quoad sacramenta Confirmationis, Extremae Unctionis et Ordinis non habemus explicita testimonia de collatione potestatis *per Christum,* sed facile intelligitur *ex facto* praedicto; si enim a plebe haec potestas procederet, etiam laicis aliquando esset data.

[53] *Postula à me et dabo tibi gentes hereditatem tuam.* Ps. **2.** 8. *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo* etc. Matth. **28.** 18 sqq.

[54] *Sicut misit me Pater et ego mitto vos.* Joan. **20.** 21.

solvere insufflavit super eos Spiritum S. [55], ut possent *docere* promisit Spiritum veritatis [56], ut *gubernarent* misit alium Paraclitum a quo episcopi sunt positi regere Ecclesiam Dei [57], *ne errarent* Patrem exoravit [58] et *ne deficerent* suam assistentiam usque in finem mundi promisit [59]. — **Patrum** testimonia in decursu tractatus dabimus, in praesenti pauca sufficiant. *De potestate ordinis* CYR. Alex. ait: « D. N. J. C. divinorum altarium sacerdotes *per se ipsum* perfecit » [60]: *de magisterio* IREN. docet quod apostolorum successores « cum episcopatu charisma veritatis certum *secundum beneplacitum Patris* acceperunt » [61]; *de potestate regiminis* GREG. Naz. principibus civilibus dicit: « Vos quoque imperio meo ac throno *lex Christi* subjecit » [62]; *de hierarchia* sic CLEM. Rom.: « Cuncta ordine debemus facere, quae nos *Dominus* statutis temporibus *peragere jussit*... Summo quippe sacerdoti sua munera tributa sunt, sacerdotibus locus proprius assignatus est, et levitis sua ministeria incumbunt » [63]: *de primatu* CYPR. ait quod Ecclesia catholica est « supra Petrum *Domini voce* fundata » [64]. **Ratio** proposita est in prima parte ex noto principio quod nemo dat quod non habet; societas enim civilis *supernaturali* auctoritate caret. « Quare (in Ecclesia) potestas via prorsus directa a Deo in Christum, a Christo in eius vicarium, a Christi vicario in ceteros quosvis praesules descendit, nulla alia persona sive physica sive morali in ratione causae mediae se habente » [65].

335. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Testimonia quae pro divina origine potestatis Ecclesiae afferuntur ad illam Scripturae partem pertinent quae posterioribus saeculis est addita: ergo nihil evincunt [66]. **Resp.** Post rationalistas [67] Modernistae aprioristica critica

---

[55] *Insufflavit et dixit: Accipe Spiritum S.: quorum remiseritis* etc. Joan. **20.** 22.

[56] *Rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum... ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis.* Joan. **14.** 16-26.

[57] Act. **20.** 28.

[58] Joan. **17.** 17-21; Luc. **22.** 32.

[59] *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* Matth. **28.** 20.

[60] CYRIL. *in Joan.* XII c. 56.

[61] IREN. *Adv. haer.* IV c. 26.

[62] GREG. Naz. *or.* 17.

[63] CLEM. Rom. 1 *Ad Corinth.* c. 40. 1-5.

[64] CYPR. epis. 70 *Ad Januar.*

[65] BILLOT *De Eccl.* III p. 33.

[66] LOISY *Autour* etc. p. 176; *L'Évang. et l'Église* p. 104-13.

[67] CORNELY *Comp. Intr.* etc. Diss. IV § 5 n. 7.

a primis codicibus Scripturae utique expungunt omnia quae suis theoriis contradicunt ea tribuentes posterioribus auctoribus; sed iam vidimus Scripturae retractationem nullo positivo argumento suffragari, et contradicere diligentiae Patrum, qui de integritate Scripturae semper fuerunt soliciti [68].

336. **Obiic. 2.** Nulla societas perfectam organizationem ab initio assequitur: atqui praesens Ecclesiae organizatio est perfecta: ergo. **Resp.** *Evolutione* omnia efformari est Modernistarum postulatum, quod si in ceteris non probatur, multo minus valet in operibus divinis, cuius opera sunt perfecta [69].

337. **Obiic. 3.** Ecclesiae originem per Christum sufficienter explicatur dicendo quod ipse dedit primum impulsum, quod dein *vitali permanentia* paullatim in praesentem formam excrevit: ergo [70]. **Resp.** Non quaerimus de modo quo Ecclesiae auctoritas *potuerit* esse a Christo, sed quomodo *fuit;* probavimus autem etiam in concreto omnia fuisse a Christo determinata.

338. **Obiic. 4.** Primis temporibus sacrorum ministri a populo eligebantur [71]: ergo potestas Ecclesiae humanae originis habebatur. **Resp.** *Neg. suppositum* et *assertum.* Nego *suppositum* quia simplex designatio personae non evincit collationem potestatis, quemadmodum Cardinales eligendo R. P. designant subiectum sed non tradunt potestatem quae a Christo datur: nego *assertum* quia Apostoli non ex necessitate sed ex prudentia, ne scil. partium studio moveri viderentur, personarum electionem devolverunt plebi, sibi tamen reservatis eligendorum numero et potestatis collatione [72].

ARTIC. 3 - DE EXISTENTIA ET NATURA MAGISTERII ECCLESIAE.

339. **Quid magisterium.** « Secundum hoc unus alium *docere* dicitur, quod discursum rationis quod in se facit ratione naturali, alteri exponit per signa; et sic ratio naturalis discipuli, per huiusmodi sibi proposita sicut per quaedam instrumenta, pervenit in cognitionem cognitorum » [1]. Scientia itaque, auctoritas et ars dicendi magistrum constituunt: *scientia* ut magister prius cognoscat quae alium doceat, *ars dicendi* ut verbis et exemplis valeat proprios conceptus patefacere, *auctoritas* quia discipulus non statim omnia potest intueri, unde « opor-

---

[68] Supra n. 136.
[69] Supra n. 198.
[70] MODERNISTAE in Enc. *Pascendi.*
[71] Act. **6.** 5.
[72] *Considerate... viros boni testimonii* SEPTEM *plenos Spiritu S. et sapientia, quos* CONSTITUAMUS *super hoc opus.* Act. **6.** 3.

[1] S. THOM. *De Verit.* XI 1.

tet attendere expertorum et seniorum et prudentium indemonstrabilibus enuntiationibus et opinionibus, non minus quam demonstrabilibus; propter experientiam enim vident principia » [2].

340. **Quale Ecclesiae magisterium.** Magisterium sequitur naturam *auctoritatis;* si enim auctoritas innitur loquentis studio et explicatur demonstratione, qua conclusiones ut ex principiis fluentes proponuntur, dicitur *scientifica;* si jus dicendi non innitur studio loquentis, nec commensuratur argumentorum evidentiae, sed vim habet ex altiori principio, puta ex officio, dicitur *authentica.* Jamvero Ecclesiae auctoritas est authentica; licet enim ordinarie non exerceatur sine studio et aliqua demonstratione [3], suam tamen vim directe mutuatur ab institutione et voluntate Christi. Hinc Ecclesiae magisterium non absolvitur veritatis *propositione,* sed includit illiusmet *praescriptionem,* cui respondet in fidelibus officium verae obedientiae [4], quae, ut videbimus, ad externam tantum praxim nequit coarctari, sed ad internum animi assensum pervenire debet [5].

341. **Ecclesia docens et discens.** Ex proposita magisterii notione intelligitur distinctio Ecclesiae *docentis* et *discentis* quarum prior constat coetu pastorum altera fidelium turma [6]. Distinctionem hanc etiam Modernistae agnoscunt, sed corrumpunt quoad originem et quoad munus. Quoad *originem,* quia non deducunt ex institutione Christi sed a vitali evolutione fidei, quae sicut exigit principium progressus (plebem) ita exigit principium conservationis (auctoritatem): quoad *munus,* quia Ecclesiae discenti tribuunt veritatum inventionem et propositionem, docenti servando meram earum acceptationem et sanctionem [7]. Sed ex praedictis patet quod Ecclesiae docentis *auctoritas* est a Christo [8]: quod vero attinet ad *officium,* Ecclesia docens non sequitur sed praecedit discentem, nec debet recipere veritates a plebe, sed eas praescribere, ut revelationis testis, custos, interpres et iudex. *Testis* quidem quia infallibiliter cognoscens sine errore praedicat; *custos* quia doctrinam fidei tueri debet damnatione falsi nominis scientiae et verae doctrinae revelationi connexae approbatione; *interpres* quia jure proprio sacrorum dogmatum sensum pandit, qui scientiae progressu

---

[2] S. Thom. 2-2 q. 49 a. 3.

[3] Argumenta quibus RR. PP. et Conc. procedunt ad definitionem, aliquando referuntur in documentis, sed magisterium authenticum rem ipsam definitam respicit, non motiva.

[4] Groot *l. c.* p. 344.

[5] De natura huius assensus infra dicemus.

[6] Supra n. 182.

[7] Modernistae in Enc. *Pascendi.*

[8] Cf. supra n. 334.

mutari nequit; *iudex* quia de personis et de doctrinis in ordine ad fidem sententiam ferre potest et debet.

342. **Magisterium solemne et ordinarium.** Haec distinctio respicit modum quo Ecclesia jus et officium docendi exercet. Magisterium SOLEMNE in actum deducitur *definitionibus* RR. PP. et Conciliorum [9]: magisterium ORDINARIUM explicatur Episcoporum R. P. adhaerentium *a*) consensu expresso vel *b*) tacito atque *c*) sacri ministerii exercitio. *Consensu expresso* cum episcopi universi decretum particularis concilii recipiunt, vel rogati a R. P. respondent in materia fidei, vel, exorta controversia, plebem edocent, vel libros de fide (v. g. catechismum) edunt aut approbant etc. *Consensu tacito* cum doctrinae propagationi, quae fit in propriis dioecesibus, scienter et volenter non resistunt. *Exercitio ministerii* sive *teoretice* homiliis et litteris pastoralibus fidem exponendo, sive *practice* sacramenta administrando et cultum Dei liturgicis actionibus perficiendo et promovendo [10].

343. **Quousque Ecclesiae magisterium influat.** *De jure* nullis limitibus coarctatur, quia veritas una est pro omnibus et quia Christus misit Apostolos in mundum universum ut docerent omnes gentes [11]. *De facto* non solum *a*) exercetur in *catholicos* ad unitatem fidei servandam [12], sed ad extraneos pervenit: et *b*) primo quidem directe ad catechumenos, quos catholici evangelizatores legitima missione edocent de revelatione christiana, *c*) dein indirecte ad *ethnicas nationes* quae christianorum commercio paullatim civilizantur [13]; imo *d*) ei debentur propagatio principalium veritatum fidei, quae fit per *schismaticos* et *haereticos:* tum quia illi fidei dogmata ab Ecclesia mutuarunt tempore unionis, tum quia publica et instans praedicatio Ecclesiae est ratio saltem indirecta cur apud sectas separatas revelationis lumen non penitus fuerit extinctum: « si (enim) corrueret columna illa ac firmamentum veritatis, si quiesceret solemnis illa fidei praedicatio, quae ex alto nostrae cathedrae per omnem terram indesinenter sonat, quam cito in separatis confessionibus concideret insubsistens ac dearticulata christianae doctrinae particula, quae hactenus supervixit! » [14].

344. **Errores — Veritas.** Ecclesiae magisterium negavere REFORMATORES, qui ex fundamentali principio de immediata relatione

---

[9] Ad hujusmodi magisterium reducuntur, ut infra videbimus, decisiones SS. Cong.

[10] Magisterium ordinarium vocatur etiam *activa traditio*. FRANZ. *De Trad.* th. 8. 12 p. 64 sqq.; PESCH n. 462-3.

[11] Matth. **28.** 19-20; Marc. **16.** 15.

[12] Cf. supra n. 222.

[13] Cf. supra n. 175.

[14] BILLOT *De Eccl.* II p. 69-70.

redempti ad Salvatorem, dixerunt singulis fidei notitiam esse propositam in Scripturis ex Spiritus S. impulsu privato examine intelligendis [15]. Accedunt MODERNISTAE blaterantes quod « in definiendis veritatibus ita collaborant *discens* et *docens* Ecclesia, ut docenti Ecclesiae nihil supersit nisi communes discentis opinationes sancire » [16]; et quidem ita ut « cum proscribit errores, nequeat a fidelibus exigere ullum internum assensum » [17], nec valeat « singulorum hominum conscientias prohibere quominus impulsiones quas sentiunt palam aperteque profiteantur, et criticae viam praepedire qua dogmata ad necessarias evolutiones impellat » [18]. **Veritas** continetur in *Profes. Fidei* CONC. TRID.: « Sanctam, catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et *magistram* agnosco » [19].

THES. 43. *Revelationis doctrina — 1 non ex privato examine Scripturae, — 2 neque ex Spiritus S. impulsu, — 3 neque ex collectivae conscientiae dictamine, — 4 sed ex vivo Ecclesiae magisterio est agnoscenda.*

345. **Prima pars.** *Revelationis doctrina non est deducenda ex privato examine Scripturae.* Nam huiusmodi medium dum *non probatur,* est *inadaequatum, insufficiens,* et unitatis fidei *eversivum.* NON PROBATUR, quia nec *a priori* constat, siquidem pendet a libera Dei voluntate, nec *a posteriori* evincitur ex Scripturis quae hoc non dicunt et sine circulo vitioso de se testare non possunt [20]. Est INADAEQUATUM, quia revelatio non continetur in sola Scriptura sed etiam in Traditione. Est INSUFFICIENS, quia medium cognoscendi revelationem esse debet *facile* et *omnibus paratum,* dum privatum examen Scripturae supponit *linguarum* originalium textuum peritiam non communem, *criticae artis* ad restitutionem codicum primitivorum profundam notitiam, peracutum

---

[15] Cf. BELLARM. *De Verbo Dei* III c. 3; C. MAZZELLA *De Eccl.* n. 324; *De Virt. Inf.* n. 965; PESCH n. 259, GROOT p. 345, supra n. 65.

[16] DECR. *Lamentabili* pr. 6; E. DIMNET *La pensée catholique dans l'Angl.* p. XXX 1906.

[17] DECR. *Lamentabili* pr. 7.

[18] PIUS X Enc. *Pascendi.*

[19] PIUS IV 1654 Bulla *Injunctum;* CONC. TRID. sess. 24 *De Refor.* cp. 12; CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 3.

[20] Non est paritas inter CATHOLICOS et REFORMATORES; illi enim procedunt a Scripturis *historice* inspectis et a *miraculis,* hi ex Scripturis uti a documentis inspiratis procedere debent.

ingenium ad difficillima, cujusmodi sunt mysteria, percipienda, diligentissimum *studium* ad plurimum contextum examinandum, et ad antiquissima documenta invenienda et explananda, necnon profundam *scientiam* historiae, et philosophiae, sine quibus multa falsa pro veris assumerentur [21] : haec autem nec facilia nec prompta, imo nec possibilia sunt multitudini, quae in exordio vitae fidem tenetur amplecti [22]. Est FIDEI EVERSIVUM, quia fides esse debet una pro omnibus, dum privatum examen pluralitatem sententiarum inducit; unde post decem vel quindecim annos a Reformationis origine OSIANDER jam recensere potuit 20 sententias de justificationis modo, et LUTHERUS scripsit quod si « diutius steterit mundus, iterum foret necessarium, *propter diversas Scripturae interpretationes, quae nunc fiunt,* ut conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus » [23].

346. **Secunda pars.** *Revelationis doctrina non est deducenda ex Spiritus S. impulsu.* Nam iterum atque iterum hoc non probatur, contradicit experientiae et est periculis plenum; admisso enim subjectivo inappellabili motivo ut supremum veritatis criterium, nullum erit horrendum facinus, quod illusione, fanatismo vel hypocrisi legitimari non poterit ex supposito Spiritus S. instinctu, quemadmodum revera fecerunt *Mahumetus, Anabaptistae, Quakeri, Puritani* et *Methodistae* [24].

347. **Tertia pars.** *Revelationis doctrina non est deducenda ex conscientiae collectivae dictamine.* Hoc enim innitur triplici fundamentali errori circa *cognitionem* revelationis, *naturam* magisterii et *originem* potestatis. Scil. cum MODERNISTAE *revelationem* habeant quasi dictamen conscientiae (maxime socialis) ab exigentiis naturae per animorum impulsiones determinatum, logice concludunt manifestationem revelationis a collectiva conscientia non emanantem esse contradictionem in terminis : cum *magisterii officium* revocent ad electionem formularum, quibus fidelium sententia exprimitur, consequenter docent definitionem independentem a conscientia collectiva carere fundamento : cum *auctoritatem Ecclesiae* derivent a plebe, merito sententia data contra vel praeter fidelium opiniones apparet eis potestatis abusus. Sed huiusmodi

---

[21] Cf. CORNELY *Comp. intr.* etc. Diss. II § 2; Diss. III § 5.

[22] BILLOT *De Eccl.* II p. 32-8.

[23] LUTHER *C. Oecolamp. et Zwingl.*

[24] MILNER apud MIGNE *Dem. Evang.* XVII c. 601-7.

fundamentalia Modernistarum principia sunt tot errores, siquidem iam vidimus revelationem esse per divinam locutionem [25] et Ecclesiae potestatem immediate procedere a Christo [26] mox autem probabimus magisterium Ecclesiae non passive sed active se habere ad plebium fidem. Ergo.

348. **Quarta pars.** *Ut revelatio ab omnibus certo et facile perciperetur, Christus in sua Ecclesia vivum magisterium instituit.* Nam in saepe citatis testimoniis mittens Apostolos in mundum universum Christus ait: *Euntes* DOCETE *omnes gentes: baptizantes eos...* DOCENTES *eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* — *Euntes in mundum universum* PRAEDICATE *Evangelium omni creaturae qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui non crediderit condemnabitur* [27]: munus ergo a Christo datum Apostolis eorumque successoribus [28] est munus docendi et praedicandi quae sunt fidei ut *per eorum verba* plebs *credendo* salva fiat: atqui in hoc consistit magisterium activum: ergo. Hinc Paulus qui Apostolos, Pastores et doctores constitutos dicebat ut *occuramus omnes in unitatem fidei* et *non circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum* [29] atque Timotheo praecipiebat aliis commendare quae ab ipso *audierat* ut et illi idonei essent *alios docere* [30], sibi vindicabat jus praedicandi Evangelium tali ac tanta auctoritate, ut si angelus quilibet aliter doceret audiri non posset [31]. Quapropter genesim fidei describens ajebat: *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non* AUDIERUNT? *Quomodo autem credent sine* PRAEDICANTE? *Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est: Quam speciosi* PEDES *evangelizantium pacem evangelizantium bona!* [32]. **Patres** fidei veritates tam clare ex magisterio Ecclesiae deducebant, ut haereticos ex Traditione impugnarent [33], et Scripturas ipsas ab Ecclesia su-

---

[25] Cf. n. 67.

[26] Supra n. 334.

[27] Matth. **28**. 19-20; Marc. **16**. 15.

[28] Officium praedicandi Evangelium non fuisse personale constat *a*) ex natura rei siquidem agebatur de medio perveniendi ad fidem quod pertinet ad societatem ipsam, *b*) et quia in tali munere Christus promisit Apostolis suam praesentiam usque ad finem mundi, quod profecto in successoribus tantum contingere poterat.

[29] Ephes. **4**. 13-4.

[30] 2 Tim. **1**. 13; **2**. 2.

[31] Gal. **1**. 8.

[32] Rom. **10**. 14-5.

[33] IREN. *Adv. haer.* c. 3 p. 2; TERTUL. *De Carne Chr.* c. 2; CYPR. *De Unit. Ecc.* n. 10, 19; HIER. *Adv. Lucif.* n. 27; AUG. *C. epist. fund.* c. 5.

sciperent, secundum notissima AUG. verba : « Ego Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas » [34]. Hinc IREN. : « Eis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris *obedire oportet,* his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus; qui cum episcopatu *charisma veritatis* certum, secundum beneplacitum Patris acceperunt... Hi enim et eam, quae est in Deum, fidem nostram custodiunt, et Scripturas sine periculo nobis exponunt » [35]. **Ratio** congruentiae sumitur ex praedictis, siquidem solo magisterio universitas hominum potest facile et sine errore revelationem agnoscere [36]. Nonne in naturalibus magisterium est medium quo ignari ad scientiam adducuntur? Atqui in rebus fidei quisque naturaliter ignorat *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum* [37]. Ergo.

THES. 44. *Ecclesiae magisterio respondet obligatio exterioris et interioris assensus fidelium.*

349. De exteriori assensu, qui explicatur *a*) publica professione veritatum quas Ecclesiae magisterium confirmavit, et *b*) silentio imo reprobatione doctrinarum quas Ecclesia damnavit, nihil est specialiter dicendum cum in assensu interno mox vindicando includatur et immediate fluat ex potestate docendi, quae sine exteriori obedientia omni frustraretur effectu. Quod vero attinet ad internum assensum nota quod in **Scripturis** CHRISTUS comminatus est aeternam ruinam iis qui Apostolorum praedicationi, *non crediderint* [38], praecipiens ut quasi ethnicus et publicanus haberetur qui Ecclesiam non audit [39], siquidem qui spernit seu non audit magistros Ecclesiae Christum ipsum spernit [40]. APOSTOLUS vero dicebat se accepisse apostolatum *ad obediendum* (graec. *obedientiam*) *fidei in omnibus gentibus* [41] efficiendam, ut scil. apostolica auctoritate et non persuasibilibus humanae sapientiae verbis induceret credentes ad obediendum fidei sine ulla contradictione [42].

---

[34] AUG. *De util. cred.* c. 17.

[35] IREN. *Adv. haer.* IV c. 26.

[36] Cf. n. 82.

[37] 1 Corinth. **2.** 9.

[38] *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui non crediderit condemnabitur.* Marc. **16.** 16.

[39] *Si Ecclesiam non audierit: sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Matth. **18.** 17.

[40] *Qui vos audit me audit: et qui vos spernit me spernit.* Luc. **10.** 16.

[41] Rom. **1.** 5.

[42] CHRY. in *h. l.* apud Cornely p. 48.

Atqui *fides* non consistit in sola externa professione veritatis, sed est internus animi assensus ut per se patet et in tractatu *de Fide* explicabitur. Ergo magisterio Ecclesiae fideles non debent tantum externam reverentiam, sed internum animi consensum. **Ex Patribus** citari possunt quos dedimus supra [43]; non secus enim a Scriptura loquuntur de *fide*, quae externa tantum professione non absolvitur. **Ratio** est manifesta, nam formale objectum magisterii non est externa fidelium unitas quae proprie a *jurisdictione* attingitur, sed veritas; hinc magisterium illas potentias respicit quae ad veritatem ordinantur scil. intellectum et voluntatem, quarum prima elicit, altera imperat assensum. Ceterum intellectus assentiri debet veritati cognitae et recedere a manifesto errore: atqui ex magisterio Ecclesiae apparet veritas et detegitur error: ergo.

350. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Christus auditores suos remisit ad Scripturas, ut de veritate suae missionis convincerentur: ergo medium ad acquirendam fidem est Scriptura [44]. **Resp.:** Christus remisit ad Scripturas tamquam ad unicum revelationis fontem *neg.*, tamquam ad fontem inadaequatum *sub.*: ita ut Scripturae sensus non ex privato examine, neque ex Spiritus S. impulsu sed ex legitima auctoritate agnosceretur, *conc.;* aliter *neg.* Christus maxime *miraculis* comprobavit suam missionem et divinitatem; ad Scripturam vero non remisit vulgum, sed eos, qui super cathedram Moysis sedentes, magistrorum habebant officium [45].

351. **Obiic. 2.** Per Jeremiam dicit Dominus: *Dabo legem meam in visceribus eorum et in corde eorum scribam eam... et non docebit ultra vir proximum suum dicens: Cognosce Dominum* [46]. Ergo in N. T. unusquisque a Deo docetur, nec ullo eget magisterio. **Resp.:** Jeremias loquitur de abundantiore gratia N. T., et de fidei propagatione in populo Israël *conc.*, negat magisterium, quo fides perveniat ad aures et ad cor, *neg.* « Nota, inquit KNABEN., duo foedera inter se comparari in reliquis membris v. 33 et 34 non cum mutua quadam inter se exclusione, sed habita ratione perfectionis. Unde consequitur si in veteri foedere adfuit magisterium, id non negari pro novo... In 34 nihil aliud asseritur nisi, legem illam non per hominem animis inscribi, sed per Deum; doctrinam externe acceptam per se minime sufficere, ut eam animo imbibatur modo salutari » [47].

---

[43] Cf. n. 348.
[44] Joan. **5.** 39; Act. **17.** 11.
[45] Matth. **23.** 2.
[46] Jerem. **31.** 34.
[47] KNAB. *in Jerem.* p. 393-5. *NB.* PALMIERI *De Rom. Pont.* p. 217 explicat de *cognitione existentiae veri Dei* quae communis est in N. L., dum

352. **Obiic. 3.** *Spiritualis judicat omnia,* inquit Apostolus, *ipse autem a nemine judicatur* [48]. Ergo pro homine, spiritu Dei ducto, nullum requiritur magisterium. **Resp.:** *Neg. cons.* Nam Apostolus non loquitur de magisterio Ecclesiae, quod praesupponit, sed docet hominem instructum doctrina fidei et adjutum divina gratia posse judicare de rebus humanis et divinis, dum ipse sufficienter non aestimatur ab homine qui humanam tantum sapientiam sequitur. Hunc esse objecti testimonii sensum tam manifestum est, ut ex modernis protestantibus « ne unus quidem inveniatur, qui verba paulina ita interpretari audeat, ut singulis fidelibus ius vindicet judicandi de sensu Scripturarum aut eos a nullo judicari posse doceat » [49].

353. **Obiic. 4.** Joannes et Paulus volunt ut non statim credamus, sed prius probemus an loquens ex Spiritu sit [50]. Ergo ultimum veritatis criterium in rebus fidei reponi debent in privato judicio et non in magisterio Ecclesiae [51]. **Resp.** Docent Apostoli ut non temere procedamus in rebus fidei, sed ex veritatis notitia, per magisterium accepta, judicemus de bonitate vel malitia praedicatorum *conc.,* negant magisterium Ecclesiae *neg.* Ut alias notavimus [52] aliquo sensu verum est quod ultimum criterium assensus fidei est nostra ratio; credere enim non valemus nisi prius credendum esse judicaverimus. Sed huiusmodi mentis judicium, quo fidei assensus fit rationalis, non obstat magisterio Ecclesiae [53]: siquidem non respicit ipsam veritatem credendam sed motiva credibilitatis eius: cum itaque Ecclesiae propositio sit *proxima* ratio credibilitatis veritatum fidei (quas infallibiliter docet) [54], in judicio pratico credibilitatis revelationis non excluditur sed praesupponitur.

354. **Obiic. 5.** In numero Ecclesiae discentis plures sunt docti praeclaris ingenii qui linguarum peritia, arte critica et eruditione in

---

hebraei in idololatriam saepius ruebant. Alii exponunt de *beatifica visione* quae est fructus N. T. Melius forte distinguitur prout *ratione foederis* in V. T. non dabatur gratia interior sed solum externe frater docebat fratrem de Deo, in N. T. ex conditione ipsa foederis Deus praedicatores suos sequitur et interius loquitur. Cf. PADOVANI *in Hebr.* **8.** 11 p. 253-4. Similia dicenda sunt de Isai. **54.** 13 coll. Joan. **6.** 45.

[48] 1 Corinth. **2.** 15.

[49] CORNELY in 1 *Corinth.* p. 72.

[50] 1 Joan. **4.** 1; 1 Tess. **5.** 21.

[51] BILLOT *De Eccl.* II p. 49.

[52] Supra n. 77.

[53] Rationalistae et modernistae valde decipiuntur cum *irrationalem* aestimant assensum fundatum in auctoritate Dei et Ecclesiae, siquidem in fide humana hoc ipsum contingit et ratio dictat esse credendum ei de cujus scientia et veracitate constat.

[54] Ratio remota credibilitatis revelationis sunt miracula et prophetiae quae ostendunt Deum revelasse et Ecclesiam habere auctoritatem docendi.

immensum praestant episcopis et cardinalibus, qui saepe ingenio tardi, solemnitatibus et honoribus cultus intenti, pleni divitiis, et ad plausum inconsciae plebis hiantes, studiis valedicunt et damnant quod ignorant [55]: atqui absonum est sapientes insipientibus credere: ergo **Resp.** Docti Ecclesiae discentis saepe praestant magistris Ecclesiae docentis auctoritate scientifica *trans.*, auctoritate authentica, *neg.* Inprimis calumniose insectantur principes Ecclesiae quasi indocti, superbi et avari; sicut enim historia sacra docet praecipuos Patres, doctores et sanctos fuisse episcopos, ita in praesenti RR. PP., cardinales et episcopi plures excellunt scientia et pietate: adde saniorem et vere sapientiorem Ecclesiae discentis partem, quae rationalistarum et protestantium erroribus non est infecta, pleno corde episcopis adhaerere, quos profundis studiis adjuvat, ut e conciliorum disputationibus et ex praxi SS. RR. Cong. notissimum est. Etiamsi ergo *scientifice* res foret discutienda Ecclesia discens non praestaret docenti. Verum auctoritas Ecclesiae docentis non fundatur in solo studio, eruditione et ingenio episcoporum, sed maxime in assistentia Christi et Spiritus S., quam quidem modernistae negant sed Scripturae, ut diximus et dicemus, undequaque testantur.

355. **Obiic. 6.** Mentis obsequium non inconscium et servile esse debet sed rationale et liberum sicut decet humanam naturam et libertatem qua donavit nos Christus [56]: ergo non imperio sed persuasione et argumentis moveri debet. **Resp.** Assensus scientificus moveri debet rationibus et non auctoritate *conc.* assensus fidei *neg.* Modernistae notionem revelationis corrumpentes etiam assensum fidei pervertunt, sed in tractatu *de Fide* videbimus assensum fidei non procedere ab evidentia rei, sed ab auctoritate, quae mediante voluntate movet intellectum ad adhaerendum iis quae non apparent. Neque huiusmodi assensus est contra naturam intellectus; hic enim rationabiliter inclinatur a voluntate in assensum fidei, quando adsunt sufficientia motiva credibilitatis.

356. **Obiic. 7.** Auctoritas authentica scientiae progressum impedit: ergo est respuenda. **Resp.** *Neg. ant.* Modernistae et Rationalistae auctoritatem magisterii concipiunt uti vim brutam seu caecam ad verum et falsum indifferentem, sed ex Christi praesentia lumen mutuans, Ecclesia ab incommutabili veritate deficere nequit, unde maximi auxilii est scientiae, cui notitia veri non nocet sed prodest [57].

---

[55] Modernistae in *Il Program.* p. 33, 123, 131; A. Briggs. *The Papal com. and Pentat.* 1906.

[56] Anonym. *Il Program.* p. 11-2.

[57] Supra n. 78, 79.

Artic. 4 - De magisterii Ecclesiae infallibilitate.

357. **Inerrantia - infallibilitas.** Egimus de existentia magisterii Ecclesiae; ad ejus naturam procedentes, occurrit notio immunitatis ab errore. Porro duplex est immunitas ab errore, altera *consequens* et solius facti, altera *antecedens* et ipsius possibilitatis: prima nomine proprio vocatur *inerrantia* [1], secunda *infallibilitas*. Ecclesiae non solam inerrantiam sed veram infallibilitatem vindicantes, notamus eam *absolutam* esse et non *conditionatam* sicuti est infallibilitas facultatum nostrarum, quae errare non possunt *si* non sit defectus in medio vel in organo. Licet enim (saltem ordinarie) in suo exercitio praesupponat quaestionis definiendae examen, et fontium revelationis studium; attamen, cum in actum deducitur, ambigi nequit de sufficienti usu mediorum, et ex infirmitate rationum, quibus forte definitio fulcitur, nihil contra veritatem et certitudinem doctrinae definitae potest concludi: secus, ut Episc. Brix. in relatione ad Conc Vatic. notabat, « hoc infallibilitatis donum medium efficax ad unitatem Ecclesiae conservandam et reparandam non esset ». Unde « assistentia divina... est causa ita efficax ut judicium summi Pontificis (vel Ecclesiae), si esset erroneum impediretur, aut si reapse Pontifex (vel Ecclesia) ad definitionem deveniat, illa infallibiliter vera existat » [2].

358. **Infallibilis magisterii radix.** Jam age: duplex est infallibilitas: alia *a se*, quae soli Deo competit, alia *participata*, quae ex divino influxu derivatur; haec autem iterum dividitur prout homo in veritate firmatur principio *intrinseco* et permanenti, quomodo fit in coelo lumine gloriae et beatifica visione, vel solum principio *extrinseco* et fluenti. Infallibilitas magisterii Ecclesiae non est desumenda ex deificatione, neque ex habitu permanenti [3], sed ex externo et transitorio auxilio, quo Deus impedit ne ipsa in veritate cognoscenda erret vel in manifestando decipiat. Porro externum et fluens infallibilitatis auxilium tripliciter haberi potest: *revelatione* qua Deus directe manifestat veritatem, *inspiratione* qua homo fit Dei instrumentum ad veritatis enuntiationem sub divina motione et *assistentia* qua supernaturali providentia Deus ita omnia

---

[1] Aliquando *inerrantia* dicitur de impossibilitate errandi et tunc *re* ab infallibilitate non differt.

[2] Coll. Lacens. tom. 7 col. 401; Billot II *th.* 16 p. 50; III *th.* 31 p. 171; C. Mazzella *De Eccl.* n. 792. Palmieri p. 597, 713; Pesch 458.

[3] Cf. Cajet. com. in 1-2 q. 56 a. 3.

disponit, ut homo in intelligendo et loquendo non erret. Infallibilitas Ecclesiae non talis est ut Spiritu S. « revelante novam doctrinam patefaciat, sed ut eo *assistente*, traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodiat et fideliter exponat » [4].

359. **Quid divina assistentia importet.** Duo notionem divinae assistentiae complent. Primum et principale est *negativum* et consistit in remotione eorum, quae in errorem inducerent; aliud *positivum* prout Deus, qui singulos fideles supernaturalibus gratiis in agnitione veritatum fidei juvat, suam Ecclesiam illustrationibus et notionibus dirigit ut *tempore opportuno* fidei dogmata firmet et explicet [5]. Ex primo apparet utilitas imo (ut videtur) necessitas humanae industriae in definitionis opere, et explicantur diuturna ac profunda studia, quae RR. PP. et Concilia sive per se sive per theologos definitionibus praemittunt: ex altero intelliguntur instantes preces, jejunia, sacrificia, etc. quibus Spiritus S. lumen et robur implorantur ad definitionem rite peragendam.

360. **Non omnis magisterii actus est infallibilis.** Non defuerunt qui infallibilitatem et magisterium converterent, quasi omnis magisterii actus infallibilitate polleret, unde locuti sunt de *extensione* infallibilitatis R. P.[6], ac si Conc. Vatic. R. P. privilegium definiens, non signasset etiam incommunicabilitatem illius et circumstantias, quae infallibilitatis exercitium comitantur. Hi non intellexerunt latius patere magisterium, quam infallibilitatem. Profecto in societate bene ordinata non est tantum *suprema* potestas sed etiam potestas *participata* et inferioris gradus, imo ipse princeps ordinarie praeceptis non tam urgentibus, adhuc et consiliis gubernat. Cum ergo Christus Ecclesiae tradidit potestatem magisterii, non praecepit ut semper tota sua auctoritate doctrinali doceret, sed dedit ut, juxta prudentiae leges, pro opportunitate majoribus causis occurreret supremo magisterii gradu, minoribus inferiori potestate. « Auctoritas magisterii, inquit Franz., a Christo instituta in Ecclesia... dupliciter spectari debet. Primo ut singulis actibus est sub assistentia Spiritus S. ad infallibilem definitionem veritatis, seu ut est *auctoritas infallibilitatis*. Secundo velut extensive, ut magisterium idem agit auctoritate quidem pascendi sibi divinitus

---

[4] Conc. Vatic. *Past. aeter.* cp. 4.

[5] Palmieri *De Rom. Pont.* p. 595.

[6] Cf. quae de *Post Obitum* scripserunt *Scuola Cattolica* et *Osservatore Cattolico* a. 1901-2.

commissa, non tamen tota ejus intensione, si ita loqui fas est, nec ultimatim definiendo veritatem, sed quantum necessarium et opportunum et sufficiens visum fuerit ad securitatem doctrinae; quam auctoritatem possumus forte dicere *auctoritatem providentiae doctrinalis* » [7]. Ex infallibilitate sequitur doctrinae *irreformabilitas,* ex doctrinali providentia securitas. Et si naturam hujus *securitatis* vis attingere, respondet BILLOT in hoc esse quod *pro tali temporis differentia* in sensu composito cum rationibus adductis et auctoritate declarantis, est certissime *tuta* vel *non tuta* sententia, quae a legitimo magisterio approbatur vel reprobatur. Quia tamen « illud quod nunc *non est tutum,* attento praesenti statu rationum, potest postea fieri *tutum,* novis rationibus accedentibus », ideo potest « absolute contingere ut alia decisio edatur elidens priorem » [8].

361. **Solemne et infallibile magisterium exercetur definitione** [9]. Cum enim infallibilitas spectet ad *supremum* magisterii actum (plus enim quam infallibile esse nequit), ejus exercitium supponit etiam actum *specifice ultimum* in linea affirmationis seu judicii: atqui actus quo *directe* et *terminative profertur sententia,* propria voce dicitur *definitio* [10]: ergo « Ecclesia non est infallibilis *nisi in ipsa definitione* » [11]. Hinc *a)* Ecclesiae infallibilitas non extenditur ad investigationes, quae praecedunt definitionem, neque *b)* ad illa quae sunt obiter dicta; neque *c)* ad rationes sive theologicas sive Scripturae et Traditionis, quae in confirmationem definitionis adducuntur, (nisi hae ipsae speciali definitivo judicio sanciantur); neque ad illa quae solo magisterio doctrinalis providentiae proponuntur, cuiusmodi sunt *d)* decreta SS. CC. *e)* eorumque confirmationes, quae fiunt a R. P., *f)* constitutiones quibus oeconomice aliquid statuitur, uti contigit in celebri *constitutivo* Vigilii *de tribus capitulis,* ac *g)* doctrinales expositiones veritatum, quas R. P. episcopis interrogantibus reddit vel litteris encyclicis proponit, quin velit definire [12].

---

[7] FRANZ. *De Trad.* thes. 12 Sch. 1.

[8] BILLOT II *thes.* 19 p. 117-9.

[9] Dicimus magisterium *solemne* quia *ordinarium* potius quam definitione exercetur praxi et catechesi; dicimus *solemne* quia magisterium *doctrinalis providentiae* explicatur saltem ordinarie sola propositione doctrinae.

[10] RELATIO *episc. Brix.* ad Conc. Vatic. apud BILLOT II p. 164.

[11] C. MAZZELLA n. 704. Hinc Ecclesiae *infallibilitas* potest definiri: *Privilegium quo ex assistentia Spiritus S. in rebus fidei et morum definiendis Ecclesia nec falli nec fallere potest.*

[12] C. MAZZELLA n. 385, 794; FRANZ. *De Trad.* th. 12 Sch. p. 119; BILLOT III th. 31 p. 164; PESCH n. 507.

362. **Quomodo definitiones innotescant.** CONCILIA ordinarie definiunt declarando quod doctrina pertinet ad *thesaurum revelationis,* vel ad *catholicam veritatem* vel ad *sanam doctrinam a Ch. D. et ejus Apostolis eruditam,* necnon damnando oppositas sententias uti *haereticas,* mulctando *excommunicatione* aut *anathemate* eos, qui illis adhaerent. RR. PP. definire solent commemorando auctoritatem Apostolicam, qua suffulti, *docent,* et *definiunt,* vel de *necessitate salutis* doctrinam *proponunt,* vel *damnant* [13]. Quia tamen nulla determinata forma statuta est a Christo, etiam aliis verbis possunt definire; in quorum interpretatione « multum valet tum virorum sapientium judicium, tum Ecclesiae sensum et consensum »[14]. Quod si omnibus perpensis dubium maneat de intentione definiendi [15], « quod attinet ad gravitatem obligationis ex definitione enascentis, pro nondum definitis censeri debebunt » [16].

363. **Fuitne infallibile magisterium in V. T.?** Quidam considerantes synagogam non agnovisse Christum, negant [17]; alii numero et auctoritate majores affirmant [18], siquidem sine infallibili magisterio Sacrae Litterae V. T. nec omnimoda certitudine poterant cognosci, nec tam longo saeculorum cursu ab erroribus servari immunes. Quod si quaeras cui hoc infallibile magisterium commissum fuerit, respondendum est datum esse synagogae prouti in prophetico munere praecursorem prius dein complementum habuit. Prophetis, qui saltem a Moyse usque ad Esdram semper fuerunt [19], infallibilitatem magisterii V .T. deberi, inde constat quod in rebus fidei eis credendum erat [20]: etiam penes synagogam fuisse magisterium, deducitur ex verbis Christi suos auditores remittentis ad scribas et pharisaeos [21]; hanc tamen ex sese non fuisse infallibilem inde suadetur quod dedecuit esse duplex et independens magisterium, quo extante nec prophetae debuissent miraculis et prophetiis propriam missionem probare [22]. Nil ergo mirum quod synagoga erraverit Christum non recipiens; synagogae enim errorem correxit plus quam propheta *Joannes* [23] qui te-

---

[13] MAZZELLA n. 385; BILLOT III th. 31 p. 167; PESCH n. 454.

[14] TANNER *De fide* q. 4 dub. 6 n. 262.

[15] Sic v. g. disputant theologi an responsio *Stephani* in causa rebaptizantium, *Honorii* in quaestione monothelitarum, *Syllabus,* Decr. *Post Obitum* sint locutiones ex cathedra. Argumenta hinc inde brevitatis causa non damus; negativae tamen sententiae maxime quoad ultimas quaestiones favemus.

[16] BILLOT III *th.* 31 p. 169.

[17] CROSTA *Theol. Dog.* I n. 503.

[18] BECANUS *Analog. V et N. T.* c. 11 q. 2; FRANZ. *De Eccl.* thes. 3; BILLOT II *th.* 16 p. 53-7; etc.

[19] Cf. CORNELY *Intr. in Sacr. Scrip.* Diss. VI c. 1 § 1 n. 4.

[20] Deut. **18.** 18-19.

[21] Matth. **23.** 2-3.

[22] Deut. **18.** 21-2.

[23] Malach. **3.** 1 coll. Matth. **11.** 9; Luc. **16.** 16.

stimonium de Christo perhibuit [24], et ipse *Christus*, qui veritatem suae missionis miraculis et prophetiis prope innumeris ostendit [25].

364. **Infallibiltati** ACTIVAE **seu magisterii respondet infallibilitas** PASSIVA **seu in credendo.** Res est manifesta, siquidem, *a*) magister sine discipulis frusta esset, *b*) multo magis quod infallibile magisterium, est *medium* a Christo institutum ad unitatem fidei assequendam. *c*) Adde *unitatem* Ecclesiae non esse solius communionis, sed *fidei*, fluentem ex unitate regiminis [26], ac proinde repugnare quod oves a pastoribus separentur et multitudo fidelium infallibili magisterio contradicat. Si autem quaeras undenam ultimo repetenda sit haec firmitas fidelium in fide, respondeo ex eodem esse principio quo indesinenter firmatur sanctitas passiva Ecclesiae, scil. ex divina providentia et abundantissimis gratiis Dei.

365. **Errores — Veritas.** Praeter eos qui magisterium ipsum impugnarunt [27], *infallibilitatis* notionem perverterunt CALVINUS et HODGE eam revocantes ad solam Ecclesiam discentem [28]. **Veritas** pluries indirecte proposita, ultimo est confirmata in CONC. VATIC. definiente R. P. « ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit » [29].

THES. 45. *Infallibilitatis praerogativa Christum Ecclesiam suam ornasse — 1 probatur Scriptura, et — 2 confirmatur Patribus ac ratione.*

366. **Prima pars.** *Scriptura docet Christum infallibilitatem tribuisse suae Ecclesiae.* **1 Argum.** *Ex plenitudine potestatis Ecclesiae.* Nam ostendimus *magisterium* ad Ecclesiae potestatem pertinere : atqui potestas Ecclesiae in suo ordine est illimitata, siquidem *quaecumque* (et ideo etiam quomodocumque) ipsa ligat in terris, est ligatum et in coelis [30] : ergo cum Ecclesia irreformabili judicio aliquid decernit, Deus confirmat, nec potest Deus absolutum et irreformabilem assensum ad falsa praecipere. **2 Argum.** *Ex praesentia Christi et Spiritus S.* Nam Christus Apostolos mittens ad praedicandum, in ipso docendi munere promisit suam as-

---

[24] Joan. **1**. 7; 15; etc.
[25] FRANZ. *De Eccl.* th. 3 p. 21 sqq.
[26] Cf. n. 222.
[27] Supra n. 344.
[28] Apud C. MAZZELLA n. 785.
[29] CONC. VATIC. *Past. Arter.* cp. 4. Cf. *Dei Filius* cp. 3; § 4 cn. 2; NICAEN. II; pr. 27 *Luth.* et pr. 94 *Quesnel.*
[30] Matth. **18**. 18; **28**. 18.

sistentiam [31], et praesentiam Spiritus S. sub ratione *Spiritus veritatis* [32]: atqui ex natura rei et ex scripturali usu divinitatis praesentia importat communicationem divini attributi in ordine ad obiectum de quo agitur, et consequentem infallibilem exitum [33]: ergo Christus promisit Apostolis infallibile magisterium: atqui rursus infallibilitas promissa Apostolis manere debebat in Ecclesia: ergo. PROB. MIN. Nam Christus futurus est cum Apostolis *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi,* et Spiritum veritatis cum eis manere debet *in aeternum* (εἰς τὸν αἰῶνα) scil. usque ad finem mundi [34]: atqui Christus usque ad finem mundi in terris manere non potest cum Apostolorum *personis,* sed solum cum eorum *officio* in successoribus perdurante: ergo. **3 Argum.** *Ex magisterii fine.* Nam, teste Apostolo, Christus dedit pastores et doctores ad consummationem sanctorum (ac proinde usque ad finem mundi), ut *occuramus omnes in unitatem fidei* nec *simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris* [35]: atqui magisterium, quo fideles semper retinentur in veritate, etiam cum suprahumanis tentationibus agitantur, fallibile esse nequit: ergo. **4 Argum.** ex celebri testimonio Apostoli: *Haec tibi* (Timotheo) *scribo..., ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis* [36]. In hoc testimonio Apostolus *de Ecclesia catholica* dicit quod est *columna et firmamentum veritatis:* atqui praedicatum *columna et firmamentum veritatis* exprimit infallibile magisterium: ergo. PROB. MAJOR. Nam juxta grammaticae leges praedicatum de nomine immediate praecedenti enuntiatur; unde, teste ipso protestante DAILLÈ, *versiones* omnes et *cuncti Patres* verba columna etc. *referunt* ad *Ecclesiam* [37]; hanc autem non esse Ephesinam sed *universalem,*

[31] Matth. **28**. 19-20.

[32] Joan. **14**. 16-7.

[33] Cf. n. 260.

[34] *Consummationem saeculi* et *aeternitatem* significare interminabilem durationem hujus vel futurae vitae declarabimus in tractatu *de Novissimis,* interim cf. Matth. **13**. 39; **24**. 3; Luc. **1**. 55; 70; Joan. **9**. 32 etc.

[35] Eph. **4**. 11-4.

[36] 1 Tim. **3**. 14-5.

[37] DAILLÈ in *h. l.* serm. 21. E Protestantibus non defuerunt qui nostrum praedicatum referrent ad *magnum pietatis mysterium* (v. 16) vel ad *Timotheum;* sed, ut cetera taceamus, primae interpretationi obstat syntaxis, quae in praedicatis vetat regressum a notione concreta (*columna et firmamentum*) ad notionem abstractam et genericam (*certe magnum*); alteri obstat grammatica, quae praedicatum vel appositionem tribuit nomini immediate praecedenti.

exigit proprietas vocis, siquidem ecclesia particularis numquam dicitur simpliciter *Ecclesia* et multo minus *Ecclesia Dei vivi,* ubi genitivus excellentiae alludit ad electam sponsam Filii *Dei vivi,* quae ex fidelibus lapidibus *vivis coalescit* [38]. PROB. MIN. Nam στύλος (*columna*) est columna praecipua domus [39], sustentans et firmans ea quae superimponuntur; unde metaphorice exprimit illud a quo aliquid mutuatur firmitatem, stabilitatem et securitatem: ἑδραίωμα (*firmamentum*), quamvis sit vox inusitata, si revocatur ad etymologiam (ἕδρα = sella) et ad similes voces (ἑδραῖον = *quod est firmum* [40], ἑδραιόω = *stabilio*) exprimit ideam rei, in qua aliquid consistens sustentatur et firmatur; unde metaphorice dicit rem quae, in se firma, est ratio firmitatis eorum quae ipsi innituntur. Cum itaque Apostolus Ecclesiam vocat *columnam et firmamentum* veritatis fidei [41], docet quod Ecclesia tribuit revelationi absolutam firmitatem: atqui firmitas quam Ecclesia tribuit veritatibus fidei non est *intrinseca,* hanc enim habent ex auctoritate Dei revelantis: ergo est extrinseca seu quoad nos, prout infallibiliter suo magisterio eam nobis proponit [42].

367. **Secunda pars.** *Ecclesiae infallibilitatem testantur Patres et suadet ratio.* Revera **Patres** Ecclesiam habent *a*) Christi immaculatam sponsam, quae *in fide* et charitate *persistens,* cum falsis magistris fornicare nequit [43]: *b*) civitatem illuminatam, quae *nequaquam habet erroris tenebras* [44]: *c*) firmissimam petram, quae

---

[38] Ephes. **5**. 27; Matth. **16**. 16; I Pet. **2**. 5; supra n. 178 — OBJIC. *a*) Paulus loquitur de Ecclesia in qua Timotheus conversari debebat, nec *b*) de eodem subiecto dici potest quod sit *domus* et *columna* (pars domus). RESP. *a*) Ecclesia particularis est pars universalis, unde Timotheus scire debebat quomodo conversandum esset in Ecclesia universali, ne, unitate scissa, gregem sibi commissum perderet. Nulla *b*) vero repugnantia quod eadem res sub diverso respectu diversis rebus assimiletur: Ecclesia est *domus Dei* relate ad Deum, qui eam inhabitat, *columna* respectu *veritatis,* quam aliis manifestat.

[39] Columnae secundariae, quae ad ornatum pertinent, vocantur στῆλαι vel κίονες.

[40] 1 Corinth. **7**. 37; **15**. 58.

[41] Dicimus *veritatis fidei,* quia in Scripturis ἡ ἀλήθεια de ordine supernaturali accipitur et Apostolus instruit Timotheum de modo docendi *in Ecclesia* et confundendi *haereticos.* **4**. 1-6.

[42] PALMIERI *De R. P.* p. 155-60.

[43] CYPR. *De Unit. Eccl.* c. 5; FULG. ep. *ad Prob.* c. 5; P. CHRYSOL. *Serm.* 61.

[44] HIERON. in *Isai.* **60**.

haeresum impugnationibus non quatitur, sed *in haeresum conflictu* sola et *semper vincit* [45] : quae proinde, *d*) constituta ministra Christi in propagatione Evangelii, est *regula veritatis* [46], atque *e*) *catholica plenitudine veritatum fidei,* quas indefectibiliter servat [47], *f*) est facilis et *brevis via* ad omnes *haereses evertendas* [48] : *g*) siquidem *ex Spiritus S. praesentia* in errorem cadere non potest [49]. « Dicitis, sic CLEM. Alex. insectatur haereticos,... facta est Ecclesia... sed imperitia male intelligentium postea erravit... Hanc sacrilegam vanitatem evertit evangelica veritas, et prophetarum atque sanctorum Patrum non violanda auctoritas » [50]. Et CYRIL. Hier. : « *Catholica* vocatur (Ecclesia)... quia *universe et absque defectu docet omnia, quae in hominum notitiam venire debent dogmata,* sive de visibilibus et invisibilibus sive de coelestibus et terrenis rebus » [51]. Similiter AUG. : « Contradicunt linguae multae, diversae haereses, diversa schismata personant... tu curre ad tabernaculum Dei, Ecclesiam catholicam tene, *a regula veritatis noli discedere,* et protegeris in tabernaculo a contradictione linguarum » [52]. Primum **rationis** argumentum sumitur ex *necessitate religionis christianae:* nam « infallibilem auctoritatem sibi Ecclesia de facto vindicat, eamque omnibus sub anathemate credendam imponit, imo instar basis et fundamenti in oeconomia religionis collocat. Atqui impossibile omnino est ut aliqua religio sit a Deo, et verum non sit ipsummet totius doctrinae, quam religio illa praedicat, fundamentale principium; impossibile est ut firma falsi dogmatis fides requiratur ut essentialis conditio ad ingressum arcae, extra quam non est salus; impossibile demum ut civitas Dei ea dicatur, cuius integra compages mendacio vel certe errori superstrueretur » [53]. Ergo. Etiam ex aliis Ecclesiae proprietatibus sequitur eius infallibilitas; etenim sine infallibili magisterio *a*) contra

---

[45] EUSEB. *De praep. Evang.* I c. 3; HIL. *De Trin.* VII c. 4; ALEX. Alex. epist. ad *Alex. Cp.;* CHRYS. *De Pent.;* ISID. *Pelus.* I c. 238; AUG. *De Sym.* serm. 1 c. 6; GREG. M. *in Job.* IX c. 6.

[46] EUSEB. *l. c.;* AUG. *in Ps.* **30** n. 8; *C. epist fund.* c. 5; *De util. cred.* c. 17.

[47] CYRIL. Hier. *Catech.* XVIII c. 23.

[48] ATHAN. *Ad Epictet.;* HIER. *Dial. c. Lucif.* n. 27.

[49] « Ipsam, quae nunc est Ecclesiam, *nisi Dominus inhabitaret,* iret in errorem quemlibet studiosissima speculatio ». AUG. *in Ps.* **9** n. 12; IREN. *Adv. haer.* III c. 24 n. 1; TERTUL. *De praescr.* c. 28.

[50] CLEM. Alex. *Strom.* VII c. 17.

[51] CYR. Hier. *l. c.*

[52] AUG. *in Ps.* **30** n. 8.

[53] BILLOT I *Prooem.* 2 p. p. 280.

Ecclesiae *unitatem* haberentur diversae fidelium sententiae de fide, *b*) contra Ecclesiae *sanctitatem* essent falsae opiniones de Deo et ex erroribus mentis corruptio morum, *c*) contra Ecclesiae *indefectibilitatem* sequeretur mutatio dogmatum, quae sunt veluti principia fundamentalia religionis supernaturalis [54]. — Nonne tandem ex facto definitionis huius privilegii veritas infallibilitatis Ecclesiae elucet? Dicemusne nobilissimos viros, quales fuerunt Conciliorum Patres, inique privilegium usurpasse, quod nec imperatores nec haeretici sacrilego ausu sibi unquam addixerunt?

368. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Verba *Matth.* et *Joan.* agunt de infallibilitate unjuscujusque Apostoli: atqui infallibilitas unjuscujusque Apostoli fuit personalis et non transiit in successores: ergo. **Resp.** Primario agunt de *personali* infallibilitate Apostolorum *neg.*, secundarie et ex quadam verborum extensione *trans.* « Hisce verbis, inquit KNABEN., (Christus) promittit Apostolis suam opem talem qua certo et infallibiliter opus Christi exequantur, qua *certo et infallibiliter doceant* quid Christus mandaverit... Cum autem dicat *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*, continuo quamdiu hic ordo rerum consistit, usque ad finem temporis, ostendit se pari ratione fore cum Apostolorum successoribus et Ecclesiam suam firmam et inconcussam et suam inviolabiliter retenturam esse doctrinam usque ad finem huius temporis et periodi terrestris » [55].

369. **Obiic. 2.** Scripturae testimonia sufficienter explicantur de multitudine fidelium, qui vocantur Ecclesia et passiva infallibilitate gaudent: ergo non probant infallibilitatem magisterii. **Resp.** *Neg. antec.* Nam priora argumenta expresse agunt de magisterio quod *praedicatione* in actum deducitur; Paulum vero non de Ecclesia discente sed de *docente* loqui apparet ex contexu, siquidem *a*) Timotheum instruit de modo *docendi* in Ecclesia, et *b*) *columna* non retinet in se quod sustentat, sed potius in altum erigit et aliis ostendit. Ceterum unitas fidelium in fide non est causa sed effectus magisterii [56]; ergo infallibilitas Ecclesiae discentis evincit infallibilitatem ecclesiae docentis.

370. **Obiic. 3.** Patres cum TERTUL. veritatem doctrinae revelatae deducunt ex testimonio Ecclesiae prout est *plurium consensus*, non est enim « verisimile ut tot ac tantae (Ecclesiae) in unam fidem erraverint » [57]: ergo non agnoscebant infallibilitatem. **Resp.** *Neg. cons.*

---

[54] C. MAZZELLA *De Relig.* n. 801; *De Virt. inf.* 937-8; GIBIER *Le obb. c. la Chiesa* ser. 1 conf. 36-7.

[55] KNABEN. *in Matth.* II p. 566.

[56] Supra n. 341.

[57] TERTUL. *De Praesc.* c. 28.

Tertul. non secus a ceteris, in ipso loco obiecto, infallibilitatem Ecclesiae deducit ex assistentia Spiritus S., rem autem *confirmat* argumento rationis.

371. **Obiic. 4.** Isaias vocat pastores animarum *speculatores caecos, omnes ignorantes intelligentiam* [58]: ergo magisterium pastorum non est infallibile. **Resp.** *Neg. sup.*, nam Isaias loquitur de pastoribus Israël, non de Ecclesia de qua scribit: *Hoc foedus meum...: Spiritus meus qui est in te, et verba mea quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo et de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum* [59].

Artic. 5 - De objecto ecclesiastici magisterii.

372. **Objectum primarium et secundarium.** Objectum *primarium* potestatis desumitur ex verbis quibus ipsa enuntiatur et ex societatis fine. Si primum inspicis magisterium est institutum a Christo ad praedicandum *Evangelium,* ad docendum *quae Christus dixit;* si alterum consideras ordinatur ad cognitionem eorum, quae credenda et agenda sunt ad aeternae vitae consecutionem; unde Ecclesia per prius est infallibilis « in definienda doctrina *de fide* vel *moribus* » [1]: ubi tamen attendas velim distinctionem rei *fidei* et *morum* non signare duplicem objectum adaequate distinctum, quasi *res morum* non sint etiam *fidei,* sed potius duplicem formalitatem rerum revelatarum, quarum aliae pertinent ad ordinem *speculativum* ac proinde debent tantummodo credi, aliae ad *practicum* et debent simul credi et moribus exprimi. Verum quaelibet potestas non restringitur ad objectum principale, sed descendit etiam ad alia, quae cum illa connectuntur, ut patet de judice, qui, constituto ad sententiam ferendam de reo, jus habet audiendi testes deque eorum idoneitate judicandi. Nil ergo mirum quod magisterium Ecclesiae ad solas res revelatas coarctari non possit, sed illa quoque attingat, quae cum revelatis connectuntur: imo « omnibus consentientibus (haec) veritas est theologice ita certa, ut eius negatio *error* esset *gravissimus,* vel ex plurium sententia etiam *haeresis* quamvis hactenus explicite haereseos damnata non sit » [2].

---

[58] Isai. **56.** 10-1.
[59] Isai. **59.** 21.
[1] Conc. Vatic. *Past. aeter.* cp. 4.
[2] Franz. *De Trad.* th. 12 Schol. p. 120-1.

373. **Quae pertineant ad primarium objectum infallibilis magisterii.** Cum objectum primarium magisterii sit *veritas revelata,* omnia quae vere continentur in thesauro revelationis primarium obiectum magisterii Ecclesiae integrant. Jamvero theologi triplicem continentiae modum distinguunt: *formalem explicitum* cum doctrina in documentis revelationis (in Scriptura et Traditione) exprimitur clare et in terminis [3], *formalem implicitum* cum terminorum explicatione innotescit [4] vel ex duobus praemissis formaliter revelatis concluditur [5], *virtualem tantum* cum concluditur ex una praemissa revelata et alia naturaliter nota. Ad objectum primarium revelationis pertinent quae *formaliter* sive explicite sive implicite continentur in revelationis fontibus, non autem quae *virtualiter* tantum insunt: hae enim innituntur etiam propositioni non revelatae et pejorem semper sequitur conclusio partem.

374. **Quae pertineant ad obiectum secundarium.** Ea, quae in revelatione continentur *virtualiter tantum,* seu quae cum veritatibus revelatis connectuntur et a theologis distingui solent in *textus dogmaticos* et *facta dogmatica,* prout spectant ad ordinem speculativum seu doctrinarum vel ad practicum seu factorum. Porro in textibus dogmaticis specialiter considerari solent condemnatio operum *in sensu auctoris,* praevia *revisio* librorum, *ius inspectionis* in scholas et collegia, *approbatio ordinum* religiosorum; in factis vero dogmaticis *haereticorum condemnatio, canonizatio sanctorum* et *legitimitas RR. PP. et Conciliorum,* de quibus in particulari aliquid dicendum est.

375. **Ecclesiae magisterium textus dogmaticos attingit etiam** IN SENSU AUCTORIS. Propositiones dupliciter sumi possunt: *in se ipsis* veluti in abstracto et praescindendo ab iis qui eas protulerint, et in *concreto* prout fuerunt a quibusdam scriptis vel viva

---

[3] V. g. divina filiatio Christi in verbis S. Petri: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Matth. **16.** 16.

[4] V. g. dogma Immaculatae Conceptionis B. V. M. in Gen. **3.** 15: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum.*

[5] Sic v. g. Apostolus ex aeterna Filiatione et ex incarnatione Christi deducit eius *sacerdotium* (Hebr. **5.** 5) et *resurrectionem* (Act. **13.** 33); atque ex gratuitate, antiquitate et universalitate promissionum Abrahae, comparatione instituta cum recentiori origine et particularitate Legis Mosaicae, concludit *inutilitatem Legalium* (Gal. **3.** 15 sqq.). Similiter Matth. ex passionibus Christi, quibus remittuntur peccata, deducit miraculosas liberationes a malis, quae peccatorum sunt poenae (Matth. **8.** 17 coll. Isai. **53.** 4). Cf. KNAB. *in Matth.* I p. 320 et CORNELY *Introd. in S. Scrip.* Diss. III § 2. n. 3.

voce propositae: imo judicium potest extendi ad *sensum ab auctore intentum* [6]. Porro Ecclesiae potestatem non esse coarctandam ad doctrinas in genere, sed pertingere usque ad sensum auctoris ex duobus patet. Primo quidem quia etiam sub hac formalitate habent ordinem ad doctrinas revelatas, et ad fideles qui libros concretos legunt et ab auctorum fama moventur: secundo quia si Ecclesia non damnaret libros in sensu auctorum, hi definitiones Ecclesiae ad alios sensus detraherent cum magna fidelium ruina.

376. **De librorum revisione et scholarum inspectione.** Cum socialis providentia non solum debeat mala removere, sed praecavere, Ecclesiae auctoritas circa doctrinas coarctari nequit ad proscriptionem librorum, qui pravas continent opiniones, sed potest auctorum opera examini subjicere antequam in lucem prodeant, in quo praecise librorum revisio consistit [7]. Verum doctrinae revelationi connexae non solum evulgantur *scriptis* sed *viva voce*, maxime in scholis, quae ad docendum sunt institutae; sicut ergo Ecclesia *jure proprio* potest libros approbare et proscribere ita *jure proprio* valet scholas inspicere ut videat si doctrinae quae traduntur veritatibus fidei consonent [8]. Etiam ex alio titulo apparet Ecclesiae ius inspiciendi scholas catholicorum; scil. ex titulo *educationis:* sacramento enim matrimonii, quo Ecclesia familiam sanctificavit et baptismi, quo infantes sibi adscivit, jus habet et debitum educandi juvenes in vera religione; unde cum filiorum educatio maxime perficiatur collegiis et scholis super haec *nativum jus* tenet inspectionis [9].

---

[6] Sic v. g. ALEX. VII declaravit 5 prop. Jansenii, excerptas ex *Augustino,* in sensu ab eodem auctore *Cornelio Jansenio* intento damnatas fuisse; quod iterum confirmavit CLEM. XI Bulla *Vineam Domini* dicens damnatum fuisse *libri sensum, quem illarum* (propositionum) *verba prae se ferunt,* et praecipiens ut huiusmodi sensus non ore solum, sed corde haberetur haereticus.

[7] LEO XIII Const. *Officiorum ac munerum* n. 12.

[8] LEO XIII Enc. *Aeterni Patris* et *Nobilissima.*

[9] BILLOT *De Eccl.* II th. 23 p. 154-5; MEYER *Inst. jur. nat.* II n. 666 sqq. — *NB.* Status scholas, ut dicunt, *obligatorias* per se nequit instituere, quia filiorum educatio pertinet ad parentes (BILLOT *l. c.* p. 155 in nota); cum vero parentum negligentiam supplendo instituit (MEYER *l. c.* th. 72-6), scholas laicas fundare nequit (Cf. supra n. 37; LEO XIII Enc. *Nobilissima* et *Quae conjunctim*), nec ullum inspectionis jus tenet in scholas religiosas (LEO XIII Enc. *Jam. pridem;* SYLL. pr. 45-8).

377. **De approbatione ordinum religiosorum.** Approbatio ordinis reducitur ad judicium *textuum dogmaticorum,* siquidem regulis ordinum evangelica consilia in actum deducuntur; hinc omnes theologi dicunt R. P. infallibilem esse in approbatione ordinum religiosorum; si tamen non de bonitate ordinis sed de ejus *opportunitate* agatur, quidam cum Bannez negant R. P. esse infallibilem, sed verior et communior sententia iterum affirmat [10].

378. **De haereticorum condemnatione.** Ratio eadem est, quae valet pro textibus dogmaticis: scil. in damnum fidei non sunt tantum falsae doctrinae sed eorum auctores et fautores. Sane haeretici sunt lupi rapaces, qui in vestimentis ovium gregem Christi invadunt ad dispergendas et mactandas oves [11]; eos ergo cognoscere oportet, ut vitentur [12]. Nec valet haeresim committi corde; ex fructibus enim cognoscitur arbor, nec Ecclesia eum proscribit, qui intus tantum a fide deficit, sed qui conceptum errorem promulgat ac defendit. Hinc Ecclesia non tantum doctrinas et libros damnavit, sed ipsos quoque haereticos saepe nominatim proscripsit, uti in collectione conciliorum videre est.

379. **An canonizatio sanctorum et legitimitas pontificis pertineant ad objectum primarium vel secundarium** [13]. Huiusmodi propositiones *Aloysius est sanctus — Pius X est supremus pontifex* nonnulli habent tamquam propositiones particulares contentas in generalibus: *omnis qui servat mandata vitam aeternam ingreditur — quicumque legitime eligitur in successorem S. Petri est summus Ecclesiae pontifex:* quia ergo propositio particularis contenta in universali est revelata, dicunt *Aloysium esse sanctum — Pium X esse summum Pontificem* esse propositiones revelatas ac proinde pertinere ad objectum primarium revelationis [14]. Sed melius habentur uti conclusiones ex propositione revelata et alia mere historica seu non revelata, unde ad secundarium objectum infallibilitatis revocantur [15].

380. **Quae in particulari observanda de canonizatione sanctorum.** Imprimis *canonizatio* non est confundenda cum recen-

---

[10] C. MAZZELLA n. 814; PESCH n. 544-5.

[11] Matth. **7.** 5.

[12] Tit. **3.** 10.

[13] Similia dici possunt de veritate *Concilii* vel de *haeretici* condemnatione.

[14] SUAREZ, LUGO, VALENT., BELLAR., etc. apud C. MAZZELLA *De Virtut. Inf.* 436-9; HURTER I n. 666. SCHIFFINI *De Vir. Inf.* n. 3.

[15] SCHRADER *Theol. Gen.* p. 114 nota; FRANZ. *De Trad.* etc. p. 122; PESCH *De Eccl.* n. 553; BILLOT II *th.* 17 p. 95 sqq. saltem quoad *canoniz. sanctorum.*

sione nominum in *Martyrologio Romano,* quae nec pro aequipollenti canonizatione habetur [16]. Secundo distinguenda est a *beatificatione* quae non fit ultimo definitivo actu supremi magisterii [17], ac proinde pertinet ad actum solius doctrinalis providentiae, qui non est absolute irreformabilis. Tandem objectum canonizationis sunt personae aeterna gloria fruentes et non *a*) ea quae in *legendis,* etiam receptis, de illis referuntur [18], aut *b*) sanctorum *reliquiae* de quibus saltem *de facto* Ecclesia non dat judicium definitivum, sed auctoritate doctrinalis providentiae pro temporum opportunitate eorum cultum approbat. — Porro canonizationem sanctorum contineri in magisterio Ecclesiae manifestum est; nam ex Traditione, ex Scriptura V. et N. T.[19], et ex IX artic. Symboli [20] constat honorandos et invocandos esse eos, qui nos praecesserunt in signo fidei, et gloriam aeternam sunt adepti: atqui simpliciter et fidenter illi invocari nequeunt, de quibus ignoratur an ad aeternam vitam intraverint: ergo suprema potestas, qua Ecclesia cultui sacro providet, debet de sanctorum veritate infallibile ferre iudicium [21]. Accedit quod virtutes non solis doctrinis promoventur, sed maxime exemplis, quae praeceptorum possibilitatem et modum exequendi ostendunt: congruit ergo ut Ecclesia homines eximiae virtutis fidelibus imitandos proponat, quod fit canonizatione sanctorum. Hinc theologi unanimiter tenent sine nota haeresis vel saltem gravis censurae, non posse infallibilitatem Ecclesiae in canonizatione sanctorum impugnari [22], et R. P. solemnibus verbis *decernimus, declaramus,* (quibus supremi infallibilis magisterii exercitium communiter manifestatur) sanctorum albo noviter canonizatos inscribere solent [23].

---

[16] Bened. XIV *De Canoniz Sanct.* I c. 43 n. 14.

[17] Secus inutilis foret nova inquisitio.

[18] V. gr. quod S. Catharina confutaverit philosophos gentiles, vel S. Alexius fuerit civis romanus in paterna domo quasi pauper receptus et non orientalis quidam peregrinus.

[19] Cf. Bened. XIV *l. c.* I. c. 12 ubi refert Gen. **48.** 16; Exod. **32.** 23; Paral. **6.** 42; Dan. **3.** 35; 2 Mach. **15.** 12; Apoc. **1.** 4; **5.** 8; 2 Petr. **1.** 15.

[20] *Credo... sanctorum communionem.*

[21] Ne dicas Ecclesiam de *quibusdam tantum* ferre sententiam; hoc enim sufficit ad salutare commercium cum coelesti Jerusalem.

[22] Bened. XIV. *De Canon. Sanct.* I c. 43.

[23] Billot *l. c.* p. 95 sqq. OBJIC. *a*) Primis temporibus sancti, inscio R.

381. **Cujusnam naturae sit assensus praestitus definitionibus Ecclesiae.** Magisterio Ecclesiae deberi *assensum internum* supra demonstravimus, si ulterius quaeritur de natura seu specie huius consensus distinguere oportet inter magisterium *doctrinalis providentiae*, et magisterium *infallibile*, necnon inter magisterium definiens *veritatem revelatam* et judicans de his quae cum *revelatis connectuntur*. *a*) Cum magisterium in gradu supremo non exercetur, assensus, utut internus, non est firmissimus, unde non elicitur, a virtute fidei sed imperatur a religione et dicitur *assensus religiosus: b*) cum plene exercetur circa objectum primarium ac doctrinam proponit uti revelatam, inducit assensum *fidei divino-catholicae* [24], siquidem veritati revelatae et sufficienter propositae credendum est ob auctoritatem Dei revelantis, et Ecclesia sua definitione manifestat veritatem in revelationis thesauro contineri [25]: *c*) cum plenitudine suae auctoritatis definit de re cum revelatione connexa, Ecclesiae auctoritas non est medium cognoscendi revelationem, quae non est facta, sed *motivum* assensus, qui proinde elicitur « *fide ecclesiastica tantum:* quae, etsi sub gravi obliget, non tamen ea fides est cum qua directam oppositionem habet vel *infidelitas* infusum fidei habitum corrumpens, vel *haeresis* a visibili corporis Ecclesiae compagine ipso facto (si notoria sit) hominem praecidens » [26].

P., sunt recepti et *b*) R. P. ante canonizationem sanctorum protestare solebat se nolle quidquam contra fidem, Ecclesiam et honorem Dei facere. RESP. *a*) Sanctorum cultus etiam antiquitus non introducebatur sine episcopi licentia; cui dein accedebat tacitus consensus R. P. *b*) Protestatio R. P. non manifestabat dubium de sanctitate canonizati vel de auctoritate canonizantis, sed innuebat « discrimen canonizationis, qua canonizandus referebatur in album amicorum Dei, a gentilium apotheosi, qua homo defunctus in Deos recensebatur ». BILLOT. *l. c.* p. 96, 99; PESCH *l. c.* n. 551; BENED. XIV *De canon. Sanct.* I c. 44.

[24] Fides *divino-catholica* et fides simpliciter *divina* non differunt *motivo* sed *medio* cognitionis et consequenter *subjecto:* quando enim veritas revelata ab Ecclesia proponitur *ab omnibus* est credenda ob auctoritatem Dei revelantis; quando privato studio detegitur ab his credenda est qui factam revelationem agnoscunt.

[25] Iterum attende auctoritatem Ecclesiae nec constituere nec integrare *motivum* assensus, ideoque fidem divinam et divino-catholicam specie non differre.

[26] BILLOT *De Eccl.* II th. 18 p. 108; *De Virt.* th. 13 p. 259; PESCH *De Virt.* n. 256. FRANZ. vocat fidem *mediate divinam*, quia Ecclesiae auctoritatem credimus fide divina; sed prior locutio praeferenda videtur.

382. **De censuris seu notis doctrinae.** Ad Ecclesiam pertinere doctrinarum censuram manifestum est; censura enim determinat gradum oppositionis ad veritatem revelatam, cui doctrina quaedam directe vel indirecte, majori vel minori gradu contradicit vel nocet: sicut ergo judex non solum potest condemnare reum, sed quantitatem etiam poenae statuere, ita Ecclesia valet peculiaribus censuris falsam mulctare doctrinam. Porro Ecclesia non tenetur supremam censuram semper apponere falsae doctrinae, sed reservando ulteriorem judicium de majori oppositione ad revelationem, potest infallibiliter judicare de inferiori oppositionis gradu; et ideo propositio damnata uti falsa esse potest etiam *haeresi proxima* vel *haeretica*. Nota tandem quod cum plures propositiones in globo diversis censuris damnantur, non omnes de singulis propositionibus sunt intelligendae, sed de earum complexu, ita scil. ut unaquaeque alicui saltem conveniat.

383. **Quid singulae censurae importent.** Dicitur **haeretica** propositio « quae directe et immediate opponitur, sive contrarie sive contradictorie doctrinae a Deo revelatae et ab Ecclesia propositae »[27]. **Erronea** est « propositio quae directe et immediate opponitur alicui conclusioni certae, ac proinde indirecte et immediate fidei, quemadmodum fieret, si ex gr. aliquis negaret propositionem *virtualiter* contentam in doctrina explicite revelata ». **Proxima haeresi** vocatur propositio « quae opponitur doctrinae ex universali propemodum consensu et praedicatione certo et indubitanter tenendae, quae tamen non simpliciter et certo tamquam de fide proponitur »[28]. **Temeraria** est propositio « quae repugnat doctrinae ita certae, ut illam negare fas non sit. Quia tamen haec censura inferior est praecedentibus... doctrina, cui repugnat, debet esse vel minus certa, vel minus universaliter tradita, vel minus stricte nexa cum doctrina fidei immediata ». Propositio **sapiens haeresim** « est illa, quae duplicis sensus, boni et pravi capax est; ratione tamen praesertim circumstantiarum, sensus pravus ita praevalens est, ut prudenter judicari possit eum esse haereticum. Si... fundamentum praeberet non *judicandi,* sed *suspicandi* sensum haereticum..., esset **suspecta de haeresi.** Eadem est, proportione servata, notio censurae **sapiens errorem** et **suspecta de errore** ». Propositio **scandalosa** « dicitur illa quae dat occasionem ruinae spiritualis, sive inclinando ad peccata, sive avertendo a virtutum

---

[27] Hinc qui scienter negat veritatem revelatam sed ab Ecclesia nondum propositam, non in *haeresim* sed in *infidelitatem* incidit. BILLOT *th.* 19 p. 79 in nota.

[28] Scil. quando non solum opponitur *conclusioni theologicae* (quae sequitur ex principio revelato et alio naturaliter noto), sed doctrinae, quae *videtur* revelata, etsi de sufficienti propositione ab Ecclesia facta non constet.

exercitio ». **Schismatica** est propositio « quae adversatur unitati Ecclesiae et viam scissioni parat ». « Propositio **seditiosa,** prout a schismatica differt, ea est quae retrahit ab obedientia Principibus in civili republica debita, aut ad tumultus in republica excitandos inducit ». Propositio **male sonans** est « qua abusu verborum peccatur, res ad fidem moresque spectantes praeter et contra receptum loquendi morem proferuntur, absonumque nescio quid... atque absurdum habentes, quod indignum esse piis et religiosis auribus videatur »; **piarum** vero **aurium offensiva** dicitur, si, « quod male sonat, sit in ordine ad religionem pietatemque, puta si quis de partu Virginis loquens indecorum aliquid misceret » [29].

384. **Errores — Veritas.** Ecclesiae potestatem circa *textus dogmaticos* negavit FROSCHAMMER docens quod « Ecclesia non solum non debet in philosophiam umquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiae tollerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat » [30]: quoad textus concretos seu *facta dogmatica* commemorandi sunt JANSENISTAE, qui condemnationem Jansenii enervare conati sunt impugnando jus Ecclesiae judicandi de textibus dogmaticis *in sensu auctoris* [31]. **Veritas** *implicite* est proposita in CONC. LATER. « Si quis... non respuit et anathematizat *anima et ore* omnes... *haereticos* cum omnibus impiis *eorum scriptis* usque ad unum apicem..., i. e. *Sabellium, Arium*, etc... c. s.[32]: *explicite* in CONC. VATIC.: « S. q. d. disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut eorum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tamquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; a. s. » [33].

THES. 46. *Ecclesiae infallibile magisterium coarctari nequit ad veritates fidei, sed illas quoque comprehendit, quae cum revelationis thesauro connectuntur.*

---

[29] C. MAZZELLA *De Virt. inf.* n. 459-75.

[30] Apud PIUM IX Litt. *Gravissimas inter*. Idem repetunt MODERNISTAE in Decr. *Lamentabili* pr. 5: « Quum in deposito fidei veritates tantum revelatae contineantur, nullo sub respectu ad Ecclesiam pertinet judicium ferre de assertionibus disciplinarum humanarum ». Hinc cum G. VITALI in *Rassegna Naz.* 16 Mag. 1906 invehunt contra institutionem *C. Indicis*.

[31] ARNAULD, PASCAL, QUESNELL apud *Pesch* n. 538.

[32] CONC. LATER. a. 649 cn. 18.

[33] CONC. VATIC. *Dei Filius* § 4 c. 2; cp. 4; DECR. *Lament.* pr. 5, 24.

385. **Ex Scripturis.** Nam Christus voluit ut quaestiones ad mores spectantes, quae privato judicio solvi non possent, ad Ecclesiae tribunal deferrentur [34]: atqui ad mores non pertinent solum quae directe sunt contra fidem, siquidem peccatum committitur etiam voluntaria occasione ejus: ergo Ecclesia potes judicare etiam de his quae cum fide connectuntur. **2 Argum.** Ex verbis Apostoli: *Bonum depositum custodi per Spiritum S.*[35]. Nam custodia non perficitur sola conservatione, sed maxime erectione propugnaculorum et expulsione inimicorum: atqui fidei propugnacula sunt veritates praeambulae ad fidem vel necessariae ad difficultates solvendas, inimici vero haeretici et falsae doctrinae: ergo. Et probatur MINOR; nam *a*) homo exemplis et auctoritate trahitur, nec *b*) logica consectaria respuere valet, admissis principiis: unde, experientia duce, ex haereticorum commercio et falsae doctrinae receptione valde periclitatur fides, iuxta illud Apostoli: *Videte ne quis vos seducat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum* [36]. **3 Argum.** Ex verbis: *Arma militiae nostrae... potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem adversus scientiam Dei* [37]. Nam Apostolus hic testatur se accepisse a Deo non solam potestatem praedicandi Evangelium, sed destruendi ea quae Evangelio opponuntur: haec autem esse doctrinas falsas non solum constat ex natura rei, sed ex ipsis verbis; graece enim *consilia* sunt *ratiocinationes*, seu, ut Patres Graeci explicant, *ratiocinationes et sophismata philosophorum* [38], quod ceteroquin Apostolus alias explicat Timotheo praecipiens ut fidem custodiret, *devitans oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem erraverunt* [39]: est enim impossibile falsam nominis scientiam vitare, si falsitas eius prius non agnoscatur. **Ex praxi Ecclesiae,** nam APOSTOLI prius et dein CONCILIA et RR. PP. de *haereticis* dedere sententiam. **Ex ratione,** ubi enim potest

---

[34] *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum... si non audierit eos* (testes): *dic Ecclesiae: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Matth. **18.** 15-7. Attendas in condemnatione peccatoris dari judicium de *malitia* culpae et de *facto* commissionis.

[35] 2 Tim. **1.** 14.

[36] Colos. **2.** 8.

[37] 2 Corinth. **10.** 4-5.

[38] Apud CORNELY in 1 *Corinth.* p. 261-2. Iidem PP. *altitudinem* exponunt de superbia.

[39] 1 Tim. **6.** 20.

oppositio exurgere, judex esse debet, qui litem dirimat: atqui inter ea, quae cum fide connectuntur, et fidem ipsam lucta esse potest: ergo et judex esse debet cui utrumque subdatur: atqui judex, cui fides subditur, nonnisi Ecclesia esse potest: ergo ad ipsam pertinet judicare etiam de iis quae cum fide connectuntur.

386. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Allata testimonia agunt de Timotheo et de Paulo: ergo non evincunt infallibile magisterium Ecclesiae, siquidem Timotheus non erat infallibilis et Apostoli infallibilitas in successores transire non debebat. **Resp.** Praesens quaestio non est de infallibilitate magisterii sed de ejus *objecto;* magisterium enim in pleno exercitio suae virtutis usque ad infallibilitatem pervenire supra ostensum est; quae vero dicuntur de Apostolo valere etiam de Ecclesia inde constat quod in complexu successorum apostolorum tota apostolica auctoritas transiit, et quia agitur de potestate ordinata ad Evangelii propagationem et custodiam, quae apostolorum morte cessare non debebat.

387. **Obiic. 2.** Saltem Ecclesia non debet condemnare libros in sensu auctorum; ipsa enim *de externis* judicat dum sensus auctoris in occulto manet. **Resp.** *Neg. suppositum.* Duplex est sensus auctoris *subiectivus* alter et internus qui sistit in mente loquentis vel scribentis, alter *objectivus* et externus qui est « in libro expressus, quemque verba prae se ferunt et sic est sensus intentus *ab auctore qua tali* »[40]: de hoc judicat Ecclesia non de illo.

388. **Obiic. 3.** « Librum quemlibet auctore inscio, nofare ac proscribere, nulla explicatione admissa, nulla disceptatione tyrannidi est proximum »[41]: ergo saltem ante explicationes auctorum Ecclesia libros proscribere nequit. **Resp.** *Neg. antec.* Ut modo diximus sensus libri non est sensus subjectivus auctoris, qui in animo scribentis est, sed objectivus qui ex verborum significatione et ex contextu eruitur; unde sicut quisque, auctore non audito, *scientifice* judicat de opere, ita Ecclesia independenter ab auctore judicat *authentice.* Imo saltem ordinarie auctoris explicationes audire non expedit, ut erroris propagationi citius occurratur, et cavillationibus scriptorum occasio non praebeatur.

ARTIC. 6 - DE ECCLESIAE POTESTATE JURISDICTIONIS.

389. **Quid jurisdictio.** Secundum NOMEN *jurisdictio* a *jure dicendo* est potestas *judicandi;* secundum REM contradistinguitur a

---

[40] BILLOT *De Eccl.* II th. 17 p. 92.

[41] MODERNISTAE in Enc. *Pascendi; Il Program.* p. 128-9.

potestate *ordinis* et *magisterii* et definitur : *potestas moralis et irrefragabilis regendi quasi subditos Ecclesiae membra eosque dirigendi ad proprium Ecclesiae finem:* quia vero finis Ecclesiae obtinetur *fide* et *bonis operibus,* potestas jurisdictionis non solum extenditur ad voluntatem movendam, sed etiam ad intellectum inclinandum, ita ut magisterii declarationes ex jurisdictionis imperio novum habeant pondus ad fideles inducendos in assensum fidei vel religiosi obsequii.

390. **De duplici foro jurisdictionis Ecclesiae.** « *Forum* proprie accipitur pro districtu, seu territorio cujusque judicis, intra quod in facinorosos animadvertere potest » [1], communi vero synecdoche, a loco in quo exercetur ad ipsam potestatem jurisdictionalem nomine translato, distinguitur in *externum* et *internum* prout immediatum objectum potestatis sunt actus externi seu visibiles vel interni seu conscientiae. Porro diversimode se habet potestas Ecclesiae ad utrumque forum; in *foro* enim *externo* ei competit ratione societatis, unde, licet sit data Ecclesiae a fundatore, in ipsa tamen residet *per modum causae principalis,* a qua directe pendet quidquid in societate ligatur vel solvitur; potestas e contra in *foro interno* non competit societati ratione sui [2] sed ex divina delegatione; et ideo non residet in Ecclesia per modum causae principalis sed solum *per modum instrumenti* (utique liberi) *Dei,* et pertingit ad ea quae Deus primo et per se operatur, quemadmodum sunt solvere peccata, relaxare vota, abrumpere vinculum maritale (in matrimonio non consummato), etc.

391. **De utriusque fori obiecto.** Potestas fori *externi* praecipue est ad leges ferendas, *interni* ad solvendum ab obligationibus. POTESTAS FORI EXTERNI est praecipue ad leges ferendas, quia *propria auctoritate* non solvitur, nisi quod propria auctoritate est ligatum, et vinculum obligationis vel poenae supponit legem cujus est effectus vel sanctio. Sunt autem materia legis ecclesiasticae omnia, quae aliquo modo pertinent ad ipsam societatem religiosam : unde, praescindendo ab his quae spectant ad magisterium, potestas fori externi attingit *a*) cultum Dei, administrationem sacramentorum, sacras caeremonias, etc., *b*) constitutionem et distributionem dioecesium necnon jurium episcoporum determinationem, *c*) gubernationem utrjusque cleri, saecularis scil. et regularis, *d*) administrationem bonorum ecclesiasticorum, ac *e*) regulas practicas circa mores et officia erga Deum, seipsum et pro-

[1] FERRARIS *Bibl. can.* in *h. v.*

[2] Nam secreta cordium humanam cognitionem aufugiunt.

ximum[3]; item *f*) novas sanctiones legis naturalis vel positivae divinae, quae uno verbo dicuntur *res disciplinares*[4]. POTESTAS FORI INTERNI non est ad leges ferendas; leges enim divinae continentur in revelationis thesauro, quem Ecclesia infallibiliter explicat sed non auget. Hinc ministerialis potestas fori interni versatur circa legis consectaria, seu circa vinculum morale obligationis legis et circa vinculum culpae et poenae, quod legis violationem sequitur. Porro respectu habito ad vinculum divinae legis distinguendum est inter illa, quae sunt ligata a Deo *directe,* indepententer ab humana operatione et alia quae sunt ligata *indirecte,* h. e. consequenter ad exercitium humanae libertatis: prima pertinent ad constitutionem regni coelorum, et non subsunt clavibus *regni constituti,* unde nec possunt ab Ecclesia solvi[5]; alia, quae humana operatione sunt inducta, possunt ab Ecclesia dispensari, nisi expresse a Christo fuerint excerpta, quemadmodum factum est de matrimonio rato et consummato.

392. **Quibus conditionibus exercitium utrjusque potestatis regatur.** Quod attinet ad potestatem FORI EXTERNI *a*) actus praeceptus vel prohibitus ab Ecclesia esse debet *per se* et *directe externus*[6]; siquidem hi soli subsunt humanae cognitioni ac proinde humana reguntur potestate[7]; quia tamen actus externi sine internis non

---

[3] CROSTA *Theol. dog.* I n. 596.

[4] Cum *res disciplinares* ratione dogmatum vel morum attingant revelationis objectum, Ecclesia infallibilis est etiam in horum determinatione. Hinc AUG. in quaestionibus de peccato originali, de haereticorum baptismo et de suffragiis pro defunctis, ex praxi seu disciplina Ecclesiae doctrinam fidei deducebat (*Serm.* 293 n. 10; *Cont. Cresc.* I n. 38; *De cura gerenda pro mor.* I n. 3; *epist.* 54 n. 6); COELES. volebat Apostolicae sedis inviolabiles sanctiones ubique servari, « ut legem credendi statuat lex supplicandi (Ep. 20 ad *Episc. Galliae* cp. 11); et PIUS IX ex institutione festi Immaculatae Conceptionis concludebat existentiam hujus dogmatis (Bulla *Ineff. Deus* Cf. PIUM VI *Auct. Fidei* prop. 78. conc. Pistor.).

[5] Sic v. g. Ecclesia non potest materiam et formam sacramentorum mutare, primatum Ecclesiae separare a legitimo S. Petri successore, vel dispensare a susceptione sacramentorum.

[6] Non diximus *publicum,* sed *externum,* quia actus qui in secreto externe fit, mere per accidens est occultus et subjacet potestati Ecclesiae, quae revera excommunicatione latae sententiae etiam peccata occulta punit.

[7] Plures auctores ex universalitate verborum Christi — *quodcumque, quaecumque* — et ex fine Ecclesiae, ad quem actus interni ordinantur, potestatem Ecclesiae etiam ad actus *pure internos* extendunt (Cf. VON DER BERGHE, LEHMKUHL, A. BALLERINI *Opus theol. mor.* in tract. *de Legibus* etc. qui alios plurimos citant). Sed recedendum non videtur a proposita sententia, quia Ecclesia est societas visibilis cuius operationes, utut privatae, visibiles esse debent. Ceterum cum prima sententia dicat auctoritatem Ecclesiae indirecte attingere quoque actus internos, in praxi nulla erit difficultas.

ducerent in finem Ecclesiae, *consequenter* lex ecclesiastica attingit etiam actus internos, qui requiruntur ad valorem, honestatem vel moralitatem actuum externorum. Item *b*) praeceptum esse debet onus leve, quod enim foret importabile, non cederet in bonum multitudinis, quae pondera gravia non sustinet et multiplicaret peccata secundum illud : « *Si vinum novum* (i. e. praecepta perfectae vitae) *mittatur in utres veteres* (i. e. imponantur hominibus imperfectis), *utres rumpuntur, et vinum effunditur* (i. e. praecepta contemnuntur), et homines ex contemptu ad pejora mala prorumpunt » [8]. Exercitium FORI INTERNI tribus conditionibus regitur, siquidem praesumi non potest Deum legislatorem sapientem quemque velle a vinculo relaxare, *a*) violato ordine iustitiae, vel *b*) sine justa et sufficienti causa vel *c*) in iis, quae ipse a ministri potestate excepit. Nota tamen quod de valore praecepti vel de dispensatione data ab Ecclesia dubitari non debet, siquidem ultimum judicium de possibilitate et utilitate praecepti, sicut etiam de convenientia dispensationis et sufficientia motivi, ad ipsam Ecclesiam spectat.

393. **Errores — Veritas.** Potestatem *fori interni* negaverunt REFORMATORES veram peccatorum remissionem non agnoscentes et indulgentiarum valorem impetentes; potestatem *fori externi* specialiter impugnarunt JANSENISTAE et MODERNISTAE [9]. **Veritas** pluries proposita in condemnatione haereticorum sic clare effertur a LEONE XIII : « Christus Apostolis suis libera mandata dedit *in sacra*, adjuncto tum *ferendarum legum* veri nominis facultate, tum gemina, quae hinc consequitur, *judicandi puniendique* potestate » [10].

THES. 47. *Christus suae Ecclesiae — 1 veram et — 2 plenam potestatem jurisdictionis tradidit.*

394. **Prima pars.** *Christus suae Ecclesiae veram potestatem jurisdictionis tradidit.* Argumentum sumitur ex verbis : *Quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in coelo : et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in coelo* [11]. Hoc testimonium non dici de solis Apostolis sed et de eorum successoribus

---

[8] S. THOM. 1-2 q. 96 a. 2 ad 2 ex Matth. **9**. 17; Prov. **30**. 30.

[9] Cf. n. 284.

[10] LEO XIII Enc. *Immortale Dei*. De potestate *fori interni* cf. pr. 42 WICLEF.; pr. 11. 18 sqq. LUTHER.: de potestate *fori externi* cf. pr. 11. 30 WICLEF.; 14, 19 HUSS; pr. 27 LUTHER.; pr. 4 SYN. PISTOR.; pr. 24, 31 SYLL.; CONC. VATIC. *Pastor. aeter.* cp. 3.

[11] Matth. **18**. 18.

ac proinde de Ecclesia, constat *a*) ex Patrum interpretatione, *b*) ex parallelismo cum testimonio de primatu Petri, de quo infra dicemus, *c*) ex natura rei, quia agitur de *potestate* quae est in bonum societatis unde manere debet quousque societas manet et *d*) ex contextu siquidem Christus potestatem ligandi et solvendi tradidit Apostolis ut prosequerentur missionem, qua ipse venerat ad salvandum quod perierat (v. 11), et ut de peccatoribus curam agerent (v. 15 sqq.); quae profecto ad apostolorum tempora nequeunt coarctari. Jamvero in testimonio agi de vera potestate jurisdictionis constat : *a*) Primo *ex parallelismo reali* cum testimonio Apocalypsis de potestate Christi [12], quam verae esse jurisdictionis nemo ambigit. *b*) Secundo *ex sensu proprio,* qui maxime retinendus est, cum sic acceptus exhibet dogma fidei [13] cuiusmodi est potestas Ecclesiae. Profecto « respondet δεῖν *ligare* verbo אָסַר (*âsar*) *vetare, interdicere...,* et etiam *ligare aliqua obligatione...;* verbum autem λύειν *solvere* respondet verbo הִתִּיר (*hittir*) aramaice שְׁרָא (*scerá*) *licitum pronuntiare, permittere* » [14] : *ligare* itaque est potestas efficiendi illicitum, quod ceteroquin esset licitum, *solvere* potestas efficiendi licitum quod secus esset prohibitum, reddere autem licitum vel illicitum est potestatis verae jurisdictionis : unde apud rabbinos *ligare* et *solvere* erant tecnica ad exprimendam liceitatem vel prohibitionem alicujus rei [15]. *c*) Tertio *ex natura rei,* nam *ligare* et *solvere* quomodocumque tandem explicentur, ideam exhibent *vinculi* quo aliquis obstringitur vel a quo liberatur. Quodnam autem est vinculum quod in manu Apostolorum posuit Christus? Certe non *physicum,* per se insufficiens et ineptum ad finem Ecclesiae : ergo *morale*. Christus itaque dedit Apostolis potestatem

---

[12] *Haec dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David : qui aperit et nemo claudit : claudit et nemo aperit.* Apoc. **3**. 7; Isai. **9**. 5; **22**. 22. *NB. Aperire* et *claudere* esse synonyma verborum *solvere* et *ligare* inde constat quod hebraeorum claves proxime solvebant funes. MIGNE *Dict. Archeol.* III col. 934.

[13] Nam unusquisque praecavere debet ne sua verba in errorem gravem et damnosum alios inducant; si autem verba in sensu proprio exhiberent falsum dogma, profecto inducerent in errorem gravem et damnosum.

[14] KNAB. *in Matth.* p. 65.

[15] KNAB. *l. c.;* MORINUS *Com. hist. de sacr. Poent.* I c. 8; WÜNSCHE *Beiträge zur Erklärung der Evang.* etc. 1878 p. 196; EDERSHEIM *The life and times hebr. et talm.* 1675 p. 377 sq. apud H. VAN LAAK Lit. *De Eccl.* n. 186, qui argumenta PALMIERI ex *Diod. Sic.* et *I. Flav.* non recipit.

imponendi obligationes et exonerandi ab illis, quod pertinet ad potestatem verae jurisdictionis.

395. **Secunda pars.** *Christus contulit Ecclesiae* PLENAM *jurisdictionis potestatem.* Nam pronomen *quaecumque* universalissimum est: contra proprietatem autem vocum potestatis limitationem non esse inducendam; *a*) exigit natura rei, siquidem potestas in societate est constitutivum essentiale in cuius determinatione omnis ambiguitas est amovenda, et *b*) clamat contextus, si enim spectes eum, qui potestatem *tribuit,* est omnipotens [16] summeque diligens suam Ecclesiam [17], si vero consederas *finem,* Christus hanc potestatem tribuit ut Ecclesia firmaretur contra omnis generis impugnationes, solveret omnes difficultates, et liberaret subditos a quocumque delicto [18].

THES. 48. *Potestatis plenitudo, quam Christus tradidit suae Ecclesiae, — 1 forum internum comprehendit — 2 sicut etiam externum; in quo — 3 exercitio potestatis legiferae judicialis et coactivae in actum deducitur.*

396. **Prima pars.** *Potestas Ecclesiae forum internum attingit.* **Ex Scriptura.** Nam Christus tradidit Ecclesiae plenitudinem potestatis in regno coelorum, ita ut quidquid in hoc ordine ligaret vel solveret esset ligatum et solutum in coelo: atqui inter ea quae ad finem Ecclesiae ducunt, h. e. ad salutem animarum, est *forum internum;* siquidem *peccata* salutem animarum impediunt, *poenae* luendae in hac vel futura vita retardant, *vota* non prudenter emissa vel *promissiones* sine sufficienti circumstantiarum consideratione factae, difficilem reddunt: ergo. Confirmatur **ex praxi Ecclesiae,** quae sacramento poenitentiae, indulgentiarum promulgatione, votorum dispensatione, et matrimonii rati solutione, suam potestatem in *foro interno* constanter exercuit.

397. **Secunda pars.** *Ecclesiae potestas attingit etiam forum externum.* **Ex Scripturis** nam Christus ab universalitate pronominis *quaecumque* non excepit forum externum, quod continetur in ordine *societatis visibilis,* cuiusmodi est Ecclesia, et expresse exigitur a *contextu,* quia haec potestas ideo praecipue tradita est Ecclesiae ut quaestiones ad suum tribunal delatas dirimere valeret,

---

[16] Matth. **28.** 18.
[17] Eph. **5.** 25 sqq.
[18] Matth. **16.** 18; **18.** 18.

inobedientes damnando. **Patrum** testimonia alias dedimus [19]. **Ratio** deducitur ex natura societatis, cuius media non determinantur ex solo *fine* sed etiam ex conditione *membrorum* quae in finem ordinantur : quapropter, cum homines ex anima et corpore compositi non possint in finem dirigi sine mediis exterioribus, quorum necessitas ex ipsa supernaturalitate finis augescit [20], Ecclesiae potestas ad forum internum nequit coarctari.

398. **Tertia pars.** *Jurisdictionalis potestas Ecclesiae est legifera, judicialis et coactiva.* **Ex Scripturis** habemus exercitium potestatis *legiferae* in Concilio Jerosolymitano quando Apostoli constituerunt leges disciplinares de abstinentia et de impedimento consanguineitatis [21], *judicialis* vero et *coactive* in minis Apostoli [22], in condemnatione Ananiae et Saphirae, incestuosi Corinthi, Elymae, Hymenaei et Alexandri [23]. **Patres** volebant ut episcopi in haereticos severis poenis animadverterent [24], ne « dum paucorum poenitentiam praestolarent, nutrirent pertinaciam perditorum, et factio robustior fieret » [25]; quod etiam exemplis illustrabant, siquidem Ecclesia praefigurata est in Sara, quae Agar et Ismaëlem persecuta est [26] et in David, qui de morte Absalon ex secuta tranquillitate regni levamen habuit [27]. **Ratio** deducitur ex *natura* et *fine* jurisdictionis; nam multitudines in finem societatis diriguntur *legibus;* est enim lex « quaedam rationis ordinatio ab bonum commune, et ab eo qui curam communitatis habet promulgata » [28] : atqui lex sine sanctione non concipitur, cum frustra imponatur quod impune violatur : ergo potestas legifera secum fert potestatem *coactivam,* qua poenae violatoribus legis comminantur et infliguntur : sed iterum poenae infigi nequeunt nisi constet de legis violatione, quod judicio de gravitate culpae assequitur : ergo ad jurisdictionem pertinet etiam potestas *judicialis* [29].

---

[19] Supra n. 286, 298.

[20] Supra n. 275.

[21] Act. **15.** 20 coll. CORNELY in 1 *Corinth.* p. 120. KNAB in *h. l.* fornicationem explicat de scortatione et non de impedimento consanguineitatis.

[22] 1 Corinth. **4.** 21; 2ª **10.** 6; etc.

[23] Act. **5.** 1-10; **13.** 10-1; 1 Corinth. **5.** 3; 1 Tim. **1.** 20.

[24] HIER. *Adv. Vigil.* epist. 55; AUG. *De corr. et grat.* c. 15; INN. I. epist. *ad Conc. Carthag.*

[25] HIER. epist. 68 ad *Theoph. Alex.* LEO M. epist. 93 *ad Thur.;* AUG. *Retract.* II c. 5.

[26] AUG. apud *Mazzella* n. 773.

[27] AUG. epist. 185 *ad Bonif.* c. 8.

[28] S. THOM. 1-2 q. 90 a. 4.

[29] GIBIER *Ob. c. la Ch.* ser. 1 c. 45.

399. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Media fini proportionantur : atqui finis Ecclesiae est spiritualis : ergo Ecclesia poenis spiritualibus debet inobedientes punire. **Resp.** Punire debet poenis proportionatis conditioni subditorum in finem adducendorum *conc.:* secus *neg.* Praecise quia media esse debent *efficacia* et sine poenis corporalibus Ecclesia homines corruptos non duceret ad salutem, necesse est ut non solis poenis spiritualibus, sed et corporalibus suas leges communiat.

400. **Obiic. 2.** Ecclesia continuare debet missionem Christi, qui non venit perdere sed salvum facere quod perierat : ergo neminem potest occidere. **Resp.:** Neminem potest occidere directe et per se *trans.* per alios *nego.* Distinguendum est inter jus *reale* et *virtuale:* hoc alterum, seu quod Ecclesia possit exigere a Statu ut haereticos et schismaticos (qui suae incolumitati insidiantur) morti tradat, omnino concedendum est, siquidem *jus gladii* essentialiter competit supremae potestati, cui deesse non possunt media necessaria ad legis observantiam obtinendam et ad membra putrida et damnosa resecanda [30]. Si agitur de jure *reali et expedito,* seu quaeritur an judices ecclesiastici possint per se mortis sententiam in causa fidei dicere, non conveniunt auctores. TARQUINI in affirmativam sententiam inclinat, siquidem *Scripturae* testimonia, quae adducuntur in contrarium, nil evincunt et *factum non usus* explicari potest ex timore majoris mali vel ex auxilio praestito a societate civili [31] : BILLOT existimat « exercitium auctoritatis in causa sanguinis, regulariter *saltem* loquendo non pertinere ad Ecclesiam; idque non propter minorationem aliquam jurisdictionis, sed propter defectum *congruentiae*... Eodem (enim) pacto quo non est conveniens magistratui civili ut publici executoris partes assumat, ita non congruit ut Ecclesia sese quolibet modo immisceat in causis capitalibus, sive decernendo poenam mortis per suam propriam legem, sive applicando illam per proprios ministros ad particulares personas. Ratio est quia oportet salvam esse in Ecclesia et ministris eius *existimationem lenitatis,* quae inde caperet detrimentum » [32].

---

[30] Ecclesia ita curam singulorum gerere debet ut communitatis non obliviscatur : ad primum reducuntur poenae medicinales, quae usque ad inflictionem mortis non perveniunt, ad alterum vindicativae et exemplares, quae poenam mortis oppido comprehendunt. Cf. pr. 14 *Huss* et pr. 33 *Lutheri;* S. THOM. 2-2 q. 64 a. 2 et 3; MEYER *Inst. jur. nat.* p. 2 n. 593-600.

[31] TARQUINI *Ins. jur. eccl. pub.* n. 46 ad 7.

[32] BILLOT II th. 24 p. 164-7; S. THOM. 2-2 q. 64 a. 4.

CAPUT IV.

De potestatis subiecto.

401. **Quaestionis ratio.** Consideravimus originem et naturam ecclesiasticae potestatis, manet ut dicamus de *subiecto* in quo residet. Porro ex Christi institutione duplex est subiectum potestatis Ecclesiae, alterum *supremum* in quo auctoritatis plenitudo residet et est R. P., alterum *adaequatum* quod constituitur ecclesiastica hierarchia constans ex episcopis, presbyteris et ministris. De *hierarchia* Ecclesiae loquemur in tractatu de *Ordine:* in praesenti fere exclusive agemus de *primatu R. P.,* de quo plures hunc tractatum inscribunt. Caput in quinque articulos dispescimus, scil.: 1 *De Primatu S. Petri* — 2 *De derivatione primatus in R. P.* — 3 *De plenitudine jurisdictionis R. P.* — 4 *De infallibili magisterio R. P.* — 5 *De secundario subiecto ecclesiasticae potestatis.*

Art. 1 - De primatu S. Petri.

402. **Triplex regiminis forma.** In societate civili duplex potestas distinguitur *constituens,* qua forma regiminis determinatur et firmantur leges fundamentales, quae societatis statutum audiunt, et *regens* qua, juxta leges fundamentales, qui auctoritate pollent, rem publicam administrant. In Ecclesia potestas *constituens* est penes Christum, qui Ecclesiae unus fundator, sicut potestatem contulit, ita regiminis formam constituit[1]: nunc quaerimus de potestate *regente* seu de forma constituta, quae apud juristas dividitur in *monarchicam, aristocraticam* et *democraticam.* Prima contingit cum plenitudo potestatis residet in uno, qui sine sociis universae praeest multitudini; altera cum auctoritas est penes personam moralem seu in collegio optimatum, qui in solidum tenent imperium; tertia cum potestas manet in multitudine, quae sub diverso respectu est simul regens et recta[2].

403. **Monarchiae subdivisiones.** Monarchia dividi solet in *puram* et *mixtam, absolutam* et *non absolutam:* prima divisio re-

---

[1] Cf. n. 333.

[2] In forma *democratica* licet potestas maneat penes populum, exercetur tamen a quibusdam qui aliorum nomine agunt: prout autem populi suffragium requiritur pro repraesentantium electione vel pro valore legum, et extenditur ad omnes vel ad plurimos tantum, forma *democratica* est magis vel minus *pura.*

spicit *gradum potestatis;* et monarchia vocatur *pura* si potestas principis est plena et expedita, ita ut princeps independenter a concursu aliorum, puta collegii vel senatus, valeat leges promulgare judicia ferre et sententias exequi; est *mixta* si suprema potestas dividitur vel ligatur, scil. si principi tribuitur tantum pars potestatis socialis [3], vel fit facultas condendi leges, judicandi et exequendi solum de consensu optimatum aut repraesentantium nationis. Altera divisio respicit *totalitatem potestatis,* unde monarchia vocatur *absoluta* si praeter regem nemo habet ordinariam potestatem, *non absoluta* si alii vocantur ad regendos subditos potestate ordinaria, societate ipsa distributa in plures civitates vel provincias [4].

404. **Quae melior societatis forma.** Licet quaelibet forma sit bona, imo inspectis circumstantiis temporis, locorum et personarum *respective melior,* per se loquendo praestat forma *monarchica* quia ipsa, ceteris paribus, triplex potestatis finis, qui est *ordo, firmitas,* et *prosperitas* societatis, melius obtinetur. Profecto in monarchia *a*) perfectior est *ordo socialis,* quia ordo dicit prius et posterius et in sola monarchia nemo a prioritate vel posterioritate in gradu sociali eximitur: *b*) major est *firmitas,* quia in multitudine imperantium habetur semen dissentionis et luctae, quibus regni commotio et eversio paratur [5]: *c*) solicitior est *prosperitatis* cura, quia, secundum communiter contingentia, aptior est ad bonum publicum curandum, qui uti suum habet; est autem princeps, qui uti privatum bonum habet regnum [6]. — Idem dici nequit de *monarchia absoluta;* unus enim non potest per se magnae multitudini providere, et nimia auctoritatis centralizatio plenae explicationi vitae singularum partium nocet.

405. **Ecclesia est monarchia pura non absoluta.** Asserti probationem ad sequentia remittimus; sensum propositionis indicasse sufficiat. Ecclesiam dicimus *monarchiam* quia suprema potestas in uno tantum capite physico residet, scil. in R. P.; dicimus *puram* quia tota plenitudo potestatis residet in R. P., qui sine aliorum consensu directe regit universam Ecclesiam; non vocamus *absolutam,* quia jure divino sunt in Ecclesia episcopi, qui de plenitudine jurisdictionis R. P. participant ordinaria potestate.

---

[3] V. g. cum principi datur expedita potestas administrativa et executiva, collegio optimatum vel deputatorum plebis servata potestate legifera.

[4] BILLOT III *Prooem.* in q. 13 p. 97-9.

[5] Cf. Matth. **12.** 25.

[6] BELLARM. *De R. P.* I c. 2.

406. **Errores — Veritas.** REFORMATORES sec. XVI Ecclesiam concipientes quasi societatem aequalem sine essentiali distinctione laicorum et clericorum, induxerunt formam *democraticam*[7]: M. PATAVINUS et JANSENISTAE cum GRAECIS SCHISMATICIS et ANGLICANIS formam *aristocraticam* praetulerunt; illi quidem Apostolis omnibus vel saltem Petro et Paulo aequalem auctoritatem tribuentes, hi vero concipientes Ecclesiam ad modum *Status foederati*[8]: accedunt GALLICANI adstruentes *monarchicam non puram*, qua R. P. in exercitio potestatis moderari deberet episcoporum consensu[9]: *divinam* tandem *originem* primatus negant MODERNISTAE blaterantes S. Petrum ne suspicasse quidem de accepto primatu[10]. **Veritas.** Ecclesiae formam esse vere *monarchicam* a Christo in B. Petro constitutam definitum est in CONC. VATIC.: « S. q. d. B. Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput... a. s. »[11].

THES. 49. *Primatus S. Petri clare innuitur in modo quo Apostolorum elencus retexitur.*

407. Nam cum Apostoli enumerantur aliorum locus variat sed Petro semper primus servatur[12]: atqui haec praecedentia non competit Petro ex *a*) tempore vocationis, quia post Andream secutus est Dominum[13], neque ex *b*) naturali propinquitate ad Christum, quia solus Jacobus, Simon Cananaeus et Judas erant fratres Domini[14], neque ex *c*) speciali dilectionis signo, quia Joannes erat discipulus quem diligebat Jesus[15]: ergo competit ei ratione dignitatis et auctoritatis. CONFIRMATUR nam Matth. non solum

---

[7] Aliqui, ut KEIL, concedebant primatum quemdam *honoris* apud *C. Mazzella* n. 849; *Knab.* in Matth. II p. 55: MODERNISTAE apud *Pium X* Enc. *Pascendi* et in *Il Programma* p. 90; 124, formam democraticam exoptant.

[8] C. MAZZELLA n. 850; supra n. 185.

[9] Cf. BILLOT *l. c.* p. 41 sqq.

[10] DECR. *Lamentabili* pr. 55 et 56.

[11] CONC. VATIC. *Pastor aeternus* cp. 1; JOAN. XXII Enc. *Licet justa;* PIUS VI condem. *Syn. Pistor.* pr. 4 et 5.

[12] Ne objicias Paulum (Galat. **2.** 3) postponere Petrum Jacobo; ordinem enim sumit ex objectionibus judaizantium, qui praecipue auctoritate Jacobi abutebantur; ceterum in eadem epistola non semel (**1.** 18; **2.** 8; 11 sqq.) de primatu Petri testimonium reddit et maxime in celebri contradictione antiochena. CORNELY *in com.* p. 410, 437, 450; supra n. 201.

[13] Joan. **1.** 35-42.

[14] Matth. **13.** 55; Marc. **6.** 3.

[15] Joan. **13.** 23.

primo loco recenset Petrum, sed *primum* vocat [16]; « cum (ergo) non sequatur *secundus, tertius,* etc.; *primus* solum significare potest Simoni prae reliquis inesse aliquam eminentiam et auctoritatem, eum esse primum et praesidem in collegio apostolorum » [17].

THES. 50. *Primatus S. Petri evidenter probatur ex Matth.* **16.** 17-9 *in quo Christus — 1 Petro, — 2 a ceteris apostolis contradistincto, 3 promittit plenitudinem auctoritatis in universam Ecclesiam* [18].

408. **Prima pars.** *Subiectum promissionis Christi est Petrus.* **Testimonium.** *Dicit illis* (Apostolis) *Jesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon Bar* (h. e. *filius*) *Jona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* **1 Argum.** *Ex contextu grammaticali.* Nam Christus claves regni coelorum promittit ei quem dixit *petram* fundamentalem suae Ecclesiae [19]: atqui petram, supra quam Christus aedificavit Ecclesiam, esse Petrum docet pronomen *hanc* quod juxta grammaticae leges refertur ad nomen immediate praecedens, quod est Petrus [20]: ergo. **2 Argum.** *Ex contextu logico.* Nam Christus verbis, quae primatum Ecclesiae continent, respondit ei *a*) qui

---

[16] Matth. **10.** 2.

[17] KNAB. *in Matth.* I p. 373.

[18] Ex *promissione* concludi *factum* manifestum est, siquidem Christus mutari non potest, secundum illud: *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Marc. **13.** 31.

[19] Omnia de uno eodemque Petro dici constat ex pronominibus et particulis; sicut enim part. *et* coniungens responsionem Christi cum confessione Simonis ostendit nomen Petri esse impositum filio Jonae, et pron. *hanc* manifestat Petrum esse constitutum fundamentum Ecclesiae, ita part. *et* quo v. 19 conjungitur cum 18 docet potestatem clavium esse collatam *Petrae* Ecclesiae.

[20] Ne dicas homini attributum *petrae* non convenire; agitur enim de metaphora, unde sicut Christus dicitur *vitis* (Joan. **15.** 1), ita Simon Joannis dicitur *petra* vel *saxum.* Ceterum metaphora non est nova, nam in N. T. *petra* dicitur de *Christo* (Act. **4.** 11; 1 Corinth. **10.** 4; 1 Petr. **2.** 7) et in V. T. enuntiatur de *Deo* (Deut **32.** 4; 15; 2 Reg. **23.** 3; Ps. **18.** 3; 47; **19.** 15; Isai. **30.** 29; etc.). Cf. KNAB. *in Matth.* II p. 53.

dixerat *tu es Christus Filius Dei vivi*, *b*) cujus beatitudinem proclamat, *c*) cujus acceptam revelationem a Patre manifestat, et *d*) cui nomen novum imponit : is autem est Petrus. *e*) Adde Scripturam de more explicare nomina a Deo imposita [21] ; quia ergo Christus in nostro testimonio Simoni Bar Jonae imponit nomen *Petri*, de ipso intelligenda sunt quae petrae officium explicant. **3 Argum.** *Ex contextu psycologico*. Nam, uti part. *et ego* (κἀγὼ δέ σοι melius *et ego vicissim*) indicat et Patres docent, « remunerat Petrum Dominus mercedem illi dans magnam, quod super eum aedificavit Ecclesiam » [22] : scil. sicut Pater ei revelaverat suam messianitatem et divinitatem, et Petrus utramque confessus fuerat, ita Christus vicem reddens dicit : *supra te aedificabo Ecclesiam meam*. **Confirmatur.** « Nam tandem PROTESTANTES quoque in tantum cesserunt ea in re sane rationi et regulis sermonis humani, ut concederent verba ea referri ad eumdem, qui modo saxum sit vocatus ; proinde Christum dicere se supra Petrum... aedificaturum Ecclesiam, ut scil. sicut in parabola **7**. 24 sq. petra domui dat firmitatem et stabilitatem, ita status Ecclesiae fundandae in tuto collocetur » [23].

409. **Secunda pars.** *Petrus cui Christus primatum promisit, est particularis persona ab aliis Apostolis contradistincta*. **1 Argum.** *Ex textu*. Nam in nullo legali instrumento particularis persona melius designatur quam *a*) nomine *b*) paternitate *c*) vulgato cognomine, atque *d*) pronominibus et verbis secundae personae singularis : atqui Christus promissiones suas fecit *a*) Simoni, *b*) filio Jonae, cui *c*) nomen Petri imponit, *d*) quemque in toto sermone verbis (*es, dabo, ligaveris, solveris*) et pronominibus (*tibi, tu, tibi*) secundae personae designat : ergo. **2 Argum.** *Ex contextu*. Nam Christus respondit ei *a*) qui confessus fuerat suam messianitatem et divinitatem, *b*) qui acceperat revelationem a Patre, *c*) cui nomen novum imponit, *d*) quem beatum vocat et *e*) pro confessione remunerat : atqui haec conveniebant Petro prout a ceteris Apostolis contradistinguebatur : ergo.

410. **Tertia pars.** *Obiectum promissionum Christi est primatus in universam Ecclesiam*. Auctoritatem quam Christus Petro

---

[21] Vide quae dicuntur de *Ismael* (Gen. **16**. 11), *Abraham* (Gen. **17**. 5), *Israël* (Gen. **32**. 28), *Accelera, spolia, detrahe, festina praedari* (Isai. **8**. 3), *Jesus* (Matth. **1**. 21).

[22] THEOPH., HIER., LEO M. apud *Knab*. p. 53.

[23] KNAB. *l. c.* ex *Weiss, Keil, Mansel*. De consensu sectarum antiquarum vide PALMIERI p. 309.

promittit non esse super aliquos tantum fideles, sed supra UNIVERSAM ECCLESIAM patet *a*) ex nomine *Ecclesiae,* quae sine addito non dicitur de ecclesia particulari [24]; *b*) ex nomine *regni coelorum* quod constanter effertur de Ecclesia universali [25]; et *c*) ex amplitudine potestatis (*quodcumque ligaveris... quodcumque solveris*), quae, sicut limites non agnoscit in intensitate, ita nec in extensione. Porro praeeminentiam promissam non esse solius honoris sed verae AUCTORITATIS IURISDICTIONALIS apparet ex similitudinibus adhibitis et ex expressis verbis. *a*) Et primo quidem *ex similitudinibus;* nam Christus officium Petri relate ad Ecclesiam exhibet imagine *fundamenti* quod domum sustentat (*super hanc petram aedificabo*) atque *clavicularii* qui retinet claves domus (*et tibi dabo claves coelorum*) : atqui *fundamentum* non est ornatus domus sed eius pars essentialis influens in ceteras omnes, quae fundamento adhaerent ab eo unitatem et stabilitatem mutuantes [26]; unde metaphorice exprimit auctoritatem qua subditi in unum coalescunt et contra inimicos firmantur [27] : et similiter *claves* non sunt redundans domus suppellex sed medium necessarium ad usum bonorum, quae clavibus recluduntur; unde metaphorice in usu sacro [28], non minus quam profano [29], exprimunt jurisdictionalem potestatem qua bona socialia subditis distribuuntur, et subditi legibus ac dispensationibus vinciuntur vel reserantur : ergo. *b*) Idem evincitur *ex expressis verbis.* Nam Christus promisit Petro ut quodcumque ligasset vel solvisset in terris ligatum etiam vel

---

[24] Supra n. 178.

[25] Matth. **3**. 2, **4**. 17, **5**. 3; **13**. 24; 31; 33; 44; 45; 47 etc. coll. CORNELY *Comp. Intr.* Diss. VII § 2 n. 11.

[26] In similitudine fundamenti praecipue attendi firmitatem rei, quae superaedificatur, docuit Christus in sermone montano. Matth. **7**. 24-7.

[27] Aedificationem supra petram ordinari ad Ecclesiae firmitatem patet ex part. *et,* qua indefectibilitas Ecclesiae (*portae inferi non praevalebunt*) subordinatur praecedenti *aedificabo Ecclesiam meam.*

[28] Isai **9**. 5; **22**. 22; Apoc. **1**. 18; **3**. 7.

[29] « Quando enim deduntur urbes alicui principi, offeruntur ei claves in signum subjectionis, et ei qui instituitur oeconomus in domo, claves tradi solent ». BELLAR. *De R. P.* c. 13. PALMIERI *De R. P.* p. 334, hoc evincit ex *Collimacho* in hym. in Cererem 44, et ex *Solymano* qui legatis Ferdinandi I respondit : *Claves Hungariae suspendam ex humero meo.* Etiam apud rabbinos claves symbolum esse potestatis et auctoritatis pluribus ostendit WÜNSCHE apud KNAB. in *Matth.* II p. 66.

solutum foret in coelis : atqui vidimus *ligare* et *solvere* esse verba technica ad exprimendam potestatem jurisdictionalem [30] : ergo.

THES. 51. *Auctoritatis primatum S. Petri — 1 testantur etiam Patres, et — 2 confirmant archeologiae monumenta necnon haereticorum atque ethnicorum scripta.*

411. **Prima pars.** *Patres testantur primatum auctoritatis S. Petri.* Nam communissime intelligunt de Petro testimonium Matth. in praecedenti thesi explicato ; unde Petrum vocant *petram Ecclesiae, — petram firmissimam, quam non vincunt portae inferi, —firmam et solidam petram, supra quam Christus aedificavit Ecclesiam, — fundamentum Ecclesiae, — Ecclesiae coryphaeum, — caput illius familiae* (Apostolorum) *orbisque totius praefectum, — pastorem Ecclesiae sicut Moysen synagogae, — Apostolorum principem, — contra quem nec Paulus sibi vindicavit primatum :* loqui vero de Petro contradistincto a coeteris, inde patet quod considerant *principem* aliorum, *fratrem Andreae, — quem visit Paulus, — qui peccavit — et sedit Romae*, — quique sua singularitate est *origo unitatis Ecclesiae* [31]. « Petro, inquit ORIG., cum summa rerum de pascendis ovibus ageretur, et super ipsum velut super terram fundaretur Ecclesia, nullius alterius ab eo virtutis confessio nisi charitatis exigitur » [32]. Et CYPR. : « Exordium ab

---

[30] Supra n. 394.

[31] E Patribus qui primatum B. Petri agnoverunt citari solent *SAEC. 1* JOAN. *Evang.* 2 epist. v. 2 cum Ecclesiam romanam dicit *electam. SAEC. 2* IGNAT. M. Epist. *ad Rom.* exord. ; IREN. *Adv. Haer.* III c. 3 n. 2 qui Romam vocat *dominam,* quae *praeest charitati* (h. universalitati) : *SAEC. 3* HIPP. in *S. Theoph.* n. 9 ; TERTUL. *De Praesc.* c. 23 ; *De Pudic.* c. 21 ; ORIG. *in Exod.* hom. 5 n. 4 ; *in Rom.* V n. 10 ; CYPR. *epist.* 43 n. 5 ; 70 n. 3 ; 73 n. 7 ; *ad Jub.* n. 10 ; FIRMIL. epist. *ad Cypr.* n. 16 : *SAEC. 4* ANTON. abb. *epist.* 17 ; JACOB. Nisib. serm. 1 *De Fide ;* ATHAN. in *Ps.* **15** ; APHRAATES *Demonst.* VII n. 15 ; XXII n. 12 ; EPHREM *Evan. concord.* c. 14 ; serm. 4 in *Heb. S.* n. 1 ; HIL. *De Trin.* VI c. 20 ; OPTAT. *De Schis. Donat.* II n. 2 ; MAR. Vict. in *ad Gal.* 2 ; BASIL. *C. Eunom.* II n. 4 ; *in Isai* c. 22 n. 66 ; CYRIL. Hier. *Catech. myst.* II c. 19 ; NILUS *De vol. paup.* c. 8 ; EPIPH. *Anc.* c. 9 ; *Haer.* 51 n. 17 ; 59 n. 7-8 ; GREG. Naz. or. 22 ; GREG. Nyss. in *Laud. S. Steph.;* PACIAN. epist. 3 *ad Sympr.;* CHRYS. in *Hoc scitote* n. 4 ; in 1 *Corinth.* 3. 11 ; AMBR. *Hym.* 1 ; *De Virg.* n. 16 ; *De Fide* IV c. 5 n. 56 : *SAEC. 5* MACAR. Magnes *C. Porphyr.* III c. 27 ; HIERON. ep. 15 *ad Dam.* n. 57 ; AUG. in *Ps. c. part. Donat.; C. Faust.* XXII n. 70 ; P. CHRYS. *serm.* 154 ; LEO M. *epist.* 5 n. 2 ; 10 n. 1 ; *Serm.* 3 c. 3 ; *serm.* 4 c. 2 ; *serm.* 98 c. 1, etc.

[32] ORIG. in *Rom.* V n. 10.

unitate proficiscitur et primatus Petro datur ut una Ecclesia et cathedra una monstretur »[33]. EPHREM inducit Christum dicentem : « Simon... ego te constitui fundamentum Ecclesiae sanctae... si quid reprobum aedificare velint tu fundamentum reprimas eos : tu es caput discipulorum meorum... claves regni mei dedi tibi. Ecce principem te constitui super omnes thesauros meos »[34]. EPIPH. notat quod licet Andreas aetate praeiret Petro, tamen Christus « Petrum discipulorum suorum principem elegit, uti perspicue declaratum est »[35]. CHRYS. confitetur « Petrum chori illius coryphaeum, os Apostolorum omnium, caput illius familiae, orbis totius praefectum, fundamentum Ecclesiae »[36]. HIERON. vocat « principem Apostolorum super quem fundatur Ecclesia... ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio »[37]. AUG. ait : « Quid incongruum, si Petrus post hoc peccatum factus est caput Ecclesiae, sicut Moyses post percussum aegyptium factus est rector illius synagogae? » Donatistas vero sic interpellat : « Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede ; ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae »[38]. Et LEO M. : « De toto mundo *unus Petrus* eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus apostolis, cunctisque Ecclesiae patribus praeponatur »[39].

412. **Secunda pars.** *Ecclesiae primatum confirmant antiqua monumenta et heterodoxorum ac ethnicorum testimonia.* Nam, ut taceamus *a*) ipsam frequentiam qua in MONUMENTIS ARCHEOLOGIAE CHRISTIANAE repraesentatur Petrus, innuere eius excellentiam supra omnes apostolos, primatus dignitatem repraesentant picturae, quae Petrum *b*) exhibent deferentem baculum et claves, signa potestatis supremae soli Christo[40] tributa, *c*) docent antitypum Moysis supremi ducis populi Israël[41] et *d*) describunt accipientem legem de manu Christi, qui proinde eum constituit infallibilem praeco-

---

[33] CYPR. *De Unit. Eccl.* n. 4.
[34] EPHREM Serm. 4 in *heb. S.* n. 4.
[35] EPIPH. *Haer.* 51 n. 17.
[36] CHRYS. hom. in *Hoc scitote* n. 4.
[37] HIERON. epist. 57 *ad Damas.*
[38] AUG. *C. Faus.* XXII n. 70.
[39] LEO M. *Serm.* 4 c. 2.
[40] Baculus tribuitur etiam *Moysi.* Esse signum imperii constat ex Gen. **49**. 10 ; Num. **24**. 17 ; Ps. **44**. 7 etc. Cf. etiam VIGOUROUX *Manuale Bib.* I p. 716, II p. 166, 609.
[41] Revera Moysen percutientem petram pingunt traditionali figura Petri, cuius nomen aliquando subscribunt. Cf. MARUCCHI *Manuale di Archeol.* ed. 2 p. 318 sqq. ; Append. fig. 3 et 4.

nem et custodem fidei [42]. Accedunt TESTIMONIA SECTARUM SEPARATARUM quae cum Romana nonnisi in originaria doctrina convenire possunt; etenim in liturgiis NESTORIANORUM, CHALDAEORUM, JACOBITARUM Petrus est « caput apostolorum, fundamentum, pastor et gubernator Ecclesiae », « tenens sedem Christi in terris »; in liturgia ARMENICA dicitur « caput electi coetus », « fidei petra... Ecclesiae fundamento positus..., (qui) claves regni coelorum accepit, caput SS. Apostolorum constitutus, ut illis sua daret mandata vice ipsius Christi » : in liturgiis SLAVORUM effertur ut « fundamentum Ecclesiae, supremus Apostolorum », « coryphaeus Apostolorum, protothronus Apostolorum, claviger regni coelesti », « pastor (qui) a Christo gregem accepit » [43]. Confirmatur TESTIMONIIS ETHNICORUM ab Origene et Macario relatis [44], non enim poterant PHLEGON et PORPHYRIUS Petrum cum Christo confundere et irridere quasi Ecclesiae fundamenta portasset, et haberet potestatem de rebus summis, nisi notitia primatus Petri ad paganorum aures pervenisset [45].

413. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Ecclesiae *fundamentum,* qui et *lapis angularis* et *petra* dicitur, unus est Christus [46] : petra ergo, supra quam Christus aedificavit Ecclesiam, non Petrus est sed Christus; ac proinde dicendum est Christum se ipsum indigitasse, cum ait *supra hanc petram* [47]. **Resp.** Petrus non est petra principalis Ecclesiae *conc.,* neque vicaria *neg.* Cum vicarius personam principis gerat, nil mirum quod Petrus, a Christo constitutus suum vicarium, Christi attributa accipiat, unde sicut factus est *clavicularius* regni coelorum et *pastor* ovilis Christi, licet Christus sit *pastor ovium* [48] et rex qui *habet claves David* super humerum suum [49], ita factus sit

---

[42] Cf. Append. fig. 2. *NB.* Ad antiqua documenta revocari possunt etiam *legendae* et *apocrypha apostolorum* quae ut ostendi KNAB. apud *Laak* n. 224 undequaque redolent primatum S. Petri; notum enim est legendarum fundamentum esse traditionem.

[43] Apud *Van Laak* n. 223.

[44] ORIG. *C. Celsum* II n. 14; MACARIUS Mag. *Dial.* III c. 19.

[45] Similia contigerunt de divinitate Christi, et de eius reali praesentia in SS. Eucharistia.

[46] *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* 1 Corinth. **3.** 11; Ephes. **2.** 10; 1 Petr. **2.** 7.

[47] PROTESTANTES apud *C. Mazzella* n. 856 et *Knab.* in Matth. II p. 53. Rem illustrant exemplo Joan. **2.** 19 *solvite templum hoc;* sed paritas non tenet quia *a*) in testimonio objecto Christus non nominaverat *aliud* templum, et *b*) evangelista statim *explicat* quod Christus dixerat de se ipso.

[48] Joan. **10.** 11 sqq.

[49] Isai. **9.** 6; **22.** 2; Apoc. **3.** 7.

petra fundamentalis Ecclesiae [50]. Porro indigitatio, quam obtrudit Calvinus, admitti nequit quia *a*) gratis asserta, *b*) omnino contraria veritati Scripturae, quae circumstantiam essentialem verborum sensum mutantem silere non potuit, et *c*) repugnans contextui grammaticali, logico et psycologico, ut vidimus in thesi.

414. **Obiic. 2.** Pronomen concordare debet cum nomine: atqui non minus in latino, quam in graeco, pronomen *hanc* est generis foeminini dum Petrus est masculini: ergo. **Resp.** *Neg. suppositum.* Quod enim in primo membro habeatur *Petrus* et non *Petra* debetur indoli sermonis graeci et latini, qui attributum concordat cum genere subjecti propositionis, unde, quia *tu* (Simon Bar Jona) est generis masculini, vox exhibens notionem saxi facta est Petrus: sed Christus locutus est aramaice, ubi vox כֵּיפָא (*Kepha* = *saxum*) est generis neutri [51], ergo concordantia inter pronomen (*hoc*) et nomen praecedens (*saxum*) in ore Christi fuit plena [52].

415. **Obiic. 3.** Neque in Evangelio S. Marci, quod praedicationem S. Petri refert, neque in epistolis S. Petri est vestigium primatus eius: ergo « Simon Petrus ne suspicatus quidem umquam est sibi a Christo demandatum esse primatum in Ecclesia » [53]. **Resp.** *Neg. ant.* et *suppositum.* Nego *antecedens* quia in Evangelio Marci « Petrum inter apostolos primum locum tenuisse, ex tota narratione apparet » [54] et indicatur Apostolorum catalogo [55]. Nego *suppositum* quia non ex ignorantia sed ex humilitate ut notant EUSEB. et CHRYS. Petrus occultabat quantum licebat quae sibi majori laudi erant, potius evulgando quae in sui vituperium cedebant [56].

---

[50] LEO M. *Serm.* 4 *in die Assump.* inducit Christum sic Petro loquentem: « Cum ego sim inviolabilis *petra,* ego *lapis angularis,* qui facio utraque unum, ego *fundamentum* praeter quod nemo potest aliud ponere, tamen *tu quoque* petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia ».

[51] Aramaicum כֵּיפָא (*Kepha*) est vox producta ex hebr. כֵּף (*Keph*), quod in Scripturis bis in plurali occurrit. Porro Christum dixisse *Kepha* et non Πέτρος confirmatur ex usu priorum christianorum, qui sicut alia nomina hebraica in graeca locutione servaverant (v. g. *messias, satanas, gehenna, sabatum, pascha,* etc.) ita Petrum vocabant *Cepha,* uti constat ex Joan. **1.** 42; 1 Corinth **1.** 12; **3.** 22; **9.** 5; **15.** 5; Gal. **2.** 9; 14.

[52] In utroque membro eodem genere reddiderunt *Kepha* versiones *Syriaca, Arabica* et *Persica.*

[53] DECR. *Lament.* prop. 55.

[54] CORNELY *Comp. intr. in Sacr. Script.* Diss. VII § 3 p. 4.

[55] Marc. **3.** 16 sqq.

[56] EUSEB. *Demonst. Evang.* III n. 5; CHRYS. *in Matth.* hom. 58 n. 2; hom. 85 n. 1.

416. **Obiic. 4.** Eadem verba, quae Christus in nostro testimonio dixit Petro, alias dixit Apostolorum collegio [57]: ergo Petrus collegium apostolicum repraesentabat. **Resp.** *Neg. cons.* Nam, cum dicuntur de integro collegio apostolico, non excludunt monarchiam *puram* sed *absolutam*, seu ostendunt sub principe Petro etiam Apostolos veram et ordinariam jurisdictionis tenuisse potestatem.

417. **Obiic. 5.** Patres *petram* fundamentalem Ecclesiae intelligunt *Christum* [58], vel *confessionem* Petri [59], vel *omnes Apostolos*, imo fideles ipsos [60]: ergo. **Resp.** Patres petram Ecclesiae exponunt de aliis, quam de Petro, explicatione comprehensiva *conc.*, explicatione exclusiva *subd.*: sensu litterali *neg.*; adaptatione et privata expositione *conc.* Traditionalem sensum nostri testimonii produnt Patres cum Petrum unanimiter vocant *fundamentum, firmissimam petram, crepidinem* Ecclesiae, etc. Quod vero aliter quandoque exponant, *a*) partim debetur, ut in AUGUST., ignorantiae linguae aramaicae, quae constructionis discordiam inter *Petrum* et *petram* ignorat; *b*) partim, ut in THED., PRIM. et LEONE M., collationi testimoniorum in quibus *Christus* dicitur petra et fundamentum; unde necesse fuit exponere quod Petrus non erat petra principalis Ecclesiae, sed *vicaria*; *c*) partim polemico usui testimonii; ut enim facilius arianos impugnarent, synecdoche nomen *fundamenti Ecclesiae* a persona Petri transtulerunt ad rationem, qua Petrus sua confessione, in Apostolorum principem meruit eligi. « Ante arianae haereseos ortum, inquit NATAL. ALEX., illa sola expositio viguit, quae refert illa verba ad ipsam Petri personam, ut constat ex *Tertul., Orig., Cypr.* Cum vero ariani Christi divinitatem palam impugnassent, SS. PP. qui firmissimum catholicae causae praesidium in illis S. Petri verbis *tu es Christus Filius Dei vivi*, positum animadverterunt, istius confessionis dignitatem summis laudibus extulere... ipsammet confessionem fundamentum Ecclesiae nuncuparunt metonymice... ut arianos... velut fundamenti Ecclesiae destructores insectari possent » [61].

---

[57] Matth. **18**. 18; **28**. 19; Ephes. **2**. 20; 1 Petr. **5**. 2; Act. **20**. 28.

[58] *Hier., Cyril., Aug., Theod., Primas., Cassiod., Pseudo-Greg. M., Beda, Dungalus, Rabanus, Anselmus, Petrus Lomb., S. Thom.* apud PALMIERI p. 319.

[59] *Hil., Nyss., Ambr., Hil.* diac., *Chrys, Isidor.* Pelus., *Aug., Cyril.*, Alex., *Pallad., Juven.* hier., *Leo M., Theod., Basil.* Seleuc, *Eucher., Felix III, Cosmas, Greg. M., Procop.* Gaz., *Maximus, Beda, Damasc., Hadrian., Druthmarus, Jonas* Aurel., *Joan. VIII, Rupertus, S. Thom.* et alii apud PALMIERI *l. c.*

[60] *Origen., Cypr., Hier., Cyril.* Alex. *Aug., Theod., Theoph., Rabanus, Pasch. Radber., Druthmarus* apud PALMIERI et KNABEN. *l. c.*

[61] NAT. ALEX. *Hist. Eccl.* III saec. 1 Diss. 4 p. 99.

418. **Obiic. 6.** Superior a nemine *mittitur,* nec subditis *rationem reddere* tenetur de sua gestione: atqui Petrus Samariam missus est ad fideles confirmandos [62], et in judicium vocatus est, ut de violata religione se purgaret [63], ergo. **Resp.** Superior non mittitur *auctoritative,* nec tenetur de sua operatione *judicialiter* reddere rationem *conc.;* non potest mitti missione *exhortatoria,* nec tenetur aliquando de propria gestione *ex prudenti oeconomia* reddere rationem *neg.* Primum testimonium nullam difficultatem habet, siquidem agit de missione exhortatoria. Quoad alterum nota fuisse judaizantes, qui de Petro murmurabant, quibus ipse prudenter satisfaciendum putavit, ut exemplo doceret quod serius scripsit de ratione reddenda nostrae spei [64], atque mansuetudine et luce veritatis adversarios in suam traheret partem [65].

419. **Obiic. 7.** Saltem paritas agnoscenda est inter Petrum et Paulum, qui *a*) nihil accepisse testatur ab aliis Apostolis [66], *b*) cum Petro divisit apostolatum mundi [67] *c*) eique liberrime contradixit [68] atque *d*) a Patribus laudatur quasi princeps Apostolorum [69] et urbis Romae pater [70]. **Resp.** *Neg. assert.* Nam, *a*) cum *Paulus* negat se accepisse aliquid a ceteris Apostolis, ostendit veritatem sui apostolatus, cuius est doctrinam et missionem habere *directe* a Christo: *b*) cum sibi apostolatum *inter gentes* attribuit, loquitur de primaria deputatione, quae primis Ecclesiae annis diversis erat committenda ut facilius Evangelium propagaretur [71]: *c*) cum Petro contradixit, non auctoritative fecit, sed doctrinaliter revocavit a praxi, quae, in se bona, occasio fuerat erroris [72]: *d*) cum dicitur *princeps* vel *pater* Romae, non affirmatur cum Petro episcopatum Romanum in solidum tenuisse [73], sed indicatur in apostolici ministerii muneribus magnam habuisse partem et cum Petro sanguine sacrasse.

ARTIC. 2 - DE PRIMATUS DERIVATIONE IN RR. PP.

420. **Nexus ad sequentia.** Perpetuitas primatus sine negotio colligitur ex praedictis de natura potestatis ecclesiasticae [1]. Cum enim forma Ecclesiae mutari non possit absque nova fundatione, de qua nullatenus constat, morte S. Petri jura primatus permanere debue-

---

[62] Act. **8.** 14.
[63] Act. **11.** 1 sqq.
[64] 1 Petr. **3.** 15.
[65] KNAB. in *h. l.* p. 198-201.
[66] Gal. **2.** 6.
[67] Gal. **2.** 7-8.
[68] Gal. **2.** 11. sqq.
[69] HYM. *Fest. SS. Petri et Pauli.*
[70] LEO M. *Serm. in Nat. Ap. Petri et Pauli.*
[71] Supra n. 201.
[72] Imo cum solum Petrum sibi opponit, ejus primatum fatetur.
[73] Cf. Rom. **15.** 20-28.
[1] Supra n. 330.

runt; quia ergo, R. P. excepto, nullus successionem Petri in primatu sibi vindicat, dicendum quod R. P. est Petri successor in primatu. Quia tamen de re summi momenti agitur, novis eam argumentis fulciemus.

421. **Episcopatus romanus et primatus non sunt duo episcopatus.** *Per se* loquendo potuisset Petrus (sua vel Christi auctoritate) jura primatus alteri sedi ligare, imo nulli particulari ecclesiae vincire, vel praeter electionem in episcopum romanum determinare peculiares circumstatias et conditiones, quibus jura et officia primatus assumerentur; *de facto*, ut in thesi probabimus, una conditio est legitima electio in episcopum urbis Romae. Hinc episcopatus romanus et primatus non sunt *duo* episcopatus, siquidem ille nec ratione *territorii* nec ratione *potestatis*, nec ratione *personae* huic quidquam addit [2].

422. **An episcopatus romanus a primatu possit separari.** Non defuerunt maxime ex antiquis [3] qui unionem pontificatus romani ad primatum reputantes juris ecclesiastici dixerint de consensu R. P. sedem primatus posse a Roma in aliam transferri civitatem, sed fere communis [4] et certa sententia tenet ea sic intime cohaerere, ut nulla auctoritate separari queant. Hoc constat ex modo quo PATRES, successione Petri reticita, ex solo facto *sessionis in sede romana* concludunt in episcopo romano auctoritatem super universam Ecclesiam [5], et *ex facto non translationis;* si enim jura primatus trasferri potuisset, aliquando fuissent translata. « Primum enim fuit maxima occasio transferendi sedem a Roma in alium locum temporibus imperatorum ethnicorum... Deinde rursum occasio fuit tempore Gothorum... Tertia occasio... fuit tempore B. Bernardi propter ipsorum civium romanorum persecutionem... Quarta occasio fuit quando Romani Pontifices per septuaginta annos manserunt in Galliis... » [6]. Ceterum si non constasset de hac inseparabilitate, quomodo haeretici et schismatici, qui frustra « ad cathedram Petri navigaverant » [7] necnon antipapae et papae dubii de translatione non cogitarunt?

---

[2] BILLOT III *th.* 28. p. 127.

[3] SOTO IV D. 24 q. 2 a. 3; BANNEZ 2-2 q. 1 a. 10 Dub. 4. quibus accessit JAN. DE VIO *Univers. theol. revel. syst.* tom. 3 p. 511.

[4] G. DE VALENTIA *Analysis fidei* VII c. 12; SUAREZ *Cont. Reg. Ang.* III 19; BELLAR. *De Rom. Pont.* II c. 12; BENED. XIV *De Syn.* II c. 1 n. 1. — Hinc damnata est prop. 35 SYLL. : «Nil vetat, alicujus Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab romano episcopo atque Urbe ad alium episcopum aliamque civitatem transferri ».

[5] Testimonia dabimus in thesi.

[6] BELLAR. *De R. P.* IV c. 4.

[7] CYPR. *Epist.* I ep. 3.

423. **An primatus in universam Ecclesiam competat Romano Pontifici jure divino.** Quaestio potest proponi sensu *absoluto,* prout R. P. de facto est successor B. Petri, et sensu *relativo,* ad alias sedes prout episcopus Romae prae ceteris episcopis de jure est successor B. Petri: primo modo omnes concedunt primatum convenire R. P. *jure divino* [8], altero, ut modo diximus, quidam opinantur eidem convenire *jure* ecclesiastico [9], sed communius et verius tenetur etiam hoc contineri in traditione et esse *juris divini* [10]. Prima ratio sumitur ex inseparabilitate episcopatus romani a primatu; quae enim sunt juris ecclesiastici mutabilia sunt. Accedunt testimonia Patrum et Conciliorum quae loquuntur de *praecepto dato a Christo* ut Petrus sedem Romae figeret [11], vel de *incommutabili divinae Providentiae dispositione* [12], aut de Romanae sedis privilegio *divinitus* dato [13]; quae enim a Deo sunt constituta et praecepta, non sunt juris humani sed divini [14].

424. **Indefectibilitas particularis ecclesiae romanae.** Ex intima unione primatus cum episcopatu romano sequitur indefectibilitas particularis ecclesiae romanae; ita ut « fieri non possit, ut omnes errent simul et tota romana ecclesia apostatica (vel schismatica) efficiatur »; siquidem non intelligitur pastor sine ovibus [15]. Sed sequiturne etiam *aeternitas urbis Romae?* Quamvis ad faciliorem notitiam primatus videtur quod Deus Romam servabit usque ad finem mundi; hoc tamen non requiritur ad perpetuitatem episcopatus romani, cui non opponitur *residentia* in alia civitate, nec urbis *destructio.* Profecto episcopus non constituitur *facto* sessionis, sed *titulo* et *jure regendi;* de-

---

[8] CONC. VATIC. *Pastor* cp. 2.

[9] D. SOTO *l. c.,* BENED. XIV *l. c.;* J. a S. THOM. De R. P. a. 4 n. 9; CRESPI *adn.* in Theol. *Sala.*

[10] S. THOM. 3 p. q. 35 a. 7 ad 3; *De Reg. Princ.* I c. 14; CAJET *De R. P. inst.* c. 13; SUAREZ *De R. P.* Disp. 10 sect. 3; PALMIERI *De R. P.* th. 9 p. 409; FRANZ. *De Eccl. Chr.* th. 12 p. 202; C. MAZZELLA pr. 38 n. 941 sqq.; BILLOT III th. 28 p. 96 sqq.; PESCH n. 501; GROOT p. 575; TANQUEREY *De Eccl.* n. 100.

[11] MARCEL. ep. *ad Antioch.;* HESIG. *Hist.* III; ATHANAS. *De fuga sua* n. 18; OPTAT. *De schis. Donati* I c. 1; INNOC. I *epist.* 209. 2; GELAS. *Decr. de Script.;* epist. 11 et 13; AMBR. *C. Aux. de basil. trad.* n. 13; LEO M. ep. 12 *ad Afric.*

[12] BONIF. VIII Bulla *Sacrosanctae.*

[13] NICOL. I epist. 8 *ad Mich. imp.;* LEO XIII Litterae 15 Jul. 1887; 11 Maî 1899.

[14] Adduci solet etiam definitio CONC. VATIC. *Pastor* cp. 3, sed GRANDERATH *Const. dogm. Conc. Vatic.* 1892 p. 137-50 ostendit non fuisse in animo Concilii hanc quaestionem solvere.

[15] BELLAR. *De R. P.* IV c. 4; C. MAZZELLA n. 947.

structa autem Roma, maneret titulus et jus regendi civitatem Romae (si iterum aedificaretur) et populum romanum, qui, utut dispersus, maneret populus romanus [16].

425. **Qua ratione primatus in R. P. perveniat.** Tria sunt distinguenda : collatio *potestatis,* determinatio *sedis,* electio *personae.* POTESTAS PRIMATUS *immediate* confertur a Christo, qui solus valet suum vicarium constituere, et dare potestatem quae a societate religiosa procedere nequit. « Itaque electores vere dicuntur *creare* Pontificem... *non* tamen *dant* ipsi eam potestatem... Sicut in generatione hominis anima infunditur a solo Deo; et tamen, quia pater generans, disponendo materiam, est causa conjuctionis animae cum corpore, dicitur homo generare hominem » [17]. SEDIS DETERMINATIO est a facto originario adventus B. Petri Romae, ubi sedem primatus transtulit et sua morte irremovibiliter fixit. Cave tamen ne confundas quaestionem *facti,* cum altera *de iure,* vel cum tertia *de cognitione* sedis, cui jura primatus competunt, quasi veritate adventus B. P. Romae negata, vel in dubium vocata, eo ipso corruat vel infirmetur doctrina de primatu R. P.; quod enim romanus episcopus sit successor B. Petri in primatu *directe* ostenditur *Traditione,* et sine romano adventu B. Petri contingere potuisset [18]. LEGITIMITAS ELECTIONIS pendet ab observatione legis, qua ultimus Pontifex modum eligendi successorem determinavit. Hoc quoad *factum* constat ex historia [19] : quoad *jus* inde elucet quod leges ad Ecclesiam universam spectantes a suprema potestate debent determinari. In uno tantum casu lex electionis a Pontifice statuta non teneret, cum scil. ex dubio de eligentium jure evaderet impossibilis; sed dicendum quod huic et similibus casibus occurrit divina providentia impediens ne Ecclesia in inenodabiles quaestiones impingat [20].

426. **Errores — Veritas.** *Perpetuitatem* primatus B. Petri vel *divinam originem* primatus RR. PP. negarunt GRAECI SCHISMATICI, REFORMATORES, etc., repetentes ex imperatorum concessione, vel ex concessione Ecclesiae, vel ex usurpatione RR .PP. [21] : idem renovarunt MODERNISTAE blaterantes quod « Ecclesia Romana non ex divinae providentiae ordinatione, sed ex mere politicis condi-

---

[16] C. MAZZELLA n. 946.

[17] BELLAR. *De R. P.* II c. 17.

[18] V. g. si, nulla particulari sede electa, jure proprio vel divino Romam constituisset sedem successorum suorum. Cf. PALMIERI *De R. P.* th. 8 p. 399 sqq.; BILLOT III *th.* 28 p. 96 sqq.; PESCH n. 465.

[19] Non obstat exceptio CONC. CONSTANT., quia speciales facultates pro electione Mart. V habuit a *Greg. XII.* Cf. FRANZ *De Eccl.* th. 13 sch. p. 238; BILLOT *l. c.* p. 133-4.

[20] PALM. p. 459; BILLOT p. 132 sqq.

[21] C. MAZZELLA n. 904-5.

tionibus caput omnium Ecclesiarum effecta est »[22]. **Veritas definita est** in CONC. VATIC. : « S. q. d., non esse ex ipsius Christi Domini institutione, seu *jure divino,* ut B. Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut R. P. non esse B. Petri in eodem primatu successorem; a. s. »[23].

THES. 52. *Ex Christi institutione Petrus habet in primatu perpetuos successores.*

427. **Ex verbis istitutionis.** Nam *a*) Christus primatum contulit Petro uti *fundamento* Ecclesiae : ergo primatus Petri permanere debet quousque manet Ecclesia, h .e. usque ad finem mundi[24] : atqui Petrus nec permansit nec permanere poterat usque ad finem mundi in persona : ergo eius primatus manet in successoribus. *b*) Item, sine temporis limitione Christus tradidit Petro pascendas *suas oves,* ei dedit *claves regni coelorum* et voluit ut in fide *confirmaret fratres:* ergo in suo officio manere debet quousque sunt *oves Christi,* quousque adest *regnum coelorum,* quousque *fratres* confirmari debent; ac proinde usque ad finem mundi : atqui iterum haec tantum per successores Petrus potest perficere. Ergo. **Ex natura rei.** Nam velis, nolis, potestas Petro collata formam socialem attingit, scil. determinat Ecclesiae regimen : atqui forma regiminis non constituitur in bonum personae sed communitatis, ideoque fixe et permanenter : ergo primatus B. Petro collatus cessare non debuit ejus morte, sed in successoribus descendere. **Ex fine institutionis.** Nam Christus primatum tribuit B. Petro ut ex unitate regiminis firmaretur Ecclesia contra diabolicas tentationes et haeresum impetus[25] : ergo primatus manere debet quousque portae inferi insurgunt adversus Ecclesiam et fideles contra fidei pericula communiri debent : atqui hoc perenne est in Ecclesia et speciali modo continget in fine mundi[26] : ergo.

THES. 53. *Episcopum romanorum esse verum successorem S. Petri in primatu — 1 RR. PP., consentiente Ecclesia, semper sibi vindicarunt — 2 testarunt Patres, et — 3 confirmat ratio.*

---

[22] DECRET. *Lamentabili* pr. 56; LOISY *L'Évang. et l'Égl.* p. 143-6; ANON. *Il Program.* p. 84.

[23] CONC. VATIC. *Pastor* cp. 2.

[24] Ecclesiam esse indefectibilem ostendimus n. 279.

[25] Matth. **16.** 18; Luc. **22.** 32.

[26] Nam tunc insurgent pseudo-prophetae prodigia facientes et diabolus descendet cum magna ira. Dan. **7.** 19-27; Matth. **14.** 22-31; Apoc. **12.** 12-**13.** 18.

428. **Prima pars.** *Romani Pontifices, consentiente Ecclesia, semper primatum in Ecclesia sibi vindicarunt.* Hoc fecerunt *theoretice a*) successionem B. Petri sibi adscribendo, *b*) totius Ecclesiae onus seu regimen sibi incumbere affirmando ac *c*) irretractabilitatem propriae sententiae proclamando; *practice* vero *d*) leges ferendo pro universa Ecclesia, *e*) judicando causas aliarum dioecesium, *f*) episcopos deponendo vel propria auctoritate ad sedes, de qua conciliorum etiam sententia erant remoti, restituendo. Sic v. g. vivente Apostolo Joanne CLEMENS († 100) admonuit et auctoritative praecepit Ecclesiae Corinthi [27]: VICTOR († 202) usum romanum de celebratione paschatis sub excommunicationis poena imposuit Ecclesiis asiaticis: ZEPHIR. († 219) montanistas de Ecclesia ejecit: STEPH. († 257) praecepit ecclesiis africanis in quaestione de rebaptizantibus: JULIUS I († 357) statuit episcoporum causas Romae esse decernendas, et Athanasium restituit in sedem Alexandrinam: LIBERIUS († 366) a Constantio vexatus est ut Athanasium deponeret: DAMASUS († 384) ea, quae Aurelio scribit, vult aliis publicari « ut ab omnibus inviolate debita veneratione custodiantur »: SIRICIUS († 398) testatur se *portare onera omnium*, et RR. PP. a B. Petro tueri *haeredes:* INNOC. I († 417) laudat Patres conc. Cartag. quia in rebus fidei suum judicium exquisierant « scientes quid apostolicae sedi... debeatur, a quo (Petro) *ipse episcopatus* et *tota auctoritas* nominis hujus emerserit »: ZOZIMUS († 418) scribit episcopis Africae quod, « tantum nobis est auctoritatis, *ut nullus de nostra possit retractare sententia* » [28]: COELES. († 432) praecipit episcopis Galliae ut apostolicae sedis sanctiones teneant, ut « legem credendi statuat lex supplicandi »: LEO M. († 461) decernit Conc. Chalcedonensi quae definienda essent in causa eutychiana, nec annuit desiderio Patrum illius concilii, qui sedem CP. secundam *post* romanam desiderabant [29]: GELASIUS († 496) declarat romanam ecclesiam nullis synodicis constitutis esse *ceteris ecclesiis praelatam*, sed evangelica voce D. et S. N. *primatum obtinuisse* [30]: HADRIANUS († 795) scribit conc. Nicaen. II quod Petrus « auctoritatis potestatem... tradidit *divino iussu* successoribus pontificibus », quos paulo ante dixerat episcopos ecclesiae Romanae. Ceterum a sec. V primatus exercitium tam

---

[27] CLEM. Rom. ep. *ad Corinth.*
[28] PESCH n. 480-7.
[29] BILLOT th. 28 p. 109-11.
[30] GELAS. *Decr. Con. Rom.* a. 494.

notum est, ut frustra probetur. — Porro RR. PP. AFFIRMATIONEM ECCLESIAM APPROBASSE constat *a*) primo *ex silentio Patrum;* si enim Patres huiusmodi primatum non agnovissent, contra usurpationem inclamassent, nec dispositionibus Sedis Romanae acquievissent, multo magis quod RR. PP. proprium jus ex Christi voluntate arguebant, ac proinde repetebant ex fide, in qua novitates Ecclesia semper exhorruit. *b*) Accedit implicitus sed manifestus consensus PRAXIS; siquidem in principalioribus causis fidei et disciplinae Patres non ad metropolitas vel ad synodos provinciales sed ad RR. PP. appellarunt. Sic HESIG. et ABERC. Romam peregrinati sunt ad puritatem doctrinae agnoscendam et *mundi reginam* conspiciendam [31], CYPR. adjit Stephanum, ATHAN., URSAC. et VALENS adjerunt Julium, BASIL. Damasum, CHRYS. Innocentium, CYRIL. Alex. Coelestinum, THEOD. Leonem [32]. Nec solum catholici sed haeretici quoque et schismatici, ut refert CYPR., *navigaverunt* ad Romanam Sedem, qua contradicente norant se operam perdere, qua decepta, sciebant universam superasse Ecclesiam [33].

429. **Secunda pars.** *Patres multipliciter RR. PP. primatum testarunt.* Hoc non fecerunt solum approbando, ut vidimus, attestationes RR. PP. sed etiam directe sive *implicite* exaltando sedem romanam uti primam, sive *explicite* confitendo RR. PP. successores B. Petri, et plenitudinem potestatis ei tribuentes. — *a*) *Supremas laudes Ecclesiae Romanae* jam concinit apost. JOAN. vocando *electam dominam* seu quae ceteris imperat [34]: IGNAT. M. dicit *dilectam, illuminatam,* quae *praesidet charitati* (h. e. fidelium universalitati) [35]: IREN. ecclesiam cuius est *potior principalitas* [36]: ORIG. *maximam,* omnibus cognitam, *antiquissimam* (profecto non tempore sed dignitate) [37]: CYPR. *principalem,* Ecclesiae catholicae *radicem* et *matricem* [38]: CONC. SARDIC. ecclesiarum *caput* [39]: OPTAT. cathedram *singularem, unicam in qua unitas ab omnibus ser-*

---

[31] Apud *Pesch.* n. 490.

[32] BILLOT III *th.* 28 p. 111-4.

[33] CYPR. *Ad Cornel.* ep. 55 c. 14. *NB.* Addi potest inscr. S. Sabinae med. saec. 5: « Culmen Apostolicum cum Coelestinus haberet — *primus* et in *toto* fulgeret Episcopatus orbe... ».

[34] 2 Joan. 1 coll. 1 Petr. 5. 13. Cf. PALMIERI *De R. P.* p. 412-3.

[35] IGNAT. M. ep. *ad Rom.* coll. ep. *ad Trall.*

[36] IREN. *Adv. Haer.* III c. 3.

[37] ORIG. apud Euseb. *H. E.* VI c. 14.

[38] CYPR. ep. 55 *ad Cornel.* c. 14; ep. 45 c. 3.

[39] Apud HIL. *frag.* 1 *op. hist.;* CONC. AQUIL. apud *Ambr.* ep. 11 n. 4.

vatur [40]: PRUD. *cathedram primam* [41]: HIER. *petram supra quam aedificata est Ecclesia* [42]: AUG. sedem, quam *non vincunt superbae inferorum portae* [43]. — *b) Successionem B. Petri in RR. PP.* agnoverunt Patres cum CONC. CP. III, vocantes R. P. *Petrum* « qui in propria sede vivit et praesidet (et) praestat quaerentibus fidei veritatem » [44], cum AMBR. dicentes: *ubi Petrus* (h. e. R. P.) *ibi Ecclesia* [45], et in conciliis clamantes: *Petrus per Leonem ita locutus est* [46], *per Agathonem Petrus loquebatur* [47]. Adde eos qui Ecclesiam Romanam nuncupant *cathedram* vel *sedem Petri* [48], ipsumque R. P. *successorem piscatoris* [49], quique RR. PP. catalogum cum IREN., EUSEB., OPT., EPIPH., OROS., AUG. aliisque a B. Petro enumerant [50]. — *c) De plenitudine auctoritatis RR. PP.* Patres collectivis et privatis documentis testimonium dederunt. Revera in CONC. EPHES. (a. 431) damnarunt Nestorium *coacti* per sacros canones et *epistolam Coelestini Romanae Ecclesiae episcopi,* dicentes quod B. Petrus Ecclesiae fundamentum « ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et judicium exercet » [51]: in CONC. AQUIL. (a. 381) ecclesiam romanam vocant illam « ex qua in omnes venerandae communionis jura dimanant »: in CONC. CHALCED. (a. 451) agnoscunt Leonem *caput,* cui commissa est a Salvatore *custodia vineae,* cujus ipsi *sunt filii* [52]: in CONC. NICAEN. II (a. 787) reverenti animo suscipiunt litteras Hadriani, qui sibi, utpote successori B. P., plenitudinem potestatis vindicaverat: in CONC. CP. IV (a. 869-70) subscribunt formulae Hormisdae, qua auctoritas romanae sedis deducitur ex verbis Christi:

---

[40] OPT. *De Schis. Donati* II c. 2 et 3.

[41] PRUDENT. *Perist. hym.* 2 v. 430 sqq.

[42] HIER. ep. 15 *ad Damas.*

[43] AUG. *Ps. cont. Donat.*

[44] P. CHRYS. ep. *ad Eutychen.*

[45] AMBR. in *Ps.* **40** n. 30.

[46] CONC. CHALCED. act. 2.

[47] CONC. CP. III.

[48] CYPR. ep. 55 *ad Cornel.* c. 14; CONC. SARD. apud Hil. *frag.* 1 *op. hist.;* HIER. ep. 15 *ad Damas.*; AUG. *Ps. c. part. Donat.;* ANAST. II ep. *ad imp. Anast.;* CONC. NICAEN II apud *Harduin* IV p. 102; LEO M. Serm. in *Nat. apost.;* PROSP. Carm. *De Ingratis.*

[49] HIER. ep. 15 *ad Damas.*

[50] IREN. *Adv. haer.* III c. 3; TERTUL. *C. Marc.* III c. ult.; EUSEB. *Chron.* I et II; OPT. *De Schis. Donat.* II c. 2-3; EPIPH. *Haer.* 27 n. 6; OROS. *Hist.* VII c. 6-7; AUG. *Epist.* 52 n. 2. *NB.* HARNACK objicit *Iren.* vocare Sixtum I 6 *pont. rom.* atque ideo excludere Petrum; sed merito reponit *Pesch* n. 479 dicere 6 *post* Petrum.

[51] CONC. EPHES. Act. 1 et 3.

[52] PESCH n. 449-50; BILLOT p. 110.

in CONC. LUGD. II (a. 1247) approbant *Profess. Fidei* MICH. PALEOL. : « Ipsa sancta romana ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam ecclesiam catholicam obtinet... eidem omnes ecclesiae sunt subiectae » : in CONC. FLOR. (a. 1439-45) definiunt « sanctam apostolicam sedem et romanum pontificem *in universum orbem tenere primatum* ». — Quoad particularia testimonia citari potest IREN. affirmans quod propter principalitatem ecclesiae romanae, ad illam « *necesse est omnem convenire* (non loco sed dependentia) *Ecclesiam*, h. e. eos qui sunt undique fideles » [53] : TERTULL. ait : « Si Italiae adjaces, habes Romam unde *nobis quoque auctoritas praesto est* » [54] : CYPR. Ecclesiam Romanam vocat radicem et matricem Ecclesiae catholicae « ex qua unitas sacerdotalis exorta est » [55] : GREG. NAZ. « civitatem, quae *universis praesidet* » [56] : HIER. fidem *romanam* vocat *catholicam* [57] : AMBR. affirmat quod « Domus Dei *Ecclesia* dicitur, cuius hodie *rector* est Damasus » [58] : AUG. quod in sede romana « semper apostolicae cathedrae *viguit principatus* » [59] : THEODOR. quod « tenet sancta ista sedes *gubernacula regendarum cuncti orbis ecclesiarum* » [60] : SOCRAT. quod : « ecclesiastica regula vetat ne *absque consensu Romani Pontificis quidquam in Ecclesia decernatur* [61] » : et MAXIM. M. quod « non fas est illum ex quacumque laude cognominari, qui olim damnatus, est abjectus ab Apostolica sede Romanae urbis » [62].

---

[53] IREN. *Adv. Haer.* III c. 3. Hoc testimonium clare vindicavit *Civiltà Catt.* 2 Mag. 1908.

[54] TERTUL. *De Praescr.* n. 35.

[55] CYPR. ep. 55 *ad Cornel.* c. 14.

[56] GREG. Naz. *De vita sua* Carm. XI v. 561.

[57] HIER. *Adv. Ruf.* I n. 4.

[58] AMBR. in 1 *ad Tim.* 3. 15.

[59] AUG. *Epist.* 43 n. 7.

[60] THEOD. Epist. *ad Renatum.*

[61] SOCRAT. *Hist. Eccl.* II c. 8; SOZOM. III c. 10.

[62] MAXIM. M. apud *Migne* P. G. t. 91 col. 144. *NB.* Si allata testimonia iuxta aetatem cohordinare velis videbis RR. PP. primatum testimonium retulisse SAEC. 1 probabile a *Luca* (Act.) *Petro* (ep. 1) et *Joan.* (ep. 2), certum a *Clem.* Rom. : SAEC. 2 ab *Ignat M., Papia, Dion.., Hermas* (Pastor Vis. II c. 4 n. 3 apud Groot p. 560), *Iren. Hegesip., Aberc., Vict.;* SAEC. 3 a *Cajo, Zephir., Hippol., Orig., Tertul., Cypr., Dionys., Steph.:* SAEC. 4 a *Julio, Liber., Euseb., Athan., Ursac., Valente, Conc. Sard., Basil., Epiph., Damas., Opt., Ambr., Conc. Aquil., Siric., Greg.* Naz., *Cyril.* Hieros., *Hier., Chrys.:* SAEC. 5 a *Prud., Innoc., Cyr.* Alex., *Zozimo, Coel., Conc. Ephes., Aug., Theod., Socrat., Sozom., Leone M., Prosp., Conc. Chalc., Gelas.:* SAEC. 6 a *Greg. M.:* SAEC. 7 a *Conc. CP. III:* SAEC. 8 ab *Hadr.* et *Conc. Nicaen. II:* SAEC. 9 a *Conc.*

430. **Tertia pars.** *Ratio suadet RR. PP. esse successores B. Petri in primatu.* Nam vidimus primatum B. Petri manere in successoribus suis: atqui praeter Romanam nulla alia est, quae successionem B. Petri ne dicam probare, sibi arrogare possit: ergo sicut RR. PP. sunt successores B. Petri in sede romana [63], ita et in primatus auctoritate. Ceterum divina Providentia non sinit arbor mala bonos fructus facere [64]: atqui RR. PP. supremam primatus potestatem exercentes in Ecclesia, *paganismum* everterunt, *haereticos* omnes damnarunt quin umquam in fide defecerint, *barbaros* subjecierunt, *fideles* quovis tempore verbis vitae in omni bono promoverunt, *sanctos* canonizarunt, *ordines religiosos* approbarunt, *evangelizatores* in exploratas omnes regiones miserunt et supremi pastores agniti sunt a doctis et sanctis totius Ecclesiae. Ergo [65].

431. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Primatus R. P. innititur fundationi Ecclesiae Romanae per Petrum: atqui non constat Petrum advenisse Romam, et multo minus fundasse illam ecclesiam: ergo [66]. **Resp.** *Trans. maj.* et *neg. min.* Tramitto *majorem* quia agumenta de primatu RR. PP. non pendent a quaestione historica de adventu S. Petri; deducuntur enim ex directis testimoniis Patrum et ex praxi Ecclesiae; quare si adventus Petri foret necessarius ad existentiam primatus, non probandus esset, sed potius concludendus [67]. Nego *min.* quia Petri diuturna, etsi non continua, permanentia Romae pluribus documentis historicis evincitur. Revera *a*) innuitur a Scriptura

---

CP. IV: SAEC. 13 a *Conc. Lug. II:* SAEC. 15 a *Conc. Florent.:* SAEC. 19 a *Conc. Vatic.* — Si testimonia iuxta Ecclesias distribuis, habes in ECCLESIA LATINA *Clem.*, Rom., *Hermas, Iren., Vict., Caj., Zeph., Hipp., Tertul., Cypr., Steph., Jul., Liber., Ursac.* et *Val., Dam., Opt., Ambr., Conc. Aquil., Siric., Hier., Prud., Innoc., Zozim., Coel., Aug., Leo M., Prosp., Gelas., Greg. M., Hadr., Conc. Lug., Florent.* et *Vatic.*: in ECCLESIA GRAECA *Ignat., Pap., Dion., Orig., Euseb., Athan., Conc. Sard., Basil., Epiph., Greg.* Naz., *Cyril.* Hieros., *Chrys., Cyril.*, Alex., *Conc. Ephes., Thed., Socr., Sozom., Conc. Chalced., Nicaen. II, CP.* IV: in ECCL. SYRIACA *Hegesip.* et *Aberc.*

[63] Supra n. 263. *NB.* Inter signa *primatus* archeologia exhibet determinationem temporis sub nomine R. P. Cf. P. SYXTUS *Not. arch.* II p. 1 p. 17-8.

[64] Matth. 7. 18; supra n. 92.

[65] Cf. GROOT. p. 563-4.

[66] M. PATAV., U. VELENUS, F. SPANHEIM, BAUR, SCHWEGLER, ZELLER, STRAUSS, R. ALBER., LIPSIUS apud *Pesch* n. 466; quibus nonnihil consentiunt G. SEMERIA et P. STOPPANI, negantes Petrum fundasse ecclesiam romanam, etsi concedant Romam venisse paullo ante mortem. Cf. E. POLIDORI S. I. *L'apostolato di S. Pietro in Roma* tip. Befani 1903. GIBIER *Obb. cont. la Chiesa* ser. 1 conf. 51.

[67] Supra n. 425.

cum docet Petrum *abiisse in alium locum* [68] et scripsisse ex *Babylone* [69], romanam vero Ecclesiam ab authentico magistro [70], qui eam fundaverat [71], accepisse fidem quae praedicatur in universo mundo [72]. *b*) Testantur Patres, nam *Petrum Romae praedicasse* et *occubuisse* docent CLEM. rom., IGNAT. M., PAPIAS [73], CAJUS [74], DION., IREN., CLEM. Alex., TERTULL., ORIG., LACT., CYRIL. Hier., GREG. Naz. [75], etc. : *romanum* tenuisse *pontificatum* affirmant plurimi, quos supra dedimus [76] : *Romae* tempore imp. Claudii *allocutum esse Philonem* refert EUSEB. [77], ibique *impugnasse Simonem Magum* dicunt vel innuunt IREN., TERTUL., AUCTOR PHILOSOPH. [78], EUSEB., CYRILL. Alex., PHILAST., HIER [79] : ipsi vero *recedenti timore persecutionis* occurrisse Christum, qui animum ei addidit, testantur HEGESIP., ATHAN., AMBR. [80] : atqui in his omnibus [81] Patres deceptos fuisse stulte dicitur,

---

[68] Act. **12**. 17.

[69] 1 Petr. **5**. 13.

[70] Rom. **16**. 17.

[71] Rom. **15**. 20-2. Cf. POLIDORI *l. c.* p. 10-5.

[72] Rom. **1**. 8.

[73] PAPIAS docet Marcum litteris mandasse romanam praedicationem Petri.

[74] CAJUS contra *Proculum* scribit : « Ego apostolorum trophea possum ostendere : nam sive in Vaticanum sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi trophea eorum qui Ecclesiam illam *fundaverunt* ».

[75] CLEM. Rom. 1 *Corinth.* c. 5; IGNAT. M. *ad Rom.* c. 4; PAPIAS apud *Euseb.* Hist. Eccl. II 15; III 39; CAJUS apud *Euseb. l. c.* II 25; DIONYS. apud *Euseb. l. c.* II 25; IREN. Adv. *Haer.* III c. 1 et 3; CLEM. Alex. apud *Euseb. l. c.* II 15; TERTUL. *De praescr.* c. 36; *De Bapt.* c. 4; ORIG. apud *Euseb.* III 1; LACT. *Instit.* IV c. 21; *De mort. pers.* c. 2; CYRIL. Hier. *Catech.* VI n. 15; GREG. Naz. *Carm.* II 14.

[76] Cf. n. 411.

[77] EUSEB. *H. E.* II 17. In hoc testimonio attendas *probabilitatem* non respicere praesentiam Petri, sed motivum missionis Philonis.

[78] Est HIPPOLYTUS qui scribebat circa a. 225.

[79] IREN. *Adv. haer.* 1. 23; TERTUL. *Apol.* c. 13; PHILOS. VI. 20; EUSEB. *H. E.* II 14; CYRIL. Hieros. *Catech.* VI n. 15; PHILAST. *De Haer.* c. 29; HIER. *De viris Illust.* c. 1. *NB.* Contra impugnationem Simonis opponunt quod *Recognitiones Clem.* dicunt factum contigisse in Syria et quod *Iust. M.* rem deduxit ex male intellecta inscriptione atque Petri nomen silet. Sed *Recognitiones* sunt apochryphus saec. III-IV qui nullatenus comparari licet nostris testimoniis; JUST. M. *ex sola* inscriptione rem agnovisse gratis asseritur; hanc vero *male interpretasse* dicunt quidem multi ex modernis, sed certis argumentis non probant : quod autem *Petrum non nominet* nihil evincit, alteri enim non tribuit. Cf. POLIDORI pag. 36-40.

[80] HESIG. *Hist.* III; ATHAN. *De fuga sua* n. 18; AMBR. *C. Aux. de Basil. trad.* Cf. FOGGINI *De rom. Petri itin.* exer. 17.

[81] Non dicimus omnes huiusmodi circumstantias posse defendi, sed tenemus ne potuisse quidem fingi, si de substantia facti non constasset.

siquidem e praedictis Patribus plurimi eminent scientia et facile certiorari potuerunt de solemni Ecclesiae eventu : ergo. *c*) Accedunt monumenta archeologica; Romae quippe est memoria de *loco* ubi Petrus *crucifixus est* [82], de *sepulcro* ubi eius reliquiae asservantur, de *domo Pudentis* a quo receptus est, de *cathedra* in qua *primum* (h. e. in primo adventu) sedit, de coemeterio Priscillae ubi *baptizabat:* atqui ista omnia mere supposititia esse, ille tantum dicet, qui sacrae archeologiae est jejunus [83]. *d*) Ceterum locus dormitionis Principis apostolum, cui jura primatus connaturaliter innituntur, non res est quae oblivioni dari possit; quomodo ergo nulla alia civitas sibi adjudicavit, sed Roma, nullo contradicente, servavit? [84].

432. **Obiic. 2.** Patres docent episcopos habere *ministerium spectans ad commune* [85], eosque *leges orbi terrarum praescribere* [86] : ergo primatus non est praerogativa RR. PP. **Resp.** Omnes episcopi habent universale ministerium *caritatis* et, veram fidem explicando, *doctrinaliter* legem toti Ecclesiae praescribunt *conc.;* habent universale ministerium *officii et jurisdictionis,* atque *auctoritative* legiferant pro tota Ecclesia *neg.* IGNAT. et GREG. Naz. agnovisse primatum R. P. constat ex testimoniis supra datis; difficultatis solutionem ex contextu locorum, quae obiecta sunt, deduximus [87].

433. **Obiic. 3.** CYPR. ait : « Episcopatus unus est, cujus a singulis *in solidum* pars tenetur », « neque quisquam nostrum episcopum se esse episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit » [88]. **Resp.** CYPR. agnovisse primatum R. P. evidentissime constat ex eodem lib. *De Unitate Ecclesiae* et ex epis. *ad Cornel.* Porro in primo ex obiectis testimoniis affirmat *unitatem Ecclesiae docentis,* qua ex divina institutione episcopi non sunt

---

[82] Disputant critici an in monte *Janiculo* vel ad radices montis *Vaticani* in *circo Gajano* occubuerit. Cf. GRISAR *Storia di Roma e dei Papi* p. 408 sqq.

[83] Cf. DE ROSSI; O. MARUCCHI; DUCHESNE apud *Polidori* l. c. p. 40-50. R. LANCIANI *Pagan and. Christian Rome* p. 123; GROOT 545-6.

[84] OBJIC. *a*) *Incertum est tempus* adventus et mortis, *b*) *Ps.-Ambr.* fundationem Ecclesiae romanae tribuit judaeis, et *c*) *Porphyr.* testatur Petrum brevi tempore Romae commorasse. RESP. *a*) Facilius *factum* innotescit quam circumstantia temporis; *b*) fundatio ecclesiae est *per episcopum,* cui alii viam parare possunt : *Porphyr.* polemice contra Apostolum scribens ejus romanam commorationem coarctat, praeteriens tempus quod Petrus, ecclesia romana fundata, peregrinationibus insumpsit. Ceterum auctoritas ethnici saec. 3 cedit auctoritati Patrum qui eum praecesserunt. Cf. POLIDORI *l. c.* p. 25-8.

[85] IGNAT. M. *ad Philad.* n. 1.

[86] GREG. Naz. *de Athanasio.*

[87] C. MAZZELLA n. 938.

[88] CYPR. *De Unit. Eccles.* n. 5 et in *Conc. Cart. VI.*

rami praecisi ab arbore, sed constituunt Ecclesiam origine et radice unam, ex R. P. auctoritatem et missionem suam mutuantes; in altero defendit libertatem episcoporum, qui in synodis exponere possunt proprias opiniones et in suis dioecesibus de rebus disciplinaribus leges sancire [89].

434. **Obiic. 4.** GREG. M. rejicit nomen *episcopi oecumenici:* ergo R. P. non habet plenitudinem jurisdictionis in universam Ecclesiam. **Resp.** GREG. M. rejicit nomen episcopi oecumenici seu universalis ob vocis ambiguitatem et ad compescendam jactantiam Joannis ep. CP., qui illud sibi arrogaverat, *conc.;* ad excludendam auctoritatem R. P. supra episcopos, *neg.* GREG. M. negat se esse episcopum *universalem* vel oecumenicum, « ne, si sibi in pontificatus gradu gloriam *singularitatis* arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur » [90].

435. **Obiic. 5.** HIER. scribit: « Si auctoritas quaeritur, *orbis* maior est *Urbe*... Ubicumque fuerit episcopus, sive Romae, sive Eugubii, sive CP., sive Regii, sive Alexandriae *ejusdem meriti est,* ejusdem sacerdotii » [91]. **Resp.** HIER. impugnat diaconos romanos, qui se praeferebant presbyteris, dicens *ordine* R. P. aequiparari aliis episcopis. Ceterum polemice saepe dicuntur, quae benigna explicatione egent.

436. **Obiic. 6.** CONC. NICAEN. statuit: « Antiqua consuetudo servatur per Aegyptum, Libyam et Pentapolim; ita ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem; quia et Urbis Romae episcopo *parilis mos est* » [92]: ergo jura sedis romanae non superant jura sedis Alexandrinae. **Resp.** Canon Conc. Nicaeni, si fidelis est Rufini translatio (de quo ambigitur), non loquitur de primatu R. P. sed de *patriarchatu Occidentis;* unde hujusmodi canon numquam est invocatus contra exercitium primatus, quo RR. PP. pluries de personis et de doctrinis ecclesiae Alexandrinae sententiam tulerunt.

437. **Obiic. 7.** Primatus R. P. innitur facto humano, scil. adventui B. Petri, qui libere Romae consedit: ergo non est *juris divini.* **Resp.** Non est juris divini immediati *trans.,* neque mediati *neg.* Ad hoc ut R. P. sit *iure divino* successor S. Petri in primatu, sufficit quod Christus voluerit primatum S. Petri permanere in successoribus; modus enim transmissionis se habet uti conditio vel medium ad consecutionem primatus, non uti origo et causa eius. De facto, ut vidimus, non fuit liberum S. Petro successionis modum eligere, sed ex Christi voluntate primatus, alligatus est Sedi Romanae [93].

---

[89] Cf. AUG. *De Baptis. cont. Donat.* III c. 3; NATAL. ALEX *hist. eccles.* saec. 1 Dis. 4 § 3 n. 8 p. 102.

[90] GREG. M. *Epist.* IV ep. 38.

[91] HIER. ep. *ad Evagrium.*

[92] CONC. NICAEN. 1 cn. 6.

[93] Supra n. 423.

438. **Obiic. 8.** Patres CONC. CALCED. dicunt: « Antiquae Romae throno, quod urbis illa imperaret, jure *patres* privilegia *tribuerunt* »[94] et volunt ut similia jura concedantur sedi CP.: ergo primatus R. P. non est juris divini sed ecclesiastici. **Resp.** Patres CONC. CALCED. confessos fuisse primatum R. P. constat ex praedictis, imo ex objecto testimonio, siquidem non petiissent a Leone ut dignitatem secundam conferret sedi CP. si in episcoporum potestate foret primatum dare. In can. 28 non agitur *de primatu* sed de jure *patriarchali*, et canon ille non est a R. P. approbatus. Similia dici debent de CONC. CP. I cn. 3, cujus verba sic possunt explicari ut, relicto Romae primatu jurisdictionis, tribuatur ecclesiae CP. (ob civitatis celebritatem) primatus honoris *post* sedem romanam.

439. **Obiic. 9.** Primatus R. P. explicatur *a*) apostolica origine sedis romanae, *b*) puritate fidei illius ecclesiae, *c*) naturali praepotentia episcoporum Urbis[95], *d*) opibus et majestate civili romanorum, *e*) praecipue vero decretis CONC. SARDIC.: ergo non est juris divini. **Resp.:** Quod gratis asseritur, gratis negatur. Revera *a*) origo apostolica aliis sedibus fuit communis: *b*) puritas fidei primatus est effectus et signum, non causa: *c*) RR. PP. praepotentia repugnat persecutionibus quae Romae magis saevierunt: *d*) divitiae et mundana gloria fuerunt etiam CP., ubi principes civiles sive catholici sive haeretici suis episcopis summopere favebant: *e*) Conc. Sard. est saec. 4., primatus vero plurima testimonia habet in saec. 3 et 2.

ARTIC. 3 - DE PRIMATU IURISDICTIONIS R. P.

440. **Quid importet primatus jurisdictionis episcopalis.** « *Episcopi jurisdictio* ad ea peragenda se extendit, quae necessaria sunt ut fideles vitam aeternam consequantur, ac proinde debet episcopus *primo* administrare sacramenta, *secundo* leges ferre ad bonum fidelium, *tertio* executioni ipsarum invigilare sive per seipsum sive per delegatos, *quarto* visitare dioecesim, *quinto* praedicare, *sexto* judicare controversias, *septimo* punire sontes, etc. Haec et similia comprehenduntur in verbo *pascere* »[1]. Primatus ergo R. P. est *vere jurisdictionis episcopalis* in universam Ecclesiam, si ubique et jure proprio valet ferre leges, judicare, do-

---

[94] CONC. CHALCED. cn. 28.

[95] HARNACK *Dogmeng.* I p. 407.

[1] EPISC. TARVIS. deput. fidei in Conc. Vatic. *Coll. Lacens.* VII p. 951.

cere, sacramenta administrare, etc., quin ab aliis episcopis dependat, illi vero in exercitio proprii muneris ad eo moderentur [2].

441. **Quae jurisdictio ordinaria et immediata.** « Apud omnes jurisconsultos, aut juris canonici doctores, apud omnia acta ecclesiastica, dividitur potestas in ordinariam et delegatam. Omnes dicunt *potestatem ordinariam,* quae competit alicui ratione muneris : *delegatam,* quae non competit alicui ratione muneris, sed nomine alterius exercetur, in quo est ordinaria... *Immediata* est ea potestas quae exerceri potest sine adhibito medio necessario, scilicet medio ad quod adhibendum tenemur » [3], *mediata* quae in suo exercitio ab alia potestate pendet. Jurisdictio ergo R. P. est *ordinaria* si eam non mutuatur ab episcopis, sed obtinet titulo successionis B. P., ac proinde sine aliorum beneplacito exercere valet in omnibus causis sive extraordinariis sive ordinariis; est *immediata* si non solos episcopos, sed ipsos fideles directe attingit, cum quibus sine licentia suorum episcoporum potest communicare in omnibus quae sunt juris episcopalis.

442. **Cur jurisdictio R. P. dicatur plena et suprema.** PLENA est jurisdictio cui nihil deest socialis auctoritatis, unde *intensive* continet omnia genera potestatum quae ad finem societatis ordinantur, *extensive* respicit omnia societatis membra. Hinc jurisdictio R. P. dicitur *plena* quia erga illam « cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli, quam simul omnes ,officio hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent » [4]. Dicitur etiam SUPREMA quia exercitium primatus non pendet « a concursu aliorum » et « omnia membra statim debent, non judicium sibi arrogare de exercitio potestatis hujusmodi, sed cum suo capite concordare », siquidem « summus Pon-

---

[2] Cum CONC. VATIC. cp. 3 dixerit : « Docemus... hanc Rom. Pont. jurisdictionis potestatem, *quae vere episcopalis est,* immediatam esse etc. » ; quaerunt theologi *an sit de fide* quod potestas Primatus sit *episcopalis,* et cum communiori sententia affirmandum censemus *a*) quia verba *quae vere episcopalis est* sunt appositio nominis praecedentis cum quo proinde sub definitione cadunt ; et *b*) quia ex concilii historia constat vocem introductam fuisse ut novi errores confoderentur. Cf. CROSTA I n. 595 ; CIVILTÀ CATTOLICA 2 *Maggio* 1893 ; ACT. CONCIL. apud BILLOT p. 149.

[3] EPISC. TARV. *l. c.*

[4] CONCIL. VATIC. *Pastor* cp. 3.

tifex, etiam independenter a concursu episcoporum, supremam suam auctoritatem exercere potest » [5].

443. **Primatus R. P. attingit omnes et singulos pastores et fideles.** Haec verba sub alia forma repetunt notionem potestatis plenae et immediatae. Scil. potestas R. P. non respicit tantum singulos fideles et singulos episcopos *separatim inspectos,* sed etiam *collective sumptos,* prout dioecesim, metropolim, patriarchatum, imo Ecclesiam constituunt, ita ut in generali ipso concilio episcopi sint membra suo capiti R. P. subdita, sine cuius consensu non valent definire in rebus fidei vel morum, nec leges disciplinares pro universa Ecclesia ferre.

444. **Semper licet a judicio proprii episcopi ad R. P. appellare; sed appellatio contra sententiam R. P. non datur.** Sequitur ex notione Primatus, qua enim est potestas *immediata* accessum omnium fidelium suscipere valet, qua est *suprema* episcopi sententiam potest infirmare [6]. A judicio a contra R. P. appellare non licet quia appellatio est accessus ad tribunal superius nec supra potestatem R. P., quae est plena et suprema dari potest altior auctoritas. Hinc CONC. VATIC.: « Quoniam divino apostolici Primatus iure R. P. universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse judicem supremum fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri; Sedis vero Apostolicae, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio. Quare a vero veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere a judiciis RR. PP. ad oecum. Concil. tamquam ad auctoritatem R. P. superiorem appellare » [7].

445. **Errores — Veritas.** Naturam primatus corrumpere conati sunt JANSENISTAE, GALLICANI et REGALISTAE qui, decretis Conc. Const. [8] inhaerentes, auctoritatem R. P. vel *a*) reducebant

---

[5] EPISC. TARVIS. *l. c.*

[6] Appellatio fieri potest in quacumque re; sine privilegio tamen exemptionis nemo potest ab obedientia proprii episcopi se subtrahere; « quicumque (enim) eis (episcopis) resistat, vel dicto audiens esse pertinaciter recuset, ille ab Ecclesia longe recedit ». LEO XIII Litt. ad *Arch. Turon.* 17 Decembr. 1888; PIUS X Enc. *Tres Circiter* 5 Apr. 1906.

[7] CONC. VATIC. *Pastor* cp. 3.

[8] CONC. CONST. *sess.* 4 et 5. Haec decreta ante legitimam concilii convocationem edita et tumultuarie praeter conciliorum morem statuta. numquam fuerunt approbata a RR. PP. Cf. BILLOT p. 159; PALMIERI *th.* 16 p. 474 sqq.

ad jus inspectionis et dignitatis (ad instar potestatis primatialis) negando jurisdictionem episcopalem [9], vel Ecclesiam concipientes uti monarchiam temperatam [10], *b*) coarctabant exercitium potestatis primatus quibusdam limitibus, dicentes quod vim haberet tantum accedente episcoporum consensu [11], et in quibusdam causis determinandis per canones Spiritu Dei conditos [12]: *c*) vel quod R. P. cum fidelibus communicare deberet mediante eorum episcopo, nisi ageretur de appellatione in secunda instantia vel episcopus deficeret muneri suo [13]: *d*) vel quod a R. P. ad concilium generale quasi ad superiorem auctoritatem appellare liceret [14]. **Veritas** definita est in CONC. VATIC.: « Declaramus... R. P. jurisdictionis potestatem, *quae vere episcopalis est,* immediatam esse ». « S. q. d. R. P. habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem *plenam et supremam* potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam... aut eum habere tantum potiores partes... aut hanc ejus potestatem non esse *ordinariam et immediatam* sive *in omnes* ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles a. s. » [15].

THES. 54. *Primatus R. P. non est solius honoris vel inspectionis, — sed* 1 *vere jurisdictionis* — 2 *episcopalis,* — 3 *ordinariae et immediatae,* — 4 *plenae et supremae* — 5 *in universam Ecclesiam.*

446. **Prima pars.** *Primatus R. P. non est solius honoris vel inspectionis, sed verae jurisdictionis.* **Argum. 1.** *Ex praedictis.* Nam ostendimus in R. P. transiisse primatum S. Petri [16]: atqui probavimus ex symbolis *fundamenti* et *clavium,* necnon ex verbis *ligare* et *solvere* collatam esse B. Petro veram potestatem jurisdictionalem in universam Ecclesiam [17]: ergo. **Argum. 2.** *Ex testimonio Joan.* **21.** 15-7. *Cum prandissent, dicit Simoni Pietro Jesus: Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum:*

---

[9] Cf. PETITIONEM quorumdam gallicanorum Conc. Vatic. apud BILLOT p. 145.

[10] GERSON *De statibus* cons. I.

[11] DECLAR. *Cleri Gall.* 1682 a. 4.

[12] DECL. cit. a. 3.

[13] Apud PIUM IX *Epist. ad arch. Paris.*

[14] MAJOR doct. sorb. *De auct. Conc.* Cf. BILLOT p. 41-2.

[15] CONC. VATIC. *Pastor* cp. 3.

[16] Supra n. 428 sqq.

[17] Supra n. 394.

Simon Joannis diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis amas me? Contristatus est Petrus quia dixit ei tertio, Amas me? et dixit ei: Domine tu omnia nosti; tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas. In hoc testimonio Christus Petro a ceteris contradistincto confert primatum verae jurisdictionis: atqui potestas collata Petro transire debebat in successores, qui sunt RR. PP.: ergo. PROB. MAJOR. Quod potestas collata Petro non sit data etiam pro ceteris apostolis, inde patet quod Christus *a*) Petrum designat nomine originario (*Simon*) et accepto (*Petrus*) necnon paternitate (*Joannis*); *b*) constanter eum alloquitur verbis et pronominibus secundae personae (*diligis, tu, pasce,* etc.); *c*) ceteris opponit (*plus his*); et *d*) retribuit pro amore (*amo te*) et confessione divinitatis (*Domine tu scis omnia*) *e*) alludens quoque ad trinam negationem, quam trina confessione reparare cogit: atqui haec manifeste sunt personalia: ergo. Quod autem conferat Petro potestatem verae jurisdictionis, constat ex verbo *pascere* [18] quod cum agitur de personis *a*) ex natura rei, *b*) ex parallelismo et ex usu *c*) sacro et profano importat veram potestatem jurisdictionis. *a*) *Ex natura rei.* Nam proprium est pastoris dirigere oves ad salubria pascua, easque custodire et coadunare; pastor ergo fidelium debet eis veritates revelatas ostendere et sacramenta conferre, eos debet legibus efficaciter in bono retinere et auctoritate, quae societatis est forma, ad unitatem fidei et communionis reducere: atqui haec rationem verae et plenae potestatis jurisdictionis exibent: ergo *b*) *Ex parallelismo.* Nam Christus officia veri pastoris descripsit cum se pastorem ovium nuncupavit [19]: sicut ergo proprium munus fundamenti promittens Petro plenitudinem suae auctoritatis ei sponderat, sic nunc proprium officium pastoris ipsi conferens, suum

---

[18] In textu graeco duo verba adhibentur βόσκειν et ποιμαίνειν quorum primo significatio amplior et nobilior competit: quia tamen in eodem contextu de eadem persona dicuntur, pro synonymis habenda sunt. Porro agi *de personis* et non de ovibus irrationabilibus manifestum est, siquidem Christus fuit pastor hominum: *oves* ergo *suae,* sunt homines et per prius fideles. Hic obvius verborum sensus confirmatur ex usu Scripturae, nam in V. et N. T. *populus Dei* frequenter vocatur *grex* Domini et *oves* pascuae ejus. Cf. Ps. **73**. 1; **76**. 21; **78**. 13; **99**. 3; Jer. **10**. 21, **13**. 17; Ezech. **34**. 4 sqq.; Zach. **10**. 3; Matth. **9**. 36; **10**. 6; Joan. **10**. 1 sqq.

[19] Joan. **10**. 1-16.

vicarium cum plenitudine suae potestatis fecit : atqui potestas Christi est certe jurisdictionalis : ergo. *c*) *Ex usu sacro et profano*. Nam in Sacris Litteris, CYRUS, DAVID, REGES Israël et CHRISTUS vocantur *pastores* [20], et Matth. hebraicum מוֹשֵׁל (*moscel* = *qui sit dominator*) vertit ὅστις ποιμανεῖ (*qui pascet*) [21] ; in prophanis vero « HOMERUS non raro eos qui *reges* sunt vocat ποιμένας λαῶν (*Pastores populorum*) ; unde apud HESYCHIUM ποιμήν (*pastor*) explicatur βασιλεύς (*rex*) » [22] : ergo *pastor* in ordine morali idem est quod dominator, princeps et rex qui profecto jurisdictionali auctoritate subditos regunt. PROB. MINOR, scil. quod potestas data Petro transiit in successores [23]. *a*) Hoc colligitur imprimis ex praedictis ; nam vidimus primatum B. Petri transiisse in successores [24] : si ergo primatus B. Petri fuit verae jurisdictionis, etiam verae jurisdictionis est primatus successorum ejus. Accedunt argumenta ex nostro ipso testimonio desumpta. *b*) Qui enim vel leviter comparaverit testimonium nostrum cum Matth. **16.** 18-9, videbit hic *conferri* quod in illo (Matth.) *promissum est* [25] : potestas ergo pascendi oves Christi competit Petro qua est fundamentum Ecclesiae : atqui fundamenti officium cum eius morte cessare non poterat : ergo. *c*) Sed insuper Christus B. Petro pascendas tradidit *oves suas* sine ulla temporis vel locorum differentia suum vicarium constituens in munere pastoris animarum : atqui multae erant oves ad ovile adducendae post Petri mortem : ergo. *d*) Tandem potestas data

---

[20] Isai. **44.** 28 ; 2 Reg. **5.** 2 ; **7.** 7 ; Ezech. **37.** 24 ; Ps. **22.** 1. (tex. hebr.) ; Matth. **2.** 6 (tex. gr.) ; Apoc. **12.** 5 (tex. gr.).

[21] Mich. **5.** ; 2 coll. Matth. **2.** 6.

[22] PALMIERI *De R. P.* p. 366.

[23] Successores B. P. esse RR. PP. demonstravimus n. 428 sqq., nec quidquam addendum est, siquidem non de *existentia* sed de *natura* primatus agimus.

[24] Parallelismus non solum constat ex natura rei, siquidem praesupposita *promissione* expectamus *promissionis implementum,* sed ex circumstantiis. Profecto in utroque testimonio *a*) magna solicitudine determinatur persona Petri, *b*) qui contradistinguitur a ceteris, *c*) praecedit confessio Apostoli et *d*) sequitur retributio Christi, *e*) qui in Matth. domum *suam* supra Petrum aedificat in Joan. *suum* ovile ei commendat.

[25] Ne dicas *tempus suae vitae subintelligi;* nam in documentis publicis *tempus vitae* subintelligitur solum quando res collata in successores *non potest transire;* si enim potest in successores devenire, princeps, qui privilegium personale concedit, expresse durationem vitae signat.

Petro spectat regimen Ecclesiae, quod sola divina et nota [26] dispositione mutari poterat : atqui de hac mutatione non constat : ergo. Hinc PATRES inter oves Petro commendatas nos quoque connumerant [27], et BERNARD. nostrum testimonium de Eugenio III effert [28].

447. **Secunda pars.** *Primatus R. P. est jurisdictionis vere episcopalis.* Nam *a*) jurisdictio episcopalis nihil aliud est quam expedita potestas peragendi jure proprio omnia quae fidelibus sunt necessaria ad consecutionem vitae aeternae [29] : atqui ex modo dictis haec competunt R. P., qua est successor B. P. in primatu : ergo. *b*) Potestas episcopalis in Scripturis exprimitur auctoritate *ligandi et solvendi* atque officio *pastoris* [30] : atqui haec dicuntur de B. P. eiusque successoribus : ergo.

448. **Tertia pars.** *Primatus R. P. est jurisdictionis ordinariae et immediatae.* Nam potestas *ordinaria* illa est quae ex officio competens ad determinatas causas vel peculiares circumstantias non coarctatur, *immediata* quae independenter ab aliis subditos attingit [31] : atqui potestas primatus competit R. P. ratione officii, nec ullis limitibus coarctatur quoad causas vel circumstantias exercitii : ergo. PROB. MINOR. Nam Christus omnes suas oves secundum omnem earum distinctionem pascendas tradidit Petro, quin potestatis exercitium ullis limitibus coarctaverit, ut ex supra explicatis testimoniis patet.

449. **Quarta pars.** *Primatus R. P. est jurisdictionis plenae et supremae.* Nam *plena* est potestas, quae in suo ordine omnia valet, *suprema* quae nulli subest et cui ceterae subduntur [32] : atqui R. P. *omnia* potest in iis quae sunt Ecclesiae, quia hujus regni claves sine limitatione accepit, eique *omnes,* cuiusvis sint dignitatis et auctoritatis, subduntur, siquidem *agni* et *oves* sunt ei traditi ad pascendum : ergo potestas R. P. vere est plena et suprema.

---

[26] Dispositione *divina* quia natura supernaturalis obstat mutationi quae fiat voluntate fidelium (n. 330) : dispositione autem *nota* quia Ecclesia formam sui regiminis ignorare non debet.

[27] Cf. CYPR. *De Unitate Eccl.* n. 4 ; CHRYS. *De Sacerd.* II princ. ; LEON. M. *serm.* IV n. 2 ; AUG. *serm.* 296 n. 11 ; THEOPH. apud *Knaben.* in *h. l.*

[28] BERN. *De Consid.* II c. 8.

[29] Supra n. 441.

[30] *Quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in coelis : et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in coelis.* Matth. **18.** 18. *Pascite* (Ποιμάνατε) *qui in vobis est gregem Dei.* 1 Petri **5.** 2.

[31] Supra n. 442.

[32] Supra n. 443.

450. **Quinta pars.** *Primatus R. P. est super universam Ecclesiam.* Hoc constat ex universalitate gregis Petro traditi, nam Christus voluit ut pasceret *suos* agnos et *suas* oves, quotquot ergo sunt in mundo christiani subsunt R. P. CONFIRMATUR autem argumentum ex distinctione inter *agnos* et *oves*. Licet enim codices [33] et interpretes [34] non conveniant in determinatione eorum qui voce *agnorum* et *ovium* specialiter designantur; unanimi tamen consensu intelliguntur omnes christiani cuiuscumque ordinis vel conditionis, ex agnis enim et ovibus totum ovile integratur. Hinc **Patres** in testimonio vident auctoritatem R. P. supra episcopos ipsos, siquidem Petrus « eximius erat inter Apostolos et *coetus illius caput* » [35]; cum enim « solus profitebatur ex omnibus, *omnibus antefertur* » [36].

451. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Potestas *plena* idem est quod illimitata: atqui sola potestas Dei est illimitata: ergo [37]. **Resp.** Potestas Dei est illimitata in *omni ordine*, R. P. *in ordine ad finem Ecclesiae*, in quo debet explicari iuxta normas juris naturalis et divini: abusus vero potestatis Deus sua providentia praecavet.

452. **Obiic. 2.** Ex testimonio Joan. nil evincitur quia verbum βόσκειν significat praebere nutrimentum et ποιμαίνειν in Scripturis adhibetur etiam cum regendi potestas locum habere non potest [38]. **Resp.** *Neg. cons.* Argumentum non procedit ex proprietate alterutrius vocis sed ex unione duarum et ex contextu: nil ergo vetat easdem voces aliquando in sensu proprio vel metaphorico aliam significationem praeferre.

453. **Obiic. 3.** Potestas R. P. assimilatur influxui fundamenti: atqui fundamentum *mediate tantum* sustinet remotas domus partes: ergo. **Resp.** Assimilatur in iis quae fundamento conveniunt qua tali

---

[33] Aliqui cum AMBR. *in Luc.* X n. 176, legunt primo loco ἀρνία (*agnos*), secundo προβάτια (*oviculas*) et tertio πρόβατα (*oves*).

[34] « Saepe, inquit KNAB., (interpretes) agnoscunt discrimen, in agnis designari *imperfectiores, perfectas* in ovibus (EUTH., THOM., BON., addi potest AMBR.); aliis placet in agnis *fideles*, in ovibus *magistros, pastores, episcopos, apostolos* indicari, qui quasi matres sint fidelium (TOL., LAP., NAT.). Alii tamen discriminis mentionem non intelligunt, id unum asserentes totum exprimi gregem; imo MALD. monet non esse subtiliter disputandum, cur *agnos* potius quam *oves* appellaverit... ne doctis hominibus risus praebeatur ». KNABEN. in *h. l.* p. 585.

[35] CHRYS. *in Joan.* hom. 87 iuxta graec. apud *Knab.*

[36] AMBR. *in Luc.* X n. 175.

[37] Ep. LANDRIOT et DAVID apud LAAK n. 374.

[38] REFORMATORES apud *Laak* n. 189.

conc., in iis quae fundamento competunt ratione suae materialitatis *neg.* Profecto omnis similitudo claudicat: non ergo omnia, quae in fundamento sunt, metaphorice debent exponi de R. P. sed illa quae in fundamento praecipue attenduntur, quaeque in metaphora solent considerari, scil. quod firmitatem et unitatem tribuat ceteris aedificii partibus. Quod influxus fundamenti solum *mediate* perveniat ad superiores partes domus non competit ei qua est fundamentum sed ratione materialitatis partium quae ipsi inhaerent: unde, cum fundamenti similitudo accipitur, mediatio influxus numquam attenditur.

454. **Obiic. 4.** Christus pro ultima solutione difficultatum remisit ad Ecclesiam: ergo auctoritas primatus R. P. non est suprema. **Resp.** *Nego suppositum;* nam ibidem non est sermo de relatione R. P. ad episcopos, sed de fidelibus ad legitimam auctoritatem; unde S. THOM. Ecclesiae nomine intelligit *praelatum* quemcumque [39].

455. **Obiic. 5.** COEL. dixit: « Dominentur nobis regulae, non regulis dominemur, sed simus *subjecti* canonibus » [40], ergo R. P. subditur canonibus, nec potest mutare quae in Conciliis sunt statuta. **Resp.** R. P. non potest mutare quae sunt juris divini et declarantur ab Ecclesiae magisterio *conc.;* quae sunt juris ecclesiastici et potestate jurisdictionali Ecclesiae statuuntur *neg.* COEL. non agit de sua potestate, sed plurali comitatus loquitur de officio Vicarii Illyrici [41].

ARTIC. 4 - DE R. P. INFALLIBILITATE.

456. **Doctor privatus, authenticus et infallibilis.** Cum gratia naturam non destruat sed perficiat, minister Christi non utitur necessario potestate sua ministeriali, et ideo etiam R. P. non semper loquitur suprema magisterii auctoritate, sed aliquando uti *doctor privatus*, aliquando magisterio solius *doctrinalis providentiae*. Si R. P. doctrinam privato judicio seu *scientifice* proponit, non majus *per se loquendo* [1] assensum meretur, quam adducta argumenta exigant: si loquitur *auctoritative* sed solo magisterio *doctrinalis providentiae* [2], meretur assensum internum sed non irreformabilem: si plenitudine magisterii veritatem definit inducit assensum *fidei* divinae vel ecclesiasticae prout veritas est formaliter vel solum virtualiter revelata [3].

---

[39] S. THOM. *IV Dist.* 19 q. 2 a. 3 q. 2 ad 4.

[40] COEL. ad *Vicar. Illyrii.*

[41] Cf. MAZZELLA n. 997.

[1] Dixi *per se loquendo*, nam R. P. ceteris abundantiora sunt media terrena et coelestia, etiam cum scientifice disserit de doctrina fidei.

[2] Supra n. 360.

[3] Supra n. 381.

457. **Sedes et sedens.** Iuxta catholicos « *a*) Sedes metaphorice... importat *auctoritatem,* sedens est *subiectum* illius auctoritatis; *b*) Sedes seu auctoritas, saltem in exigentia *semper manet;* sedens *moritur*... *c*) praesertim Sedes a Sedente distinguitur, quatenus *jura Sedis* non pendent a personalibus *meritis* vel *demeritis Sedentis* pro tempore : atque hoc sensu intelliguntur verba S. LEONIS [4] : *aliud enim sunt sedes, aliud praesidentes* » [5]. Juxta GALLICANOS sedes est *complexus Pontificum,* sedens *unus in particulari:* hic potest errare, illa est infallibilis, prout divina Providentia impedit diuturno tempore romanam sedem maculari, et per ipsum pontificem, qui erravit, vel per successorem falsam doctrinam retractare facit [6]. Gallicanorum distinctio admitti nequit, quia in CONC. VATIC. praerogativa infallibilitatis tribuitur *unicuique Pontifici,* qui *personaliter* est successor S. Petri; et quia Patres *sedem* convertebant cum persona sedentis [7].

458. **Quae locutio ex cathedra.** Ne errandi occasio in vocis sensu haberetur CONC. VATIC. vocem *ex cathedra* explicavit dicens : « i. e. cum omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit » ; quibus verbis, ut notat C. MAZZELLA, quatuor conditiones signantur : « *ex parte Pontificis,* ut loquatur ut Doctor et Pastor supremus, *ex parte materiae,* ut doceat in rebus, quae sunt obiectum infallibilitatis Ecclesiae, *ex parte formae,* ut definitivam sententiam ferat cum intentione proinde manifestata obligandi, et *ex parte termini,* ut ad consensum obliget universam Ecclesiam » [8]. PRIMA CONDITIONE excluduntur a locutione *ex cathedra* ea, quae R. P. disserit uti privatus doctor, et innuitur incommunicabilitas infallibilitatis, siquidem ratio *Pastoris supremi* competit R. P. uti successori S. Petri, nec dari potest iis qui RR. PP. non sunt. SECUNDA CONDITIONE signatur *objectum* infallibilis magisterii, sed non definitur quaestio de infallibilitate circa ea quae *sola connectione* spectant ad res fidei et morum, siquidem Patres CONC. VATIC. ex professo noluerunt rem definire [9], unde et de industria dixerunt R. P. in rebus fidei et morum pollere *ea infallibilitate, qua Christus Ecclesiam*

---

[4] LEO M. *Epist.* 106 n. 5.

[5] C. MAZZELLA n. 1082.

[6] CARD. DE LUZERNE par. 2 c. 2. n. 4; BOSSUET *Defensio* X c. 5.

[7] HIER. ep. 15 *ad Dam.:* MAXIM. ep. I *ad Petr. illust.;* SERG. ep. Cypr. *ad Theod.;* C. MAZZELLA *l. c.;* PESCH 505.

[8] C. MAZZELLA n. 1051.

[9] EP. BRIX. relat. in Conc. Vat. *Coll. Lacens.* VII col. 415.

suam instructam esse voluit [10]. TERTIA CONDITIONE excluduntur ab infallibilitate actus magisterii doctrinalis providentiae et omnia, quae in documentis definitionum non sunt directe approbata vel damnata, sed obiter dicta [11]. QUARTA CONDITIONE exprimitur necessitas ordinationis ad universam Ecclesiam, sed non coarctatur infallibilitas magisterii ad documenta quae toti Ecclesiae inscribuntur; sufficit enim quod R. P. *implicite* universam Ecclesiam alloquatur: unde si vel *uni* doctrinaliter loquitur definiendo, locutio est *ex cathedra,* quod enim uni verum est alteri falsum esse non potest.

459. **Quae infallibilitatis radix.** Hanc quoque CONC. VATIC. signavit dicens R. P. infallibilem esse « per assistentiam divinam ipsi in B. Petro promissam »; non est ergo cogitandum de aliquo dono R. P. habitualiter inhaerenti, neque de revelatione rei definiendae, sed de complexu auxiliorum quibus *negative* removetur ab errore et *positive* inducitur in cognitionem veritatis definiendae [12].

460. **Infallibilitas non est impeccabilitas.** REFORMATORES, ut facilius impugnarent infallibilitatem, cum impeccabilitate studiose confuderunt; sed haec differunt *objecto,* quia infallibilitas respicit definitiones dogmaticas et impeccabilitas totius divinae legis observantiam: differunt *formali subjecto,* quia infallibilitas pertinet ad R. P. uti ad supremum magistrum seu uti ad personam publicam, dum impeccabilitas respicit personam privatam, imo conscientiae secretum.

461. **Uti privata persona potestne R. P. deficere a fide?** Nihil de hoc est definitum et diversae sunt theologorum opiniones. Claritatis causa distinguamus inter errorem materialem et formalem, internum et externum. Posse R. P. *materialiter* « falli in doctrina de fide et moribus, non secus ac falli potest quilibet alius, extra omnem quaestionem est » [13]; si enim uti persona privata neque materialiter posset errare, omnis locutio R. P. foret *ex cathedra,* atque ideo inutilis fuisset studiosa descriptio infallibilitatis quae firmata est in Conc. Vatic. Si de errore *formali,* seu de pertinaci negatione veritatis revelatae et cognitae atque ab Ecclesia propositae agitur, quidam cum CAJET. PALUD., SOTO, CANO, AZOR et PALMIERI [14] affirmant; alii cum BEL-

---

[10] BILLOT III th. 31 p. 172 sqq.
[11] Supra n. 361.
[12] Supra n. 358.
[13] BILLOT *l. c.* p. 163.
[14] CAJET. *De auct. Papae* tr. 1 c. 17; PALUD., SOTUS, CANUS apud *Mazzella* n. 1046; AZOR *Inst. Mor.* p. 2 IV c. 7; PALMIERI *De Rom. Pont. th.* 32 cor. 1 p. 717.

LAR., SUAREZ, PIGHIO, MAZZELLA, BILLOT et KNABEN [15] probabilius negant. Nam Christus non tantum imposuit Petro onus *confirmandi fratres,* sed, ut idoneus fieret ad susceptum munus exercendum, oravit ne *eius fides* deficeret. Scil. sicut Petro confitenti suam divinitatem repromiserat primatum [16], ita indefectibili eius fidei exercitium primatus ligare voluit. Quoad *haeresim externam* et notoriam res adhuc est clarior; ipsa enim R. P. ab Ecclesia separaretur et primatum amitteret, quapropter vel deponendus foret, vel, utpote divino jure depositus, excommunicandus et depositus declarandus esset, quod quidem opponi videtur supremae potestati R. P.

462. **Errores — Veritas.** Prima occasio impugnandi supremam R. P. auctoritatem fuit schisma Occidentis ad quod componendum in Concilio Constantiensi et apud quosdam theologos excogitata est praeeminentia Concilii Oecum. supra R. P. [17]: expressius erraverunt GALLICANI dicentes « in fidei quaestionibus *praecipuas* S. P. esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, *nec tamen irreformabile* esse judicium, nisi Ecclesiae consensu accesserit » [18]: post definitionem Conc. Vatic. apparuit secta *Veterum - catholicorum* cuius coryphaei habentur DÖLLINGER, JANUS, GLADSTONE, FREIDRICH [19]. **Veritas** iam proposita in CONC. FLOR., quod R. P. dixerat *doctorem* omnium Christianorum, clare definita est in CONC. VATIC.: « Definimus R. P., cum *ex Cathedra* loquitur... per assistentiam divinam... ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusdem R. P. definitiones ex *sese,* non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse » [20].

THES. 55. *Christus in Luc.* **22.** 31-2 *B. Petro* — 1 *contradistincto a ceteris apostolis* — 2 *contulit infallibile magisterium*

---

[15] BELL. *De Rom. Pont.* IV c. 6; SUAREZ *De Fide* Disp. X sec. 6; PIGHIUS *De Eccl. hier.* IV c. 8; C. MAZZELLA n. 1047; BILLOT *Vol.* 3 p. 141-3; TEPE I n. 647; TANQUER. *De Eccl.* n. 180; KNAB. in *h. l.* p. 581.

[16] Matth. **16.** 16 sqq.

[17] CONC. CONST. Sess. 4 et 5; P. D'AILLY; J. GERSON.

[18] DECL. CLERI GALL. 1682 **ar. 4.**

[19] Apud *Groot* p. 608. Adde MODERNISTAS qui magisterium a plebe derivantes (n. 332) nullatenus acquiescunt damnationi R. P., etenim « conscientia officii fulciuntur, intimaque experientia norunt non sibi reprehensiones deberi sed laudes ». Apud PIUM X Enc. *Pascendi; Il Programma* p. 12 sqq. 131 sqq.

[20] CONC. VATIC. *Pastor.* cp. 4.

— 3 *perpetuo duraturum in successoribus suis:* — 4 *ergo R. P. cum loquitur ex cathedra est ex sese infallibilis.*

463. **Prima pars.** *Privilegium de quo agitur in Luc.* 22. 31-2 *est collatum B. Petro contradistincto a ceteris Apostolis.* Nam Christus *a*) sermonem dirigit ad *Simonem* qui in eodem contextu vocatur *Petrus: b*) quemque alloquitur verbo (*confirma*) et pronominibus (*te, tua, tu*) secundae personae: nullatenus vero Petrum egisse personam totius collegii inde constat *c*) quod ab eis contradistinguitur (*expetivit* vos... *rogavi pro* TE... *confirma fratres* TUOS), et *d*) exercitium traditi muneris coniungitur actioni personali (*et tu aliquando conversus*) [21].

464. **Secunda pars.** *Privilegium de quo agitur in Luca* 22. 31-2 *est magisterium infallibile.* Quod agatur de MAGISTERIO, manifestum est, siquidem *objectum* collatae auctoritatis est fides qua revelationem credimus. Est FIDES quia *ratio* commissi officii est firmitas Petri in fide [22] et finis assequendus est unitas fidei quam diabolus sua cribratione scindere vult et Christus sua oratione conglutinat: est FIDES THEOLOGICA quia πίστις sensu proprio dicit firmum assensum veritatibus revelatis [23], sensum autem proprium in nostro casu esse retinendum docet *contextus,* qui est de peculiari oratione Christi, de medio collato ad resistendum diabolo et de potestate Ecclesiae [24]. — Porro magisterium collatum esse INFALLIBILE, constat *a*) imprimis ex *indefectibilitate,* quam Christus impetravit Petro [25]. Nam «ἐκλείψις de quovis defectu dicitur: oravit

---

[21] Quid significent verba *et tu aliquando conversus,* disputant interpretes. MALD., SCHRADER (apud *Knab.* p. 585), PALMIERI (p. 358) habent pro hebraismo et explicant: et *tu aliquando vices vertens,* scil. et *tu vicissim, occasione data.* KNAB. explicat de conversione ad Deum: et *tu converte* (ad Deum dirige) *et confirma fratres.* Communior sententia explicat de conversione a triplici negatione. Hanc proponit CORLUY (*Spicil. Dogm. bibl.* tom. 1 com. 1) et KNAB. expedit a difficultate, quam quidam opponunt ex nondum commemorata negatione, de qua tamen Luca statim dicit. Sed quidquid tandem teneatur verba sunt de personali operatione Petri.

[22] Licet confirmatio in fide intelligi possit de fide *interna* (n. 462), principalius exponenda est de *externa,* qua Petrus fratres confirmat.

[23] Videbimus in tractatu *de Fide.*

[24] Saepius notavimus sensum proprium maxime esse retinendum cum verba sic accepta exhibent fidei dogma.

[25] Christi orationem fuisse EFFICACEM, patet *ex fine* absolute intento, qui est frustrari diabolicos conatus, *ex forma* absoluta et omnino particulari orationis Christi, *ex onere* consequenter et inconditionate imposito Petro confirmandi fratres.

ergo Christus ut nullum defectum fides Petri patiatur; propositio enim negans universaliter accipitur : oravit scil. ut fides ejus firma, stabilis invictaque persistat »[26] : atqui infallibilitatem hanc non esse solum *in credendo*, sed maxime *in docendo* inde patet quod Christus Petro impetravit infallibilitatem ut omnes, qui erant cribrandi a satana, tentationem superarent[27]. Constat *b*) iterum ex munere *confirmandi fratres*[28] : non enim potest confirmare alios in infallibili fide[29], qui in fide indeclinabiliter non manet.

465. **Tertia pars.** *Potestas Petro collata in successores transit. a*) Prima ratio desumitur ex *parallelismo* cum Matth.[30], « nam tria utrimque affirmantur : conatus diaboli evertendi Ecclesiam, Christus qui suam tuetur Ecclesiam, munus et officium Petri, per quod Ecclesiam reddit invictam »[31] : atqui probavimus in Matth. primatum promitti etiam pro successoribus : ergo. *b*) Accedit *natura rei*, siquidem oves Petro commissae sunt *omnes Christi fideles*, qui usque ad finem mundi aderunt, et bonum collatum est potestas respiciens intimam *Ecclesiae constitutionem*, quae morte Petri non erat mutanda. *c*) Tandem manente potestatis *fine* manet potestas : atqui finis potestatis est impedire conatus satanae qui usque ad finem mundi Ecclesiam aggredietur, et confirmare *fratres* qui ratione successorum in fide erant servandi[32] : ergo.

466. **Quarta pars.** *Ergo R. P. cum loquitur ex cathedra est ex sese infallibilis.* Cum enim R. P. sit successor B. Petri, infal-

---

[26] PALMIERI p. 353.

[27] Quid sit *expetere* seu *postulare* patet ex Job. 1. 10 sqq.; scil. diabolus divina permissione impetit. *Cribrare* autem *sicut triticum* est dividere et agitare, unde ex CYR. et EUTH., explicat KNAB. p. 581 : « Voluit (satanas) vehementi incursu eorum animos perturbare, agitare, jactare; et quorsum tendat, nobis ex Christi precatione manifestatur; fidem enim ex eorum animis excutere gestit ».

[28] Στηρίζω est *stabilio, firmo, fulcio;* unde sensu morali dicitur de illo, qui veluti basis ac fulcrum aliorum, est ratio cur ceteri non labantur nec vacillent.

[29] Dicimus *in infallibili fide* siquidem demonstravimus fidei unitatem esse notam Ecclesiae, et infallibilitatem esse eius proprietatem.

[30] Ex hoc parallelismo explicatur cur *Lucas* et *Joannes* siluerint de promissione *Matthaei*. De *Marco* nulla difficultas, scripsit enim praedicationem Petri, qui ex humilitate indirecte tantum loquebatur de primatu.

[31] KNAB. p. 582-3.

[32] Apostoli infallibilitate personali donati *non egebant* confirmatione nisi ratione muneris ordinarii prout successorum personam referebant. PALMIERI p. 360 sqq.

libilitas successorum B. Petri ei convenit quando plenitudine suae potestatis docet ea quae ad fidem pertinent : atqui locutio *ex cathedra* est praecise supremum exercitium magisterii R. P. : ergo. Locutioni autem ex cathedra infallibilitatem convenire *ex sese* seu independenter ab aliorum concursu vel approbatione ex eodem testimonio evincitur, siquidem inde apparet quod infallibitatis *origo* est Christus qui contulit, *radix proxima* personalis indefectibilitas fidei ipsius R. P., *remota* efficax et absoluta oratio Salvatoris, *exercitium* vero nullis conditionibus ligatur, et *effectus* pendere nequit ab aliis qui non confirmare R. P. sed ab eo confirmari debent.

THES. 56. *Infallibilitas R. P. - 1 probatur etiam testimonio Patrum et — 2 confirmatur ratione.*

467. **Prima pars.** *Patres infallibilitatem R. P. agnoverunt et testarunt.* **Argum. 1.** *Ex expressis verbis.* Nam *a*) explicant verba *confirma fratres tuos* de confirmatione *in fide,* quam promissam dicunt Petro ut Ecclesiae capiti, et de successoribus intelligunt [33] : *b*) Sedem Romanam vocant *columnam fidei* [34], in qua semper est *servata apostolica traditio* [35] eadem *soliditate quae in Petro est laudata* [36], ita ut profligato a sobole mala patrimonio, apud RR. PP. *incorrupta Patrum servetur haereditas* [37] : *c*) dicunt quod omnes fideles « veluti *in solem sempiternae lucis* in sanctissimam Romanam Ecclesiam *eiusque confessionem ac fidem* recta linea respiciunt, ex ipsa effulgurans expectantes jubar » [38] : *d*) docent quod propter principalitatem ad Romanam Sedem *convenire debent omnes Ecclesiae,* ut fidei unitatem mutuentur [39] ; « *quisquis* (enim) *alibi collit spargit* » [40] : *e*) unde Romanam Ecclesiam habent *viam*

---

[33] CYRIL. Alex. *in Luc.* 22. 32; AMBR. *De Fide* IV c. 5 n. 56; V c. 1; LEO M. *Serm.* 4 n. 4; GELAS. epist. *ad Honor.;* AGATHO epist. *ad imp.;* CONC. CP. III epist. *ad Agath.;* THEOD. Stud. *Migne* 99 col. 1154; LEO IX *ad Patriar. Cp.;* ANSEL. *or.* 64; BERNARD. epist. 190 *ad Inn.*

[34] CONC. EPHES. *Act.* 2.

[35] IREN. *Adv. Haer.* III c. 3 n. 3. Etiam IGNAT. M. epist. *ad Rom.* c. 3 dicit de Romanis « Neminem umquam fascinastis; alios docuistis ».

[36] LEO M. *Serm.* 3 c. 2; CONC. Cp. IV *Act.* 1.

[37] HIERON. ep. 15 *ad Damas.;* AGATHO epist. *ad imp.*

[38] MAXIM. Taur. Epist. apud *Palmieri* De R. P. p. 617.

[39] IREN. *Adv. Haer.* III c. 3 n. 3; CYPR. *ad Corn.* ep. 45 c. 3; HIERON. *epist.* 16 n. 14.

[40] CYPR. ep. 40 *ad plebem.* n. 5.

brevem ad veritatem fidei percipiendam [41] et *ad haereticos omnes dignoscendos,* siquidem « quicumque extra hanc domum agnum comederit profanus est » [42]. *f*) In RR. PP. agnoscunt *supremum doctorem* [43] ipsumque *Petrum loquentem,* qui praestat quaerentibus *fidei veritatem* [44]; unde in conciliis ipsis non tam ex sese sententiam dicere cupiunt, quam RR. PP. dogmaticis litteris *consentire* [45], easque *sequi, recipere* et *probare* [46], haereticos damnando *secundum illorum judicium* [47], quo recepto, conclamandum erat: « *causa finita est:* utinam aliquando finiatur et error! » [48]. **Argum. 2.** *Ex praescriptione.* Nam *a*) primis tribus saeculis etiam sine conciliorum coadunatione RR. PP. haereticos damnarunt, ut v. g. HYGIN. a. 155 *Cerdonem* et *Valentinum,* VICTOR a. 196 *Theodotum,* ZEPHIR. a. 215 *Montanum,* CORNEL. a. 254 *Novatianos,* FELIX a. 273 *Paulum samosatenum,* etc. [49], ita ut AUG. diceret quod « haereses multo ac incomparabiliter plures extra concilia, quam in illis, fuerunt condemnatae » [50]. *b*) Cum vero concilia adunari coeperunt, RR. PP. praescripserunt quae erant definienda [51], ac, conciliari sententia non expectata, propria auctoritate in causa fidei judicarunt, ut constat de INNOC. et ZOSIMO damnantibus *Pelagium,* de COELES. damnante *Nestorium,* de LEONE M. damnante *Eutychen,* de AGATONE damnante *monothelitas,* et ita porro usque ad nostra tempora [52]. *c*) Adde RR. PP. nullis contradicentibus infallibilitatem sibi attribuisse, ut BONIF. I, COEL. I, LEO M.[53]: propria auctoritate fidei formulas praescripsisse, ut DAMAS., HORM., LEO IX, PASC. II [54]: et propositiones impugnantes infallibilitatem RR. PP. proscripsisse [55]. **Confirmatur** pleno scholasticorum consensu [56] et praxi haereticorum qui, ut scribit CYPR., « navigare audent ad

---

[41] CYPR. *De Unit. Eccl.* c. 4.
[42] HIER. *epis.* 16 n. 14.
[43] CONC. FLOR. Decr. *Union. Graec.*
[44] P. CHRYSOL. epist. *ad Eutych.* inter epist. Leon. 25.
[45] CONC. OECUM. VI *in Prosphonetico.*
[46] CONC. OECUM. VII.
[47] EPIST. SYNOD. Conc. Med. *ad Siricium.*
[48] AUG. *Serm.* 151 n. 10.
[49] Apud *C. Mazzella* n. 1076.
[50] AUG. *ad Bonif.* IV c. ult.
[51] Apud *C. Mazzella* 1074.
[52] Apud *C. Mazzella* l. c.
[53] BONIF. *ep.* 13 n. 2; COELEST. *ep.* 21 c. 11 n. 12; LEO M. *ep.* 93 c. 2.
[54] Cf. CONSTAN. 1. 512; DENZINGER n. 141, 292, 299.
[55] Prop. 7 *Petr. Oxom.* dam. a SISTO IV; 28 *Lutheri* dam. a LEONE X; 29 ex dam. ad ALEX. VIII.
[56] PALMIERI p. 621, 629 sqq.

Petri cathedram... nec cogitant eos esse Romanos... ad quos perfidia habere non possit accessum » [57].

468. **Secunda pars.** *R. P. infallibilitate pollere confirmatur ratione.* Nam in societate bene ordinata suprema potestas potest dirimere omnes quaestiones quae de societatis bonis insurgunt : atqui in Ecclesia insurgunt fidei disputationes quae sola infallibili definitione ultimo dirimuntur : ergo quia Ecclesia plena potestate regiminis pollet, infallibiliter judicare debet de rebus fidei : atqui... : ergo. Ceterum R. P., ut constat ex Matth., est Ecclesiae *fundamentum,* ac tenet *claves* regni coelorum, quibus *omnia* valet ligare et solvere quae ad Ecclesiae finem spectant : atqui fideles sunt confirmandi in fide et ad fidei unitatem revocandi, quod fit infallibili definitione [58] : ergo.

469. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Onus confirmandi fratres tribuitur Petro de trina negatione poenitenti : atqui sub hac formalitate successores non habuit : ergo infallibilitas non est Petro promissa pro successoribus. **Resp.** Circumstantia negationis signatur ad contradistinguendum Petrum ab aliis Apostolis, vel ad designandum tempus, quo promissum officium exequi debebat, *conc.:* ponitur uti intrinseca conditio subjecti cui promissa est potestas *neg.* Cum contextus agat de potestate Ecclesiae, negationis circumstantia accidentalis reputanda est non minus quam professio fidei in Matth. et protestatio amoris in Joanne. Ceterum sicut in Matth., Petro confitenti suam divinitatem Christus repromisit primatum, ut insinuaret munus confirmandi fratres in fide, et in Joanne primatum rependit amori Petri, ut doceret qua caritate primatus erat exercendus, ita infallibilitatem promisit Petro se negaturo, ut inculcaret « donum indefectibilitatis et munus confirmatoris fratrum, ad gratiam gratis datam referendum esse, utpote subjecto ex sese fragili et lapsui obnoxio inexistens... Constat autem conditionem hanc respicere omnes in perpetuum successores Petri, tametsi transfiguretur in facto quod Petro, prout typum gerenti totius successionis Pontificum personale fuit » [59].

---

[57] CYPR. ep. 55 *ad Cornel.* n. 14. *NB.* Si allata testimonia iuxta tempus coordinaveris invenies SAEC. 2 *Ignat. M., Hygin., Vict., Iren.;* SAEC. 3 *Zephir., Cornel., Cypr., Felicem;* SAEC. 4 *Ambr., Conc. Mediol., Damas., Hieron.;* SAEC. 5 *Innoc., Zozim., Coel., Bonif., Conc. Ephes., Cyril.* Alex., *Aug., Leo M., P. Chrysol., Max. Taur.;* SAEC. 6 *Hormis.* et *Greg. M.;* SAEC. 7 *Agath.* et *Conc. CP. III;* SAEC. 8 *Oecum. IV;* SAEC. 11 *Leon. IX;* SAEC. 12 *Anselm.* et *Bernard.;* SAEC. 15 *Conc. Flor.;* SAEC. 19 *Conc. Vatic.*

[58] Supra n. 366.

[59] BILLOT *De Eccl.* III th. 31 p. 177.

470. **Obiic. 2.** Quod semel infallibiliter definitum est, iterum definiri nequit: atqui ante *locutionem ex cathedra* fidei quaestiones definiuntur ordinario magisterio Ecclesiae, et confirmantur in conciliis: ergo. **Resp.** Quod semel infallibiliter definitum est, iterum definiri nequit definitione deliberativa *conc.;* confirmativa et explicativa *neg.* Ordinario magisterio non omnia dogmata fidei veritatesque eis connexae clare proponuntur, unde multa sunt, quae judicio etiam deliberativo possunt a CC. et RR. PP. examinari ac definiri. Quod si veritas jam est definita, nil vetat priorem definitionem confirmari, explicari et instantius proponi: etenim « de ratione judicis fidei tantummodo est, ut ex auctoritate sententiam ferat circa id quod a fidelibus tenendum est, praehabita cognitione causae; quae quidem causae cognitio haberi potest per simplex examen comprobativum, quin oporteat ut detur locus examini dubitativo » [60].

471. **Obiic. 3.** Infallibilitas R. P. *a*) hominis *deificationem* sapit, quia non falli est attributum Dei, *b*) *abusibus* viam aperit, quia libertatem R. P. non destruit, et *c*) *superstitionem* inducit quia veritatis cognitio non sequitur ex officio sed ex studio [61]. **Resp.** *Nego totum.* Infallibilitas R. P. non est attributum divinum, quia est *communicata* et per *extrinsecam* assistentiam Dei: abusus non inducit quia divina assistentia hoc quoque *praecavet:* superstitionem non subaudit quia non agitur de cognitione scientifica, sed de *authentica declaratione* quae non debetur personali culturae sed auxiliis Dei.

472. **Obiic. 4.** A facto datur illatio ad posse: atqui in fide erraverunt: 1) LIBERIUS subscribens *formulae sirmiensi* in quaestione ariana: 2) HORMISDA vel JOANNES II quorum primus damnavit alter approbavit propositionem *unus de Trinitate passus et crucifixus est:* 3) VIGILIUS qui in quaestione *de tribus capitulis* proscripsit *Judicato* scripta Theodori, Theodoreti et Ilae, quae dein *Constituto I* absolvit ut iterum damnaret *Constituto II* recepto in Conc. CP. II: 4) HONORIUS qui in quaestione *monothelitarum* docuit esse in Christo *unam voluntatem,* unde uti *haereticus* damnatus est a Conc. Oecum. VI confirmato a Leone II: 5) NICOL. III vel JOAN. XXII qui in quaestione de paupertate contraria docuerunt: 6) JOAN. XXII qui sanctis ante resurrectionem negavit beatificam visionem: 7) PAULUS V et URBANUS VIII quorum primus approbavit decretum SS. Cong. de haeresi damnans *systema Galilaei,* alter decretum promulgavit: ergo. **Resp.** Et hi pontifices erraverunt loquentes ex cathedra *neg.;* erraverunt uti privati doctores vel in exercitio magisterii doctrinalis providentiae *trans.* Quoad singulos haec tene: LIBERIUS non erravit *ex cathedra, a*) quia defectio

---

[60] BILLOT *l. c.* p. 206.

[61] HARNACK *Dogmeng.* II p. 414; III 608, 681 apud *Laak* n. 316-9.

hujus pontificis merum est Arianorum commentum, dum redditus Liberii ab exilio non debetur jactato lapsui, sed romanorum instantiis, ut modo vix non est certum apud historicos: *b*) adde formulam Smirnensem cui subscripsisse fertur esse tertiam, quae non haeretica sed aequivoca est, unde in catholico sensu a R. P. esse subscriptam tenendum esset: *c*) tandem objecta subscriptio non fuit definitio dogmatica, imo nec declaratio doctrinalis providentiae, siquidem iuxta ipsos adversarios non ex mentis errore subscripsisset sed necessitate compulsus, unde non haeresi sed defectu constantiae in *professione* fidei peccasset [62]. Nulla contradictio inter HORMISDAM et JOANNEM II; nam ille non damnavit objectam propositionem, sed ex ambiguitate sensus, vetuit ne monachi Scytae intempestive defenderent; alter cessato dissensionum periculo, in concilio Romano approbavit [63]. VIGILIUS definitivam sententiam dedit tantum in *Constituto II:* ceterum nec sibi contradixit: nam *Constituto I* noluit *personas* positive damnare, eo quod non erant damnatae in synodo Chalcedonensi [64]. HONORIUS non videtur definitionem dedisse ex cathedra, sed magisterio doctrinalis providentiae respondisse Sergio episc. CP.: non negavit autem duplicem voluntatem *humanam* et *divinam,* quas aequivalentibus verbis expressit, sed, uti constat ex epistolae extensore Joanne abbate et ex suo successore *Joan. IV,* docuit non fuisse in Christo concupiscentiam, seu duas *mentis* et *carnis* contrarias voluntates, sed unam voluntatem *humanam* divinae prorsus subordinatam. LEO II cum OECUM. VI non damnarunt Honorium de *haeresi,* sed quia « apostolicam Ecclesiam non conatus est doctrina apostolicae traditionis illustrare, sed profana proditione *maculari* immaculatam *permisit* » [65]. NICOLAUS III et JOANNES XXII non sibi contradicunt, quia ille theoretice iste practice, quaestionem pertractavit, et Joannes XXII nihil definire voluit, sed oeconomice demonstrare non amplius fuisse penes Romanam Sedem dominium bonorum FF. Minorum [66]. JOANNES XXII non negavit beatis visionem Dei, sed, uti privatus doctor, *disputavit* an ante resurrectionem haberent *visionem facialem,* quam asseruit BENED. XII ejus successor [67]. *In causa Gallilalei* nec PAULUS V nec URBANUS VIII dederunt definitiones, sed *forma communi* approbarunt decreta SS. CC. quae in

---

[62] ZACCARIA *Thesaur. theol.* tom. 2 p. 2 I opusc. 6; JUNGMANN Diss. VI n. 64-82; HERGENRÖTHER *Stor. Univ. della Chiesa* Vol. 2 p. 68.

[63] PALMIERI p. 722; NATAL. ALEX. 3 t. 6 n. 3 Vol. 5 p. 398-400; JUNGMANN Diss. XI n. 18.

[64] Cf. NAT. ALEX. *l. c.* 391 sqq.; JUNGMANN *Diss.* XI n. 33-90; BILLOT p. 199-204.

[65] LEO II epist. conf. *Conc. Oec.* VI; JUNGMANN Diss. XII n. 46-79; PESCH n. 516.

[66] PALMIERI p. 723-4.

[67] PALMIERI p. 724.

documenta pontificia non transierunt. Ceterum etsi damnationis *motiva* sumantur ex Scripturis et theoria Gallilaei proponatur ut haeresis, non desunt probati auctores qui decreta praedicta habent mere disciplinaria [68]. « Hinc eruditi Protestantes libenter fatentur nil hoc facto contra Pontificiam infallibilitatem deduci posse » [69].

ARTIC. 5 - DE SECUNDARIO ECCLESIASTICAE POTESTATIS SUBIECTO.

473. **De quibus agendum.** Potestas R. P. est plena et immediata sed non unica : sive enim spectes potestatem ordinis, sive consideres jurisdictionem, invenies esse in Ecclesia hierarchiam seu sacrum principatum quo inaequali gradu potestas a diversis participatur. De Ecclesiastia hierarchia agemus in tractatu *De ordine,* in praesenti dicemus tantum de auctoritate episcoporum qui *jure divino,* SS. CC. et parochorum qui *jure ecclesiastico* jurisdictionem habent in Ecclesia.

474. **Apostolorum munus ordinarium et extraordinarium.** Apostolos habuisse munus *ordinarium* transiturum in successores constat ex praedictis de apostolicitate Ecclesiae et iterum demonstrabimus in thesi : sed habuisse etiam privilegia spectantia speciale officium *fundamenti Ecclesiae* [1] seu munus extraordinarium in successores non transiturum certissimum est. Haec privilegia respiciunt *missionem, doctrinam, infallibilitatem* et *originem* potestatis. *Missionem* Apostoli habuerunt immediate a Christo et, ut videtur, sine locorum limite ac pro toto vitae tempore [2] : *doctrinam* directe a Deo acceperunt [3] ita ut ex complexu revelationum quae Apostolis sunt factae, thesaurus fidei integretur [4] : de *personali infallibilitate* nemo ambigit, licet de testimoniis quibus evincitur non conveniant auctores [5]. De *origine potestatis* non paris est consensus; quidam enim putant Apostolos potestatem ordinis

---

[68] BOULX *Revue de sciences eccl.* 1866; GRISAR *Galileistudien* p. 151; E. LOVE in *Scuola* Ott.-Dicem. 1907 docent fuisse decretum *doctrinale;* sed SCHEEBEN *Handbuch der Kat. Dog.;* PALMIERI p. 732-7 JAUGEY *Le procès de Galilée* p. 73; L. CHOUPIN *Valeur des decis. doct.* 1907 opinantur fuisse decretum *disciplinare.*

[69] TANQUEREY *De Eccl.* n. 190.

[1] Eph. **2.** 20.

[2] *Euntes in mundum universum praedicate* etc. Marc. **16.** 15.

[3] Nam simul audierunt praedicationem Christi et receperunt Spiritum S. *NB.* Attendas quam solicite Paulus, ut sibi vindicaret apostolatum (ad Gal. **1.** 1 sqq.), missionem et doctrinam immediate a Christo se accepisse doceat.

[4] Cum Apostolis nova revelatio catholica cessavit, singulis tamen non sunt directe revelata omnia dogmata, sed fidei thesaurus ex complexu revelationum, quae diversis apostolis sunt datae, coalescit.

[5] Plures arguunt ex Matth. **28.** 19-20, Joan. **14.** 16-7; **17.** 17-20, sed hujusmodi testimonia respiciunt officium *permanens* quod in successores transiit.

vel saltem jurisdictionis immediate accepisse a Christo [6]: alii aestimant omnes fuisse ordinatos a Petro [7] et potestatem jurisdictionis nec universalem nec independentem habuisse [8]. Limitationem quandam jurisdictionis ad ecclesias *a se fundatas* innuit APOSTOLUS diverso modo quo scribit Corinthiis et Galatis quos in fide genuerat, ac Romanis et Hebraeis quibus Evangelium non intulerat, et testatur GREG. M. dicens: « Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud quam *singularium* sunt *plebium capita?* » [9]. Non accepisse autem jurisdictionem *independentem* a Petro, deducitur ex praedictis de ejus primatu supra Apostolos [10]. Hinc PATRES vocant Petrum *Apostolorum* principem [11], eximium *inter Apostolos* et *coetus illius* caput [12], testantes ceteros Apostolos non sibi sed *Petro aedificasse* [13].

475. **De triplici episcopi potestate.** Cum verba Ecclesiae potestatem exprimentia non sint dicta soli Petro sed etiam collegio Apostolorum quorum episcopi sunt successores, manifestum est episcopos habere potestatem ordinis, jurisdictionis et magisterii. Quoad potestatem *ordinis* videbimus in tr. *de Ordine* episcopos habere plenitudinem sacerdotii. Quoad *jurisdictionem* nota potestatem episcopalem esse per se *plenam* supra proprios subditos, unde in propria dioecesi episcopi omnia peragere valent quae ad fidelium gubernationem ordinantur; quia tamen *non est suprema,* sed dependens a R. P. quaedam administrationem ipsam dioecesis vel peccatorum absolutionem spectantia possunt reservari a Summo Pontifice. Quoad potestatem *magisterii* observa definitionem veritatis ex natura sua esse universalem ac proinde praeterire potestatem singulorum episcoporum: in propria tamen dioecesi episcopi sunt veri magistri authentici et judices fidei quoad dogmata definita et tradita conservanda; unde si ab eorum sententia licet appellare, quousque tamen a legitima auctoritate non est infirmata, illam revereri oportet et juridice conformem doctrinae R. P. reputare [14]. Quod si episcopi *simul* considerantur in concilio

---

[6] SUAREZ *De Fide* Disp. 10 sect. 1 n. 12; BELLAR. *De R. P.* 1 c. 9; PESCH n. 180; PALMIERI *De R. P.* p. 380 sqq.; GROOT p. 493.

[7] BELLARM. *De R. P.* I c. 23; C. MAZZELLA n. 882.

[8] BILLOT *De Eccl.* III th. 26 p. 73-5.

[9] GREG. M. Epist. V ep. 10 *ad Joan. CP.*

[10] Supra n. 410, 411.

[11] GREG. M. Epist. VII ep. 40 *ad Eulog. CP.*

[12] CHRYS. *in Joan.* hom. 87 n. 1.

[13] OPTAT. *De Schis. Donati* I c. 2.

[14] PESCH n. 440.

oecumenico adunati vel etiam in propriis dioecesibus divisi [15], habendi sunt magistri infallibiles [16], non quasi independenter a R. P. valeant aliquid definire, sed quia in eorum complexu a R. P. separari non possunt, et cum ipso sub assistentia Spiritus S. in re fidei nec decipi nec decipere possunt [17]. Hoc aperte continetur in testimoniis Matthaei et Joan., quae de solo R. P. non possunt exponi [18], et insinuatur a CONC. VATIC. a quo « comparatur infallibilitas *Pontificis* ex cathedra definientis cum infallibilitate definientis *Ecclesiae;* illa directe et data opera a Concilio declaratur, haec ut certa supponitur et assumitur ut terminus comparationis »[19].

476. **De origine potestatis episcopalis.** Duo considerari debent : *subjecti* determinatio et potestatis *derivatio.* Quoad primum omnes concedunt post Apostolos episcopos a R. P. esse eligendos [20]; ipse enim debet universum Christi gregem pascere, et ideo eligere pastores, qui ovibus Christi invigilent [21]. — Quoad alterum disputant theologi : quidam putant, facta determinatione personae per electionem, potestatem immediate conferri a Christo [22], alii immediate fluere a R. P. [23]. Illi arguunt ex *Act.* **20**. 28 et *Eph.* **4**. 11 necnon ex apostolica successione [24] : hi ex *Joan.* **21**. 17 ; « constat enim quod ex quo quis super gregem universum constituitur tamquam omnium omnino ovium pastor proprius et ordinarius, nulla jam esse potest in singulas portiones gregis pastoralis auctoritas, quae de plenitudine ejus non sit participata » [25].

---

[15] Coadunatio in conciliis a Christo non est praescripta, et ideo non requiritur ad exercitium potestatis doctrinalis, quam etiam ordinario magisterio (n. 342) in actum deducunt.

[16] Hanc infallibilitatem episcopis etiam coadunatis in legitimo concilio negant PALMIERI p. 637; CROSTA I n. 644 etc.

[17] BELLAR. *De Conc. et Eccl.* II c. 2; FRANZ. *De Trad.* th. 12 sch. 1 p. 117; C. MAZZELLA n. 1029-31; SCHNEEMANN apud *Pesch* n. 459 qui eis adhaeret.

[18] Nam, ut videbimus in thesi, verba diriguntur ad integrum collegium Apostolicum.

[19] FRANZ. *De Trad.* p. 117.

[20] Non obstant electiones ex concordatis vel privilegiis factae a gubernis vel capitulis; sunt enim *concessiones* R. P., qui electorum *approbationem* sibi reservat.

[21] Si non eligeret nec posset deponere.

[22] F. DE VICT., A. DE CASTRO, VASQUEZ, P. CALLET apud *C. Mazzella* n. 1007; quibus *Pesch* n. 371 addit NEUBAUER et PHILLIPS.

[23] S. THOM. *II Dist.* 44 q. 2 a. 3; *IV Dist.* 19 q. 1 a. 1 ad 1; 2-2 q. 39 a. 3; *Cg.* IV c. 76; *in Matth.* **16** n. 2; BONAV., DUR., ANTON., BENED. XIV apud *C. Mazzella* n. 1008; PESCH n. 371; BILLOT III p. 84; GROOT p. 602.

[24] Nam Apostoli sunt *immediate* missi a Christo.

[25] BILLOT *De Eccl.* III p. 84.

Secundam sententiam, quae confirmatur auctoritate AUG., CYPR., OPTAT., GREG. Nyss., INNOC. I, CAES. Arel. et PII VI [26], amplectimur, aliorum argumentis reponendo quod episcopi sunt *a Deo* prout Deus ordinem episcopalem instituit; Apostoli vero immediate quidem acceperunt a Christo potestatem sed a Petro *dependentem* [27].

477. De oecumenicorum conciliorum requisitis et utilitate. CONCIL. OECUM. definiri potest: *Concilium repraesentans universam Ecclesiam, actis assentiente R. P.* [28], in eoque tria sunt distinguenda: *convocatio, celebratio* et *confirmatio*. Debet *a*) *convocari* a R. P., quia ipse solus auctoritatem habet supra omnes episcopos [29]. *b*) *Celebrationi* non tenentur omnes adesse, siquidem Christus impossibilia non jubet; multi tamen ex diversis regionibus colligi debent ut moraliter tota Ecclesia repraesentetur. Causae discussioni et deliberationibus praeesse debet R. P. saltem per legatos, qui tunc eum repraesentant cum juxta instructiones acceptas agunt, non vero cum proprio marte quidquam moliuntur. *c*) Decreta non necessario eduntur majori episcoporum parte [30] sed debent *confirmari* a R. P., quia silente capite non loquitur Ecclesia [31]. — Porro concilia non esse absolutae necessitatis vel inde constat quod Christus ea non praecepit, multis saeculis non sunt adunata, et omnibus necessitatibus providere potest R. P. Multae tamen utilitates ex conciliis sequuntur, ob quas morali quadam necessitate aliquando coadunari debent. Etsi enim in concilio non sit maior auctoritas quam in uno R. P., *a*) est maior solemnitas, quae haud parum juvat ad haereticorum confusionem; *b*) est accuratior causae discussio, qua multae difficultates diluuntur et clarior veritatis notitia apparet; *c*) pro decretis disciplinaribus facilius innotescunt quae sunt omnibus necessaria et possibilia; *d*) concordia episcoporum fovetur et subjecto ad R. P. firmatur; *e*) episcopi vero, qui in decretis edendis partes habuerunt, promptiores fiunt in eorum promulgatione et executione. Hac de re

---

[26] Ceteri prostant apud BILLOT *l. c.*; PIUS VI Brev. *Super solid.* 28 Nov. 1786.

[27] Supra n. 474.

[28] C. MAZZELLA n. 219.

[29] De *jure* vocandi sunt omnes episcopi jurisdictionem habentes, sed si *pauci*, maxime ex oblivione, praetereantur non obstat. Episcopi *titulares* possunt vocari, sed non habent jus, eo quod potestas magisterii non ordinem sed jurisdictionem sequatur.

[30] BENED. XVI. *De synod. Dioec.* XII c. § 2.

[31] C. MAZZELLA *l. c.* n. 1019-33; *De Virt. Inf.* n. 544; PESCH n. 441-456.

definitiones R. P. nonnumquam dicuntur a conciliis *confirmatae*, prout scil. *ab extrinseco* firmiores evaserunt [32].

478. **De potestate Ecclesiae vacante Sede romana.** Mortuo R. P. manet in Ecclesia potestas ad conservandum fidei depositum et exercendum sacrum ministerium, non ad aliquid innovandum. Manet *potestas magisterii* ad conservandum fidei depositum, quia Christus non derelinquit suam Ecclesiam; fieri nequeunt *novae definitiones*, quia deest assistentia Spiritus S. promissa *Petro* et alia promissa *Apostolis*, siquidem sede vacante episcoporum collegium non est oecumenicum [33]. Manet *potestas jurisdictionis*, quia in episcopis est *ordinaria*, et *delegata* non semper cessat morte delegantis: novae tamen leges universam Ecclesiam devincientes condi nequeunt, quia deest subjectum in quo potestas supra universam Ecclesiam resideat.

479. **Quae Rom. Cong. auctoritas.** Sacras Congregationes Romanas vera auctoritate in universa Ecclesia pollere constat ex institutionis fine et quia R. P. eis praeest vel eorum decreta confirmat. Porro SS. CC. auctoritas est imprimis *scientifica* quia ex peritissimis viris coadunatae, studiis praecipuorum doctorum, qui *consultores* audiunt, juvantur [34]: est etiam *authentica* quia emanat a primatu R. P. unde et *Apostolica* vocatur [35]. Sicut rex civitatum praesulibus et episcopi parochis propriam auctoritatem communicant, ita R. P. suam auctoritatem participat sacris Congregationibus, ut suo nomine regant Ecclesiam. Inde sequitur auctoritatem SS. CC. esse vere *doctrinalem* ac proinde mereri internum animi assensum [36], sed non sequitur esse etiam *infallibilem*, quippe infallibilitas pertinet ad supremum magisterii gradum, nec princeps valet supremam et independentem potestatem alteri communicare. Neque SS. CC .decreta infallibilitatem mutuantur ex approbatione R.P.; nisi enim solemni et individua confirmatione R.P. *sua* faciat, approbatio naturam decretorum non mutat, vel solo magisterio do-

---

[32] CONC. VAT. *Dei Filius* prooem.; PALMIERI p. 694-9; C. MAZZELLA n. 1034-8; BILLOT p. 208-12.

[33] BELLAR. *De Concil.* II c. 19 n. 3; M. CANO *De Loc. theol.* IV cp. 6 ob. 12; FRANZ. *De Eccl.* th. 13 p. 228.

[34] Supra n. 354.

[35] GROOT p. 641. Ut constat ex Bulla *Immensa* SIX. V a. 1587, auctoritas SS. CC. est *ordinaria*, siquidem non personis sed officio connectitur.

[36] L. CHOUPIN *Valeur des décis.* etc. auctoritatem *doctrinalem* tribuit tantum *C. U. Inq.*, sed post « Motu proprio » PII X *Praestantia* 18 Nov. 1907 idem dicendum est de *Commis. Bibl.* et cum communiori sententia de *C. Indicis.*

ctrinalis providentiae corroborat [37]: hinc decreta SS. CC. sunt *tuta* sed non *irreformabilia* [38]. Iam age: naturae auctoritatis conformatur obsequium subditorum; quia ergo auctoritas SS. CC. est *veri magisterii,* decretis SS. CC. debetur assensus *internus* [39]; quia non est *magisterii infallibilis* sed solius doctrinalis providentiae decreta illa non inducunt assensum fidei divinae vel ecclesiasticae sed solius *religiosi obsequii* [40], qui specie et gradu adhaesionis prioribus cedit [41].

480. **De parochorum auctoritate.** Non defuerunt qui parochos dicerent successores 72 discipulorum quos Christus elegit [42], unde et divinae institutionis fecerunt [43]; sed communis et vera sententia tenet parochos serius ex ecclesiastica dispositione esse institutos [44]. Porro parochi habent potestatem *ordinariam,* quia eis competit ex officio, sed

---

[37] Ex confirmatione R. P. decreta SS. CC. novam auctoritatem mutuare manifestum est, sed aeque patet in documenta *ex cathedra* non transire.

[38] Supra n. 360.

[39] Decretis SS. CC. non deberi solum externum silentium sed internum mentis consensum saepe docuerunt RR. PP. BENED. XIV *De Beat. et Canon.* I c. 42 quoad decr. de Beat. Sanct.; PIUS IX quoad condem. Günther et Froschammer *Litt. ad ep. Monac.* 21 Dec. 1863, et *ad arch. Col.* 15 Jun. 1857; LEO XIII quoad cond. Rosmini *Litt. ad Arch. Mediol.* 1 Jul. 1889; PIUS X *Decr. Lament.* prop. 8.

[40] Supra n. 381.

[41] HURTER I n. 682, addit « quod si menti fidelis verae graves et solidae, theologicae praesertim, obversarentur rationes in contrarium, licitum esset formidare, conditionate assentire, imo et suspendere assensum, donec innotescat consensus Ecclesiae universalis vel R. P.; ideoque etiam licebit ad altius appellare tribunal, scil. vel ad concilium vel ad R. P. » Candide fatear me olim huic doctrinae quae plusminusve approbatur a PESCH n. 521, LEHMKUHL *Theol. Mor.* I n. 304, etc. adhaesisse; sed re melius perpensa aestimo praedictam appellationem locum habere non posse, quia tribunal SS. CC. praestat iudicio uniuscuiusque doctoris, qui proinde potest SS. CC. proprias rationes *proponere,* sed sine temeritatis nota assensum suspendere et multo minus negare usque ad sententiam infallibilis magisterii non valet. Ceterum etiam in sententia praedictorum auctorum appellatio ad iudicium *ex cathedra* magis hypothetica quam realis est, moraliter enim repugnat ut contra sententiam SS. CC. menti obversentur *evidentes theologicae rationes,* nisi forte cum, progressu temporis, novis inquisitionibus *tutum* evasit quod condemnationis tempore *non* erat *tutum* (n. 381).

[42] Luc. **10**. 1.

[43] JANSENISTAE apud *Naldi* Dei Parrochi II p. 288 sqq. et *Bouix* De parocho p. 1 sect. 1.

[44] Parochorum institutio tribuitur saec. 4. S. SANGUINETI *Inst. Jur. Priv.* n. 354; A. LAPIDE in *Luc.* **10**; NALDI et BOUIX *l. c.*

in *foro* tantum *interno,* quia spectantia ad forum externum ex juris dispositione deferenda sunt ad episcopum [45].

481. **Errores — Veritas.** Veram *jurisdictionem* negaverunt episcopis PROTESTANTES, Ecclesiam concipientes uti societatem aequalem seu democraticam [46]: *divinam originem* episcopatus post RATIONALISTAS negarunt MODERNISTAE dicentes episcopos ab Apostolis institutos fuisse « ad providendum necessariae crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missionem et potestatem Apostolicam » [47]. **Veritas** post CONC. TRID. proposita est in VATIC. testante Primatum R. P. non obstare « ordinariae ac immediatae illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu S. in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos pascunt et regunt » [48].

THES. 57. *Christus Apostolis contradistinctis a reliquis fidelibus veram jurisdictionis potestatem contulit, — 2 quam permanere voluit in eorum successoribus: — 3 hi vero sunt episcopi, — 4 qui proinde divina institutione in propria dioecesi jurisdictionis pollent auctoritate.*

482. **Prima pars.** *Christus Apostolis a fidelium coetu contradistinctis contulit veram jurisdictionis potestatem.* Apostolorum nomen non esse commune sed proprium quorumdam personarum constat ex eorum electione; Christus enim *vocavit discipulos et elegit duodecim quos et Apostolos vocavit* [49], apostoli ergo nomen non competebat omnibus, sed speciali collegio [50] quorum membra diligenter recensentur [51]. Jamvero huic collegio Christum contulisse potestatem ordinis, jurisdictionis et magisterii apertissime con-

[45] Haec et alia, quae ad jura et officia parochorum spectant, invenies apud Canonistas.

[46] Supra n. 406.

[47] DECR. *Lamentabili* pr. 50.

[48] CONC. VATIC. *Pastor* cp. 3; CONC. TRID sess. 23 cn. 6 et 7.

[49] Luc. **6.** 3.

[50] Non obstat vocem *Apostoli* a Paulo lato sensu adhiberi de Ecclesiarum evangelizatoribus (CORNELY in 1 *Corinth.* p. 386), Christus enim 12 nomen commune *appropriavit,* unde in suo generico sensu alias potuit adhiberi.

[51] Matth. **10.** 1 sqq.; Marc. **3.** 14 sqq.; Luc. **6.** 13. Argumentum confirmatur ex *numero* Apostolorum, ut enim notat FRANZ. *De Eccl.* th. 8 p. **94, numerus duodenarius** signatur cum art. οἱ δώδεκα (Matth. **10.** 1; 11. 1 etc.) et servatur etiam cum, defectione Judae, Apostoli facti sunt *undecim* (Joan. **20.** 24. 1 Corinth. **15.** 5 graec.) et electione Matthiae et Pauli *tredecim* (*Apoc.* **21.** 14): non est ergo numerus personarum sed *collegii.*

stat ex Scripturis. Revera de potestate ORDINIS habemus quod in ultima coena Christus Apostolis dixit *hoc facite in meam commemorationem* [52] et post resurrectionem apparens eis dixit *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis etc.* [53] : de potestate JURISDICTIONIS quod dedit eis quaecumque *ligare et solvere omnia* [54] mittens in mundum universum ad Evangelium *praedicandum* [55] : de infallibili MAGISTERIO quod pro Apostolis oravit ut sanctificarentur in veritate [56] damnationem comminans iis qui verbis eorum non crediderint, quippe cum ipsis futurus erat (in hoc praedicandi munere) usque ad finem mundi [57].

483. **Secunda pars.** *Christus voluit ut apostolica auctoritas in successores transiret.* Nam Apostoli debent consecrare Eucharistiam *donec* Christus *veniat* [58], Evangelium praedicare *in mundum universum* [59], Spiritum veritatis habere *in aeternum* [60] et Christum comitantem *usque ad consummationem saeculorum* [61] : atqui haec in solis successoribus adimpleri queunt : ergo auctoritas apostolica in successores debet transire [62]. Ceterum ex prima parte constat munus Apostolicum pertinere ad constitutionem Ecclesiae uti integrans eius regimen : atqui humana auctoritate regimen Ecclesiae mutari nequit et de divina non constat, ut deberet : ergo.

484. **Tertia pars.** *Apostolorum successores sunt episcopi.* Nam **Scriptura** docet quod *Spiritus S. posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* [63], nec de institutione episcopatus ab apostolatu

---

[52] Luc. **22.** 19. In ultima coena cum Christo recubuisse integrum et solum collegium apostolicum colligitur ex Marc. **14.** 20 et Luc. **22.** 14.

[53] Joan. **20.** 21 sqq. Die resurrectionis in coenaculo praeter Apostolos erant saltem duo alii discipuli (Luc. **24.** 13-43), sed non videtur eis quoque esse collatam potestatem absolvendi ; potestas enim quae datur communitati intelligitur collata superioribus et Christus 12 jam elegerat.

[54] Matth. **18.** 18. In hoc loco Apostoli non nominantur, sed dum sermo dirigitur ad *Ecclesiam* (*dico vobis*), quae ex **16.** 18-9 et ex more Judaeorum intelligitur coetus praesulum, haud obscure Apostoli designatur. KNAB. *in Matth.* II p. 123.

[55] Matth. **28.** 18-20 ; Marc. **16.** 15-6. Subiectum potestatis esse Apostolos constat ex Marc. **16.** 14, nam *recumbentibus illis* UNDECIM *apparuit... et dixit eis : Euntes* etc.

[56] Joan. **17.** 9-19. Jam notavimus in ultima coena cum Christo recubuisse apostolos, quos proinde allocutus est.

[57] Joan. **17.** 20 ; Marc. **16.** 16.

[58] 1 Corinth. **11.** 26.

[59] Marc. **16.** 15.

[60] Joan. **14.** 16-7.

[61] Matth. **28.** 20.

[62] Cf. quae diximus de Ecclesiae apostolicitate n. 260.

[63] Act. **20.** 28.

distincto constat. Hinc PAULUS Ecclesias, a se fundatas, episcopis regendas tradidit, haeredes et successores suos constituendo [64] et PETRUS episcopos quasi sodales alloquitur [65]. **Ex Patribus** IREN. ait: « Habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis et *successores eorum usque ad nos* » [66]. TERTUL. provocat haereticos ut ad auctoritatem propriam demonstrandam « evolvant ordinem episcoporum suorum ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem *ex Apostolis* vel *apostolicis viris*, qui tamen cum Apostolis perseveravit, habuerit auctorem et *antecessorem* » [67]. CYPR. dicit Ecclesiae praepositos « Apostolis vicaria ordinatione *succedere* » [68]. EUSEB. episcoporum elencum habet pro « *apostolorum successionis* » catalogum [69]. PACIAN. docet quod « episcopi *apostoli* nominantur » [70], et HIER. quod « omnes (episcopi) Apostolorum *successores* sunt » [71]. AUG. ait: « *Pro apostolis* filii nati sunt tibi, constituti episcopi » [72] et GREG. M.: « Horum (Apostolorum) profecto nunc in Ecclesia *locum* episcopi *tenent* » [73]. **Ratio.** Nam Apostolorum successores, qui ex Christi voluntate regimen Ecclesiae tenere debent ignoti esse non possunt: atqui praeter episcopos nulli apostolicam successionem sibi vindicant: ergo.

485. **Quarta pars.** *Episcopi jure divino jurisdictionem habent in propria dioecesi.* Est corollarium praecedentium. Nam, ut vidimus, Apostoli ex Christi institutione habuerunt in Ecclesia potestatem jurisdictionis: atqui ex Christi voluntate episcopi sunt successores Apostolorum: ergo ex Christi voluntate, ideoque jure divino, episcopi jurisdictionem habent in propria dioecesi.

486. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Primis temporibus nomen *episcopi* erat commune sacerdotibus et diaconis, imo et laicis: ergo ex Scripturis et Patribus nil evincitur pro jurisdictione episcoporum [74]. **Resp.** Neg. *suppositum* et *dist. ant.* non erat nomen pro-

[64] Tit. 1. 5; Tim. 1. 3. Huic successioni non obstat quod, episcopis constitutis, Apostoli adhuc regerent Ecclesias a se fundatas; hoc enim non erat ex *ordinaria* potestate, sed *vicaria* Petri *jurisdictione*. BILLOT p. 90.

[65] SENIORES *obsecro* CONSENIOR... *pascite qui in vobis est gregem Dei.* 1 Petr. 5. 1.

[66] IREN. *Adv. Haer.* III c. 3 n. 1; V c. 20 n. 1.

[67] TERTUL. *De praescr.* c. 32.

[68] CYP. ep. 66 *ad Flor.* n. 4; ep. 65 *ad Rogat.* c. 3.

[69] EUSEB. *Hist. Ecc.* III c. 4.

[70] PACIAN. Ep. 1 ad *Sympr.* n. 6.

[71] HIERON. Ep. 41 *ad Marcel.* n. 3.

[72] AUG. in *Ps.* 44 n. 32.

[73] GREG. M. *In Evang.* hom. 26 n. 5.

[74] HARNACK et MODERNISTAE passim.

prium *conc.*, neque appropriatum *neg.* Nostrum argumentum non innititur *nomini* episcoporum, sed *perennitati muneris* apostolici; apostolorum autem successores esse episcopos a fine saeculi secundi per IREN. evidentissime constat. Licet autem iuxta etymologiam et usum profanum episcopi *nomen* sit commune, in usu tamen sacro appropriatum est gradibus sacrae hierarchiae et quidem ita ut principalius diceretur de sacerdotibus primi ordinis [75]: quemadmodum ex Scripturae contextu et ex CLEM. et IGNAT. scriptis apertissime liquet [76].

487. **Obiic. 2.** Noluit Christus in Ecclesia quemque majorem haberi [77]: ergo in Ecclesia omnes sunt aequales. **Resp.** Vetuit Christus disputationem de praecellentia meritorum *conc.;* vetuit quaestiones de praecedentia auctoritatis *subd.:* negando existentiam diversarum dignitatum et auctoritatum *neg.;* prohibendo superbiam et vanum dignitatum fastum *conc.* « Curat Dominus desiderium gloriae humilitatis contentione sanare... Ex verbis patet agi de primo loco in regno Dei, quem, non qui primus in potestate, sed qui primus in humilitate et meritis in aliorum servitio comparatis esset, consecuturus dicitur. Possunt tamen verba apte extendi ad eum qui primus est dignitate et potestate; dein significatur quomodo se gerere debeat, qui ejusmodi primatum adeptus est » [78].

488. **Obiic. 3.** Non potest unus grex duobus regi pastoribus: atqui supra universum gregem Christi constitutus est R.P.: ergo episcopi vera et ordinaria jurisdictionis potestate non pollent [79]. **Resp.** Non potest idem grex regi duobus pastoribus independentibus *conc.* subordinatis *neg.* « Inconveniens esset, inquit S. THOM., si duo aequaliter super eandem plebem constituerentur. Sed quod duo, quorum unus alio principalior est, super eandem plebem constituantur, non est inconveniens, et secundum hoc super eandem plebem immediate sunt et sacerdos parochialis, et episcopus, et Papa, et quilibet eorum potest ea, quae sunt jurisdictionis ad ipsum pertinentia, alteri committere » [80]. Hinc GREG. M.: « Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ergo vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur » [81].

---

[75] FRANZ *De Eccl.* th. 16 p. 289 sqq. probabilius tenet nomina *episcopi, presbyteri* et *diaconi* promisque quidem sed inadaequate usurpari in Scripturis, ita scil. ut omnia dicantur de episcopis sed numquam diaconus vel sacerdos secundi ordinis vocetur episcopus.

[76] De his plura dicemus in tr. de *Ordine.*

[77] Marc. **9.** 33 sqq.

[78] KNAB. in *h. l.* p. 248.

[79] Hanc difficultatem contra primatum urgebant GUL. a S. Amore et SIGERIUS in libello damnato a *Clem. IV.*

[80] S. THOM. *IV Dist.* 17 q. 3 a. 3 q. 5 ad 3.

[81] GREG. M. Ep. VIII ep. 30 *ad Eulog. Alex.*

TRACTATUS III.

DE FONTIBUS REVELATIONIS.

489. **Quaestionis ratio.** Tria in quaestione de revelatione considerandа erant : ipsum *factum* divinae locutionis, *subiectum* in quo residet, *medium* quo cognoscitur ; primum explicavimus in tract. de *religione christiana* cuius divinam originem vindicavimus, de tertio diximus in tract. de *Ecclesia,* quam ostendimus revelationis custodem et magistram, manet ut de subiecto in quo divina revelatio residet inquiramus. Verum hujusmodi subiectum, quod dicitur etiam *revelationis fons* quia de ipso quasi de fonte fidei veritates hauriuntur, estne aliquid clausum et perfectum vel fluens et mutabile? Hoc affirmant Modernistae, illud Ecclesia quae docet Evangelium D. N. J. C. « contineri in *libris scriptis,* et sine scripto *traditionibus* », quas ipsa « pari affectu, ac reverentia suscipit » [1]. Hinc tractatus nostri divisio : — 1 *De revelationis immutabilitate,* — 2 *De sacra Scriptura* — 3 *De divina Traditione.*

CAPUT I.

De Revelationis immutabilitate.

490. **Capitis divisio.** Mutatio contingere potest *augmento* quo prioribus veritatibus novae adduntur et *corruptione* sive *intrinseca* qua ipsa revelatio diversimode se habeat prius et posterius, sive *extrinseca* qua processu temporis aliter cognoscatur : prima mutatio fit novis revelationibus, altera evolutione, tertia verborum sensus permutatione. Ut singulis quaestionibus occuramus caput in tres articulos dispescimus : — 1 *De revelationis complemento* — 2 *De revelationis evolutione* — 3 *De revelationis progressu.*

---

[1] Conc. Trid. Sess. 4 *De Can. Script.*

Artic. 1 - De revelationis complemento.

491. **Divina revelatio in V. et N. T. verum augmentum suscepit.** Etsi juxta duos fundamentales articulos, qui substantiam fidei constituunt, augmentum non detur [2], unde Adam ipse credidit quod Deus est et inquirentibus se remunerator sit [3]; circa ea tamen quae Deum unum in essentia et trinum in personis necnon opus creationis et redemptionis spectant, multa sunt successive revelata a Deo, qui *loquens Patribus in prophetis, novissime locutus est nobis in Filio* [4]. Post Christi mortem fidei thesaurus excrevit adventu Spiritus S., qui omnem veritatem docuit Apostolos [5]. Porro qua ratione fidei veritates fuerint Apostolis revelatae, an scil. omnes simul die Pentecostes vel paullatim, data occasione, non conveniunt auctores; vix tamen non est certum etiam post Pentecosten revelationem excrevisse; Scripturae enim, quae dein sunt datae, veram exhibent revelationem, nec quidquam cogit ut dicamus in coenaculo omnibus Apostolis patefacta fuisse, quae in insula Pathmos sibi revelata scripsit Joannes in Apocalypsi [6].

492. **Quid sentiendum de privatis revelationibus.** Cum veritatibus fidei ab omnibus credendis confundi nequeunt revelationes privatae, quae etiam nunc Deus quibusdam sanctis concedit [7]. Cum Ecclesia has revelationes approbat, tantummodo declarat *a*) « in iis nihil esse quod fidei catholicae, bonis moribus et disciplinae christianae adversetur; *b*) sufficientia esse indicia veritatis, ut hujusmodi revelationes fide humana pie et prudenter ac sine superstitione credi et ad aedificationem a fidelibus legi possint... *c*) Post Ecclesiae hujusmodi approbationem... certe fas non est tales revelationes contemnere » [8].

493. **Errores — Veritas.** Ut praetereamus eos qui novam oeconomiam expectant [9], in ipsa christiana religione factum vel

---

[2] Billot *De Virt. Inf.* p. 247 sqq.

[3] Hebr. **11**. 6.

[4] Hebr. **1**. 1-2.

[5] Joan. **14**. 26.

[6] Becan. *De Virt. thed.* c. 2 q. 5 n. 5 sqq.

[7] S. Thom. 2-2 q. 174 a. 6 a. 3. An hujusmodi privatae revelationes ab his, quibus certo innotescunt, credi debeant fide proprie dicta, negatur a Salmant. et Valentia aliisque (apud Schiffini *De Virt.* n. 83), sed communissime affirmatur cum Suarez, Lugo, Ripalda, Billuart (apud Schif. *l. c.*), quibus adhaerent Mazzella *De Virt. Inf.* n. 490; Pesch *De Virt.* n. 241 sqq.; Groot p. 386; etc.

[8] Franz. *De Trad.* th. 22 p. 277.

[9] Supra n. 277.

possibilitatem novarum revelationum pro universa Ecclesia obtruderunt REFORMATORES, sibi vindicantes specialem Dei missionem pro fidei explicatione et diffusione [10]. **Veritas** proponitur a CONC. VATIC. quod, naturam infallibilitatis R. P. explicans, docet « Petri successoribus Spiritum S. promissum esse, (non) ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente *traditam per Apostolos revelationem* seu *fidei depositum* sancte custodirent et fideliter exponerent » [11]. Accedit condemnatio pr. MODERNISTARUM : « Revelatio, objectum fidei constituens, non fuit cum Apostolis completa » [12].

THES. 58. *Catholica revelatio in Apostolis complementum habuit.*

494. **Ex Scripturis.** Nam Christus Apostolis promisit Spiritum S., qui eos doceret *omnem veritatem* [13] : atqui haec promissio facta est Apostolis contradistinctis a successoribus, et pro objecto habet integrum revelationis thesaurum : ergo. PROB. MIN. Christum alloqui Apostolos prout a successoribus contradistinguebantur patet *ex contexu,* nam verba dirigit ad illos *a*) qui nondum acceperant Spiritum S., *b*) qui tunc portare nequibant omnem suum sermonem, *c*) qui pro modico tempore eum visuri erant [14], *d*) qui evangelium ceteris omnibus, ideoque etiam successoribus suis, annuntiare debebant [15] : atqui haec personalia erant Apostolis : ergo. *Jamvero* integrum revelationis thesaurum promitti constat *a*) *ex proprietate vocis,* nam ἡ ἀλήθεια est veritas revelata unde τὴν ἀλήθειαν πᾶσαν est complexus omnium veritatum, quarum Ecclesia est columna et firmamentum : *b*) *ex contextu,* siquidem *omnis veritas* opponitur imperfectae cognitioni revelationis, quam a Christo Apostoli acceperant : *c*) *ex fine,* siquidem revelatio fa-

---

[10] Accedunt MARIAVITAE damnati a Pio X Enc. *Tribus circiter.*

[11] CONC. VATIC. *Pastor* cp. 4.

[12] DECR. *Lament.* prop. 21.

[13] Joan. **16**. 12-5.

[14] *Adhuc multa habeo vobis dicere : sed non potestis portare modo. Cum venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem... Modicum et jam non videbitis me : et iterum modicum et videbitis me.* Joan. **16**. 12-6.

[15] *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Joan. **17**. 20. Confirmari potest ex Matth. **28**. 19-20, siquidem per successores Apostoli poterant evangelizare universo mundo doctrinam, quam ipsimet acceperant, sed non aliam dein revelatam.

cienda erat, ut *unitas fidei* existeret et appareret. CONFIRMATUR. Nam Apostoli cum prophetis dicuntur *fundamentum* Ecclesiae [16], quae omnia sua bona per illos accepit; ipsa vero non radix vel fons, sed *columna* est *et firmamentum veritatis* [17], quam proinde non invenire debet vel augere, sed explicare, *custodire* [18] atque fidelibus hominibus *commendare,* qui idonei sint alios docere [19]. **Patribus** tam nota erat haec doctrina ut in causa fidei ad *Traditionem apostolicam* semper recurrerent [20], et fidem Ecclesiae dicerent *Apostolicam* [21]. Hinc *Auct. epist.* BARNAB. affirmabat quod « regula lucis (fidei) est : custodi quae accepisti, *neque addens* quidquam *neque detrahens* » [22] : IREN. quod « vera cognitio *Apostolorum doctrina* est et antiquus Ecclesiae status » [23] : TERTUL. quod « nobis *curiositate* (ad intelligenda mysteria) opus non est post Christum ducem, nec *inquisitione* (ad novas doctrinas inveniendas) post Evangelium... hoc enim prius credimus, *nihil est quod ultra credere debeamus* » [24] : ATHAN. quod « neque nunc fides incepit, sed a Domino per *discipulos* ad nos usque pervenit » [25]. Et AUG. : «Quod admonet CYPR., ut ad fontem recurramus, i. e. ad *apostolicam Traditionem* et inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est et sine dubio faciendum » [26]. CONFIRMATUR auctoritate theologorum, hanc enim doctrinam uti certam defendunt S. THOM., CANUS, BELLAR., VALENTIA, SUAREZ, LUGO, BENED. XIV, etc. [27]. **Ratio** sumi potest *ex Apostolicitate Ecclesiae:* etenim in religione supernaturali veritates revelatae sunt principia quae naturam cultus determinant, unde ad eius statutum fundamentale pertinent; nova ergo revelatio novam religionem induceret : atqui Ecclesia est Apostolica et indefectibilis : ergo.

495. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Plura sunt dogmata nunc credenda quae non fuerunt primis Ecclesiae temporibus : ergo fidei thesaurus post Apostolorum tempora excrevit. **Resp.** Plura

---

[16] *Superaedificati super fundamentum Apostolorum et prophetarum.* Eph. **2**. 20.

[17] 1 Tim. **3**. 15.

[18] Rom. **16**. 12; Colos. **2**. 7; 1 Tim. **6**. 20; 2ª **1**. 14; **3**. 10 etc.

[19] 2 Tim. **2**. 2.

[20] Videbimus infra agentes de Traditione.

[21] IREN. *Adv. Haer.* III. 1; CLEM. Alex. *Strom.* VII; PAMPH. *Apol. c. Orig.* c. 1.

[22] Epist. BARNAB. n. 19.

[23] IREN. *Adv. Haer.* IV c. 33 n. 8; I c. 10 n. 2.

[24] TERTUL. *De Praescr.* c. 8.

[25] ATHAN. *De ep. encycl. ad epis.* n. 1.

[26] AUG. *De Bap. c. Donat.* V c. 26. Cf. alios apud FRANZ. *De Trad.* p. 273.

[27] S. THOM. 1 p. q. 1 a. 8 ad 2;

nunc sunt dogmata explicite credenda quae prius implicite tantum a fidelium universalitate credebantur *conc.;* quae neque implicite credebantur *neg.* Ut infra melius apparebit, datur progressus subiectivus in *cognitione* fidei per Ecclesiae definitiones quae dogmata non *creant,* sed *explicant* et *proponunt* fidelibus credenda.

496. **Obiic. 2.** Saltem Joan. **21.** 24 additum est Evangelio a presbytero quodam ephesino : atqui universa Scriptura ad revelationem pertinet : ergo aliqua revelatio non est apostolica. **Resp.** *Neg. supp.* Nam si duo ultimi versus scindantur a reliquis, evangelio apta clausa deest : dicendum ergo quod Joannes pluraliter loquitur, sicut « etiam **1.** 14 se suosque coapostolos pronomine *nos* comprehendit » [28]. Ceterum si alia manu illi versus fuissent additi, appositi dicendi essent ab inspirato quodam auctore, ipso Joanne vivente et approbante.

ARTIC. 2 - DE REVELATIONIS EVOLUTIONE.

497. **Evolutionismi systema.** MODERNISTAE non agnoscunt externam revelationem divina locutione determinatis personis datam, sed constituunt in interiori quodam sensu religioso, quo privata et collectiva conscientia percipit religiosas (maxime practicas) experientias sub jugi influxu Spiritus S., qui religiosum sensum excitat ac fovet [1] : atqui conscientia ratione subjecti, in quo residet, vivit et vita est motus ac progressus : ergo « doctrina christiana (quae) in suis exordiis fuit judaica, facta est per successivas evolutiones primum paulina, tum joannica, demum hellenica et universalis » [2]; ita ut « omnia in christianismo sint mutata, sententia (il pensiero) hierarchia et cultus » [3]. « Primigenia fidei forma rudis et universis hominibus communis fuit, ut quae ex ipsa hominum natura et vita oriebatur » [4], sed dein civili progressu, et sapientium impulsu, qui « novas nec ante habitas experientias sunt nacti, religiosae cuiusvis temporis indigentiae respondentes » [5], in accuratiorem formam excrevit : per Moysen quidem perveniens ad monotheismum, per Christum vero ad notionem divinae paternitatis cum expectatione regni justitiae [6], futuri post finem

---

2-2 q. 1 a. 7 ad 4; q. 174 a. 6 ad 3; CAN., BELLAR. etc. apud *Franz.* l. c. p. 274.

[28] CORNELY *Introd.* III p. 237.

[1] Supra n. 19 et 65.

[2] DECR. *Lament.* pr. 60.

[3] ANONYM. *Il Program.* p. 90.

[4] Apud PIUM X Enc. *Pascendi.*

[5] Apud PIUM X *l. c.* In *Il programma* p. 76 aiunt : « La progressiva evoluzione della dottrina cattolica è nata dalle esigenze profonde di offrire con idee riflesse il naturale sostegno all'esperienza religiosa suscitata dalla predicazione del Cristo ».

[6] LOISY *Autour* etc. p. 196; ANON. *Il Program.* p. 77.

mundi, quam tamen Christus erronee proximam aestimavit [7]. Ex tunc evolutio omnia pervasit et « dogma trinitarium, dogma christologicum et organizationem Ecclesiae » magno labore paullatim eduxit [8]. — CHRISTUS ab initio suae praedicationis ne cogitavit quidem de sua messianitate [9], divinum autem illud qualecumque, quod serius expertus est [10], ope S. Pauli et Patrum apostolicorum ex notione *filii Dei* (quam Judaei imposuerant Messiae), necnon ex *Logo* Philonis atque *herois* mithologiae [11] « pedetentim et gradatim amplificatum est ut demum pro Deo haberetur » [12]: nondum tamen dogma christologicum ad perfectionem devenerat, sed « revixit et trasformatum est a patribus platonizantibus saec. 3 et 4 » [13] per quos notio consubtantialitatis cum Patre in distinctione personae est inducta et iterum saec. 5 cum, exortis haeresibus Nestorii et Eutychetis, formula unitatis personae in duabus naturis, seu notio Dei - Hominis apparuit et conciliorum decretis confirmata est [14]. — De persona SPIRITUS S. nil sciverunt Christus et Apostoli: prima notio apparuit cum extraordinaria phaenomena (*miracula*), ex palingenesis expectatione reproducta, attributa sunt cuidam *virtuti* Dei, quae paullatim in Deum transiit, et saec. 3 facta est persona divina distincta a Patre et a Filio [15]. — « SACRAMENTA ortum habuerunt ex eo quod Apostoli eorumque successores ideam aliquam et intentionem Christi, suadentibus et moventibus circumstantiis et eventibus, interpretati sunt » [16]. Initio extitit tantum baptismus et eucharistia [17], et quidem ita ut ille non esset nisi ritus aggregationis [18], haec commemoratio mortis Christi [19]; sed baptismus saec. 3 invocationem SS. Trinitatis, Paulo ipso ignota, accepit [20] atque confirmationem et poe-

---

[7] SCHELL, *Die Weisheit Jesu* etc. apud Janssens IV p. 418 sqq.; LOISY, *L'Évang. et L'Égl.* (éd. trois.) p. 71; DECR. *Lament.* pr. 33 et 52.

[8] ANON. *Il Programma* p. 80; DECR. *Lament.* pr. 53.

[9] DECR. *Lament.* pr. 35.

[10] Apud PIUM X Enc. *Pascendi.*

[11] DECR. *Lament.* pr. 27; DUPIN *Revue d'histoire et litt. relig.* t. IX. 1906; *Il Program.* p. 80 sqq.

[12] Apud PIUM X Enc. *Pascendi.*

[13] ANON. *Il Program.* p. 10.

[14] ANON. *Il Program.* p. 45 sqq.

[15] *L. c.* p. 81-2 DUPIN *Revue d'histoire* etc.

[16] DECRET. *Lamentabili* pr. 40.

[17] LOISY *L'Évang. et l'Égl.* p. 194-204.

[18] DECR. *Lament.* pr. 42.

[19] LOISY *Autour* etc. p. 237-41.

[20] Post Patris notionem a Christo inductam « una correlazione naturale si venne fra il Padre notificato a cui si rivolge la devozione figliale dei fedeli e il Figliuolo, che è donatore di vita, e lo Spirito S. da cui germogliano le manifestazioni più salienti della nuova fede. E poichè è nel battesimo che si rivelano più luminosamente gli effetti sorprendenti e misteriosi di questa *iniziazione cristiana* si formulò *per la prima volta* l'invocazione della Triade, invocazione ignota ancora a S. Paolo ». ANON. *Il Program.* p. 82; DUPIN *l. c.*

nitentiam sibi adscivit [21] : eucharistia commemorationem absentis in realem eius praesentiam convertit [22]. Saeculis insequentibus alia sacramenta sunt addita ita ut saec. 12 numerus septenarius fuerit absolutus [23] : medio aevo nova evolutio ex philosophia aristotelica est determinata, eaque sacramenta, quae erant « memoria redemptionis »[24], formulis CONC. TRID. facta sunt causae gratiae [25]. — Nec aliter contigit de ECCLESIA. « Alienum (quippe) fuit a mente Christi Ecclesiam constituere veluti societatem super terram per longam saeculorum seriem duraturam » [26] : « Ecclesia facta est paullatim post Christi resurrectionem », ut apparet ex longa Apostolorum adhaesione ad synagogam et ex lucta Pauli contra judaizantes [27]. Ab initio sacerdotes et episcopi erant seniores supra mensam constituti, ut, pro tempore, communitati fidelium providerent [28], sed collectiva conscientia ex necessitate conservationis [29] « titulos et officia a synagoga et societatibus hellenistis mutuans, sub initio saec. 2 ad formas episcopati monarchici progressa est » [30], quousque medio aevo regimen autocraticum, Statibus ipsis imperans, induxit [31]. — Verum quod consonabat moribus medii aevi repugnat conscientiae eminenter democraticae nostrae aetatis, et ideo, nisi Ecclesia ineluctabili morti lege *atrophiae* se addicere velit, evolvi debet ac novis indigentiis conscientiisque eorum, qui religiosam vitam propius atque intimius attingunt, uniformari [32].

498. **Evolutionismi radix, media et veritas relativa.** Suprema evolutionismi RADIX est *immanentismus;* qui enim ex ipso subjecto cognoscente vult deducere omnes cognitiones non solum supernaturalitatem religionis debet negare, sed eius mutabilitatem inducere. Profecto homo non est sicut Deus immutabilis et aeternus; ipsi « existentia est motus » [33], qui connaturaliter determinatur a cir-

---

[21] DECR. *Lament.* pr. 43, 44.

[22] LOISY *Autour* etc. p. 237-41.

[23] « C'est seulement à partir du XII siècle que la tradition occidentale est fixée sur le nombre des sacrements ». LOISY *L'Évang. et l'Égl.* p. 194-204.

[24] ANON. *Il Progr.* p. 111; DECR. *Lament.* pr. 41, 63.

[25] « La tradizione cattolica è passata dalla predicazione messianica del Cristo ai Padri ellenisti del 2° secolo, ai polemisti antignostici, alle definizioni dei primi concili ecumenici, ai dottori medioevali, alla sistemazione scolastica, alle formole del Conc. di Trento ». *Il Program.* p. 23.

[26] DECRET. *Lamentabili* pr. 52.

[27] ANONYM. *Il Progr.* p. 69. Quam stulte inducatur lucta judaizantium (*Petrinorum*) contra universalistas (*Paulinos*) vidimus n. 201.

[28] DECR. *Lamentabili* 49, 50.

[29] Cf. supra n. 332.

[30] ANONYM. *Il Program.* p. 84.

[31] ANON. *Il Program.* p. 86, 122; cf. supra n. 302.

[32] Apud PIUM X Enc. *Pascendi;* ANONYM. *Il Program.* p. 9-10 et passim.

[33] ANON. *Il Program.* p. 9.

cumstantiis temporum et locorum, ex quibus vitae necessitates exurgunt [34]: revelatio ergo cum civili progressu incessabili spira perpetuo ascendet. — Porro evolutionis MEDIA alia sunt subjectiva alia obiectiva. Medium subiectivum est *fidei defiguratio* et *transformatio*. Scil. sensus religiosus non est facultas phaenomenorum perceptiva, sed impulsus animi, qui res ipsas historicas percipit in ordine ad aedificationem fidei ac proinde *aliter* ac contigerunt, *ex novo* etiam quaedam fingendo ut abstractas ideas in factis concretis appareant [35]. Media obiectiva ad duplex principium *progressus* et *conservationis* reducuntur [36]: principium *progressus* est a congenita vitae individualis et collectivae activitate, quae ex circumstantiis temporum et locorum determinatur ad formas civilis progressus scil. ad culturam scientificam et moralem ex quibus resultat medium (*l'ambiente*) cui sensus religiosus in sua evolutione conformatur [37]; principium *conservationis* est auctoritas, quae ex necessitate firmandi conceptiones plebium orta, suis definitionibus formulas elegit, quibus experientiae collectivae determinantur, et dogmata vocantur [38]. VERITAS fidei non minus quam scientiarum fixa seu absoluta non est; si enim fides est religiosa experientia respondens conditionibus temporum et locorum, his mutatis et illa mutabitur; ne ergo dicamus fidem omni veritate carere dicemus habere solam veritatem RELATIVAM ad statum culturae et ad aspirationes plebium [39], ex quo sequitur religiones omnes respective esse veras et revelatas [40].

---

[34] « È legge elementare della vita, in ogni sua espressione, che ogni organo risponda ad un bisogno vitale ed ogni esercizio di energia sia determinato da una profonda esigenza del soggetto ». *Il Program.* p. 78; p. 21, 23, 79 etc.

[35] Ex immanentismo, inquit PIUS X Enc. *Pascendi,* « duo sequuntur. Primum, quaedam phaenomeni *transfiguratio,* per elationem scil. supra veras illius conditiones, qua aptior fiat materia ad induendam divini formam, quam fides est inductura. Secundum phaenomeni ejusdem aliquapiam, sic vocare liceat, *defiguratio* inde nata quod fides illi, loci temporisque adiunctis exempto, tribuit quae reapse non habet ». ANON. *Il Program.* p. 63: « La fede è attiva ed operosa tanto nello scrittore che nel lettore, necessariamente *reagisce alla sua volta sulla storia trasformandola* in parte per renderla espressione più efficace dell'oggetto creduto ». Cf. etiam p. 68.

[36] Apud PIUM X Enc. *Pascendi.*

[37] « Il cristianesimo primitivo s'è diffuso... adattandosi alla mentalità e alla educazione spirituale di ogni regione e assimilando da ciascuna gli elementi migliori pel suo ulteriore sviluppo ». *Il Progr.* p. 80; supra nota 34.

[38] Apud PIUM X Enc. *Pascendi; Il Program.* p. 49, 73, etc.

[39] LOISY *Études bibliques* 1901 p. 38 sqq. apud PESCH *De insp. sacr. Script.* n. 365.

[40] Supra n. 27.

499. **Errores — Veritas.** Evolutionismus propositus ab HARNACK et SABATIER patronos nactus est LOISY, SCHELL, DUPIN, DIMMET, BATTAINI, MURRI, etc.[41]. **Veritas** clarissime proposita est a PIO X qui evolutionismum definivit « sophismatum coacervatio infinita, quae religionem omnem pessumdat et delet » [42].

THES. 59. *Revelationis evolutio contradicit fidei — 2 et rationi.*

500. **Prima pars.** *Evolutionismus revelationis contradicit documentis fidei.* Nam **Scriptura** testatur revelationem complementum habuisse in Apostolis, qui a Spiritu S. edocti sunt de *omni veritate,* et **Patres** non aliam agnoverunt fidem quam Apostolicam [43]: atqui fides quae evolutionismo inducitur, adversariis ipsis fatentibus, est *nova,* nec implicite contenta in doctrina apostolorum [44]: ergo. Neque juvat modernistas effugium quod Christi et Apostolorum experientiae, quasi in semine plantatae, transierunt in discipulos, in quibus suam vitam perpetuant [45]; nam *a*) ut praescindamus a pantheismi labe, quae apparet in transitu vitae Christi in discipulos, in quibus tam realiter vivere dicitur ut ei imputentur eorum actus, *b*) permanentia *principii* vitalis non identificat *actus* vitae, qui manent multi, diversi et contradictorii, si invicem, ut in casu, opponantur. *c*) Ceterum non de permanentia principii sed de perfecta identitate doctrinae agunt Scriptura et Patres testantes

---

[41] HARNACK *Précis de l'histoire des dogmes* 1893; SABATIER *Esquisse d'une philosophie de la Religion;* LOISY *La religion d'Israël; L'Évang. et l'Égl.; Autour d'un petit liv.* etc.; SCHELL *Katholische Dogmatik* apud STUDII RELIGIOSI Mag.-Giug. 1906; DIMNET *La pensée catholique* etc.; DUPIN *Revue d'histoire* etc. t. IX 1906; BATTAINI in *Coenobium* Nov. 1906, MURRI *La vita religiosa nel cristianesimo;* LE ROY *Dogme et critique.* HOUTIN *La Question biblique chez les catholiques* 1903, etc.; ANON. *Il Programma dei Modernisti.* His accesserunt nonnihil BATTIFOL *Études d'histoire* etc. 1905; FONSEGRIVE *Le catholicisme et la vie de l'esprit* 1899; BRUNETIÈR *Discours de Lille* 1900; CHAVAUTY, BIGOU, DIDIOT, GAZAGNOL apud *J. V. Bainvel.* De magisterio vivo et trad. 1905 n. 109, 110, 120.

[42] PIUS X Enc. *Pascendi.*

[43] Cf. thesim praecedentem.

[44] « Anzichè ritrovare, sia pure in germe le affermazioni dogmatiche formulate lungo il corso dei secoli dal magisterio ecclesiastico, noi abbiamo trovato una forma religiosa che amorfa e adommatica ne' suoi inizi, è venuta lentamente sviluppandosi ». *Il Program.* p. 79.

[45] Apud PIUM X Enc. *Pascendi;* ANONYM. *Il Program.* p. 76.

fidei doctrinam non evolvendam esse sed *servandam, custodiendam,* aliisque incorrupte *tradendam,* verborum *novitatibus* vitatis [46].

501. **Secunda pars.** *Revelationis evolutio contradicit rationi.* Ut enim taceamus ipsam inniti immanentismo et notionem ipsam revelationis corrumpere [47] *a*) gratuitis aedificatur assertis et inducit *b*) *relativitatem* veritatis quo nil absurdius. — *a*) Profecto qui praescriptam a saeculis sententiam de fundatione Ecclesiae et institutione sacramentorum per Christum vult impugnare atque evolutionis dogmatum phases describere certa eaque historica documenta afferre debet; sed evolutionismi historia quibus tandem monumentis firmatur? Solis hypothesibus [48], innixis *silentio* praecedentium saeculorum et *corruptioni codicum* quam « describunt, tam non dubitanter, ut suis ipsos oculis vidisse crederes scriptores singulos, qui singulis aetatibus libros sacros amplificandos admoverint manus » [49]. Verum defectus *explicite professionis* alicujus dogmatis nullatenus evincit ignorantiam ejus, tum quia pauca fragmenta priorum temporum quae supersunt, doctrinam universam in libris quae perierunt contentam non enarrant, tum quia defuit certe occasio scribendi de pluribus quae in Scripturis et Traditione habebantur, tum quia multa *implicite* credebantur, quae dein expressius et clarius magisterio Ecclesiae sunt proposita [50]. Quod vero attinet ad codicum et maxime Scripturae corruptionem « diceres profecto eos narrationum aut sermonum quosdam quasi typos praestituisse sibi, unde certissime judicent quid suo, quid alieno stet loco » [51]; sed prototypos huiusmodi undenam probant? Iterum atque iterum « tota ibi per *apriorismum* res agitur : et quidem per apriorismum haeresibus scatentem » [52]. Praesupponunt nempe ex principiis evolutionismi, quem probare simulant, non potuisse a principio claras veritates proponi sed vagas tantum et indetermi-

---

[46] *Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae.* 1 Tim. **6**. 20.

[47] Supra n. 27.

[48] Supra n. 25.

[49] PIUS X Enc. *Pascendi.*

[50] Dicemus infra agentes de subjectivo religionis progressu.

[51] PIUS X Enc. *Pascendi.*

[52] PIUS X Enc. *Pascendi. NB.* Dicunt quidem extare memoriam hujus prototypi in S. PAPIA dicente Mattheum scripsisse *sermones* Domini, sed ex usu vocis, ex contextu Eusebii a quo verba Papiae referuntur, et ex articulo τὰ λόγια CORNELY (Diss. VII § 2 n. 3) ostendit non agi de solis sermonibus sed etiam de factis, scil. de integro nostro Evangelio.

natas doctrinas; et ideo omnia dogmata manifeste expressa in scripturis vel Patrum apostolicorum operibus dicunt a posteriori manu apposita et a primis documentis removenda. « Miseret sane hominum ejusmodi de quibus Apostolus diceret: *Evanuerunt in cogitationibus suis... dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt!* » [53]. Quid crediderint primi christiani non a priori est statuendum sed a Patribus proxime insequentibus et a praxi Ecclesiae est deducendum: atqui Patres de antiquitate dogmatum saepe testantur, et Ecclesiae praxis semper fuit « nil innovetur nisi quod traditum est » [54]: ergo. — *b*) Quid vero dicendum de *relativismo* veritatis evolutionis basis et fundamentum? Profecto nisi putridum subjectivismum inducere voluerimus omnesque nostras cognitiones revocare ad phantasiae ludum, veritas non debet reponi in uniformitate cognitionis cum opinionibus temporum, sed in consonantia cum re cognita [55] quapropter cum res cognita pro sui temporis differentia immutata maneat, non minus pro fide [56], quam pro ratione [57] veritas est immutabilis. Qui pro ratione lubitum non ponit, excusabit quidem antiquos de ignorantia vel errore circa multa, quae nobis sunt nota; sed non dicet antiquis fuisse *vera* quae nobis sunt *falsa*. Quis umquam putavit Phaedri *fabulas* et *somnia mythologiae* fuisse *veritates* populis antiquis, vel tunc solem *vere* terram circuisse? Relativismus veritatis est paradoxum logicum non minus repugnans quam circulus quadratus.

502. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** « Quoniam religio vitae quaedam est forma, in vita omnino hominis reperienda

---

[53] Rom. **1**. 21-2 apud PIUM X Enc. *Pascendi*.

[54] STEPH. I Decr. *de rebapt*. Ecclesiam a novitatibus semper exhoruisse et dogmata Patrum auctoritate comprobasse iterum dicemus agentes de *Traditione*.

[55] « Cum omnis res sit vera secundum quod habet propriam formam naturae suae, necesse est quod intellectus in quantum est cognoscens, sit verus in quantum habet similitudinem rei cognitae, quae est forma ejus in quantum est cognoscens. Et propter hoc, per *conformitatem intellectus et rei* veritas definitur ». S. THOM. 1 p. q. 16 a. 2; q. 21 a. 2; 1 *Dist*. 16 q. 5 a. 1 etc.

[56] *Veritas Domini manet in aeternum* Ps. **116**. 2. *Coelum et terra transibunt verba autem mea non praeteribunt*. Matth. **24**. 35.

[57] Ne dicas etiam S. THOM. agnoscere mutabilitatem veritatis humanae; non enim loquitur de veritate *objectiva* sed de *subjectiva*, scil. « non quod ipsa (veritas) sit subiectum mutationis, sed inquantum intellectus noster mutatur de veritate in falsitatem ». 1 p. q. 16 a. 8.

est », formulaeque religiosae (dogmata) « vitales esse debent vitamque ipsam vivere sensus religiosi » [58] : atqui « existentia (vita) est motus : ergo manifestum est animae modernae, ab anima medioevali omnino dissimili, imponi non posse experientiam religiosam (fidem) eisdem formulis, quas habuit et expressit » [59]. **Resp.** Religio et dogmata subjective inspecta in fideli vivunt *trans.*, obiective considerata *neg.* Modernistae confundunt vitalitatem *actus cognitionis* cum vitalitate objecti cogniti. Fides subjective inspecta est actus assensus praestiti veritati revelatae, unde est quid vitale et immanens sicut quaevis alia cognitio, sed inde non sequitur a solo principio immanenti procedere vel vitae conditionem sequi. Sicut unus pingendi actus est a penicillo et a pictore tamquam a duabus causis inadaequatis, ita « ab utroque notitia paritur a cognoscente et cognito » [60], vitalitatem mutuans ab intellectu, repraesentationem ab objecto. Hinc si revelatio respectu intellectus, in quo recipitur, dici potest nasci proficisci et mori, prout mens obscure vel clare vel falso percipit; in se tamen seu objective inspecta immutabilis manet.

503. **Obiic. 2.** Revelatio non subsistit in se ipsa sed in intellectu recipitur : atqui quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur : ergo « veritas non est immutabilis plusquam ipse homo, quippe cum ipso in ipso et per ipsum evolvitur » [61]. **Resp.** Revelatio recipitur in intellectu tamquam in veritatis radice *neg.*, tamquam in mutabili subjecto *subd.*, quod tamen divina virtute potest firmari *conc.*, quod neque ex divina virtute infallibilitatem induere valet *neg.* Revelatio veritatem mutuatur ab intellectu divino, qui aeternus et immutabilis est : ex parte recipientis non *mutabilitatem* sed *corruptibilitatem* habere potest, prout volumina Scripturae, praxis Ecclesiae, doctorum praedicatio et fidelium cognitio, in quibus suo modo continetur, *per se* corruptioni et mutationi subjacent. Sed his creaturarum defectibus occurrit Deus infallibili magisterio Ecclesiae, quo revelatio etiam ex parte subjecti fit omnino incorruptibilis [62].

504. **Obiic. 3.** « Veritas religiosa data non est hominibus... quasi adamans incorruptibilis,... potius similis est plantae pretiosae, quae vivit et crescit, semper eadem secum ipsa sub continuo progressu » [63]. **Resp.** Veritas religiosa seu melius Ecclesia, grano sinapis comparata [64], evolvitur prout principia vitae in actum deducit exercitio bonorum operum et evangelii propagatione *conc.*, prout ipsa principia vitae, cujusmodi

---

[58] Modernistae in Enc. *Pascendi.*
[59] Anon. *Il Programma* p. 9-10.
[60] Aug. *De Trin.* IX c. 18.
[61] Decret. *Lament.* pr. 58; Loisy *Autour* etc. p. 192.
[62] Supra n. 358.
[63] Loisy *Études* apud Pesch n. 365.
[64] Matth. **13.** 31.

sunt revelatio, sacramenta et regimen evolutione mutat *neg.* Profecto, ut similitudini Loisy inhaereamus, progressus vitae non consistit in metamorphosi, qua species ipsa rei mutatur, sed in explicatione virium et exercitio facultatum : ergo etiam vita Ecclesiae non est quaerenda in mutatione eorum, quae pertinent ad suam naturam sed in exercitio virium spiritualium et socialium. Porro Ecclesia vivit vita sanctitatis communis, profectae et heroicae, Evangelii propagatione, exercitio potestatis legiferae, judiciariae et coactivae necnon subjectivo fidei progressu, quo dogmata revelata pro opportunitate speciali modo credenda proponit, et theologicis conclusionibus assimilat et thesaurizat quidquid veri et boni in scientiarum progressu invenitur.

505. **Obiic. 4.** VINC. LIRIN. dicit quod fidei dogmata sunt *triticea fidei semina,* quae in Ecclesia Dei *agricultura* evolvuntur [65] : ergo evolutio ipsa dogmata attingit. **Resp.** Dogmata evolvuntur progressu subiectivo, de quo mox dicemus, *conc.,* obiectivo *neg.* LIRINENSEM loqui de progressu fidelis in *cognitione* dogmatum ex contexu patet [66].

ARTIC. 3 - DE SUBJECTIVO REVELATIONIS PROGRESSU.

506. **Revelationis progressus multiplex.** Revelationis progressus alter *obiectivus* dicitur, alter *subiectivus:* ille consistit in proprie dicto augmento fidei, quo prioribus veritatibus aliae, ne implicite quidem in illis contentae, nova Dei locutione vel intrinseca evolutione adduntur : hic in augmento secundum quid, quo, eodem manente fidei thesauro, nostra cognitio perficitur, unde dicitur « potius profectus fidelis in fide, quam fidei in fideli » [1] : priorem supra improbavimus, alterum modo statuimus, siquidem « fas est ut prisca illa coelestis philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limitentur, *poliantur;* sed nefas est, ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur » [2]. Porro a fidei progressu, oppido secernendus est *progressus theologicus:* cum enim theologia sit scientia *conclusionum ex principiis fidei,* et ex scientiarum progressu, ex factorum eventu, et ex dogmatum comparatione *novae* conclusiones ex principiis fidei possint deduci, profecto verus et objectivus progressus theologicus haberi potest et debet [3].

---

[65] VINC. LIRIN. *Comm.* c. 25.

[66] *Civiltà Catt.* q. 1350 p. 650.

[1] ALB. M. in *III Dist.* 25 a. 1 ad 1.

[2] VINC. LIRIN. *Common.* c. 25.

[3] De hoc progressu *theologico* loquitur NEWMANN cum docet fidem vixisse per saecula assimilando quae in humanis doctrinis veri invenit; unde calumniant Ecclesiae principem Modernistae cum exhibent evolutionismi revelationis patrem. Cf. BAINVEL *De Magisterio* etc. n. 114, 155-63; *Civiltà Cattol.* 15 Sett. 1906 p. 655.

507. **Subjectivi progressus fidei causae et occasiones.** *Invisibilis causa* est gratia Spiritus S., qui tempore opportuno, quae initio docuit, ad communem deducit notitiam: *instrumentalis* et *visibilis* est magisterium Ecclesiae, quae veritatum revelatarum non solum testis est sed interpres et magistra. Praecipuae *occasiones* sunt controversiae exortae, errores, haereses; qui enim depositum custodit meliorem occasionem non habet manifestandi veritatem, quam cum in dubium vocatur vel aggreditur. Hinc AUG.: « Multa quidem ad fidem catholicam pertinentia, dum haereticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et *considerantur diligentius,* et *intelliguntur clarius,* et *instantius praedicantur;* et ab adversario mota quaestio, discendi extitit occasio » [4]. Aliae *occasiones* sunt progressus scientiarum, privatae revelationes, novi actus cultus, etc., quibus theologorum attentio et solicitudo Ecclesiae excitatur ad explicanda dogmata, ut contigit v. g. de culto SS. Cordis.

508. **De canone Vincentii Lirinensis.** « In... catholica Ecclesia, inquit LIRIN., magnopere curandum est, ut id teneamus quod *ubique,* quod *semper,* quod ab *omnibus* creditum est. Hoc est enim vere proprieque catholicum... Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem » [5]. Porro si canon *in se ipso* accipitur, verus est sensu *positivo,* prout doctrina communi consensu Patrum proposita uti de fide credenda, vere fidei dogma constituit; verus etiam est sensu *negativo* quatenus doctrina, quae ne implicite quidem primis temporibus est credita, ad fidem pertinere non potest; sed falsus est sensu *exclusivo* quasi nullum dogma definiri queat quod explicite a Patribus non fuerit propositum. Si consideratur *in sensu auctoris,* Vinc. Lirinensis tradit regulam *positivo - polemicam* ad quaestiones fidei solvendas, scil. vult ut, suborta quaestione fidei, praeprimis consulatur *Traditio* sive praesens, sive antiqua, nec quidquam statuatur quod illi contradicat. « Si sensus regulae in contextu commonitorii quaeratur, inquit FRANZ., nihil aliud exhibetur, quam duplex nota, utravis sufficiens ad dignoscendam *antiquitatem absolutam* seu *apostolicitatem* doctrinae, consensus videlicet praesens Ecclesiae et consensus antiquitatis relativae existens ante exortam controversiam » [6].

509. **Errores — Veritas.** *Defectu* omnem fidei subjectivum progressum impugnarunt GALLICANI et JANSENISTAE negantes Ecclesiae potestatem definiendi dogma de quo aliquando dubitatum

---

[4] AUG. *De Civ. Dei* XVI c. 2 n. 1; *in Ps.* **54** n. 22; *Conf.* VII c. 19 n. 2; ATHAN. *Decr. conc. Nic.* 32; HIL. *De Trin.* II n. 1-2; CONC. CALC. apud *Franz.* De Trad. p. 299.

[5] VINC. LIRIN. *Common.* c. 3.

[6] FRANZ. *De Trad.* th. 29 p. 289.

est [7]: *excessu* erravit GÜNTHER progressum cognitionis fidei explicans per mutationem *sensus* verborum quibus dogma exprimitur [8] et FROSCHAMMER ac ROSMINI autumantes mysteria philosophicis inquisitionibus posse scrutari [9]. **Veritas** definita est in CONC. VATIC. quod de *fidei progressu* ait: « Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum quam omnium... intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in *eodem scil. dogmate,* eodem sensu, eademque sententia » [10]: de *immutabilitate sensus:* « S. q. d. fieri posse, ut, dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae, sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia, a. s. » [11]: de *inscrutabilitate mysteriorum:* « S. q. d., in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, a. s. » [12].

THES. 60. *Subjectivus progressus fidei — 1 non consistit in mutatione sensus dogmatum, — 2 neque in mysteriorum comprehensione, sed — 3 in eo quod veritas fidei instantius, clarius et magis explicite proponatur atque theologicis conclusionibus illustretur.*

510. **Prima pars.** *Subiectivus progressus fidei non consistit in mutatione sensus dogmatum.* Nam mutatio supponit corruptionem praecedentis et productionem sequentis: si ergo mutaretur sensus dogmatum prior fidei cognitio manifestaretur falsa, et nova in priori ne implicite quidem contenta crederetur: atqui primum repugnat infallibilitati Ecclesiae, alterum contradicit doctrinae de revelatione completa in Apostolis: ergo. Neque dicas mutationem fieri non in dogmate sed in sensu verborum quibus innotescit; verba enim sunt signa *conventionalia* conceptuum, unde dicunt or-

---

[7] Huc venit etiam secta VETERUM-CATHOLICORUM. Cf. n. 462.

[8] GÜNTHER *Prop. ed.* t. 2 p. 259 sqq.; *Aurorae aust. et bor.* p. 260; *Lydia* p. 94. Eadem repetunt MODERNISTAE *Decret. Lament.* pr. 62; in *Il Program.* p. 105.

[9] FROSCHAMMER *Intr. in philos.; De libert. scient.;* ROSMINI in pr. 25 *Post obitum.*

[10] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 4; cn. 1; PIUS IX Litt. ad ep. *Monach.*

[11] CONC. VATIC. *Dei Filius* § 4 cn. 3; CONC. TRID. sess. 4; DECR. LAM. pr. 58.

[12] CONC. VATIC. *Dei Filius* § 4 cn. 1; cp. 4; PIUS *IX* Enc. *Qui pluribus;* SYLL. pr. 5.

dinem transcendentalem ad illos qui ea adhibuerunt [13] et quorum conceptus immutabiliter referunt etiamsi successu temporis novae significationes antiquis vocibus apponantur. Hinc sensus verborum Scripturae, Conciliorum et Patrum ille immutabiliter manet, quem Hagiographi, RR. PP. et Patres tribuerunt, quique agnoscitur scriptis illiusmet aetatis, regulis interpretationis, et testimonio antiquorum.

511. **Secunda pars.** *Subjectivus progressus fidei non consistit in mysteriorum comprehensione.* Nam mysteriorum comprehensio eorum est evacuatio, siquidem fides est *argumentum non apparentium* [14] : atqui progressus non consistit in destructione : ergo. Ceterum mysterium provenit ex *improportione intellectus* ad veritatem supernaturalem et ex *defectu medii in quo* agnoscatur [15] : atqui studio intellectus perficitur sed non transmutatur, analogica vero cognitio in propriam non ducit : ergo.

512. **Tertia pars.** *Progreditur Ecclesia in cognitione fidei cum dogmata instantius, clarius et magis explicite proponuntur.* His modis subjectivum progressum fidei haberi est manifestum; progreditur enim cognitio veritatis, cum firmius tenetur vel sub propria ratione attingitur et a ceteris distinguitur : atqui primum contingit cum dogma *instantius proponitur* a legitima auctoritate, alterum cum *clarius enuntiatur* vel *explicite* (h. e. sub sua propria formalitate) *docetur* ab infallibili magisterio : ergo. Quod autem his tribus modis Ecclesia processu temporis fidei dogmata proponat, non est dubium. Profecto si non agitur de dogmate, cujus cognitio est de necessitate medii ad salutem, ejus *ignorantia* aliquando potest tolerari, imo debet; sed *negatio veritatis* est intrinsece mala nec potest permitti. Merito ergo ante haeresum propagationem dogmata quaedam Ecclesia non proponit ab omnibus explicite credenda; sed cum perversi homines fidei depositum aggrediuntur, *instanti propositione* veritatem defendit ac tuetur, quemadmodum v. g. fecit de *Christi divinitate* exorta haeresi ariana, et de eius *humanitate* exorta haeresi eutychiana. Similiter obscura plurima esse in fide non negabit, qui noscit in epistolis Pauli adesse *quae-*

---

[13] « Verba, inquit AUG. *De Doct. Christ.* II c. 3, inter homines obtinuerunt principatum significandi quaecumque animo concipiuntur ».

[14] Hebr. **11.** 1.

[15] Supra n. 71.

dam difficilia intellectu: haec itaque tempore opportuno Ecclesia proponet, quemadmodum fecit in quaestione de *baptismo parvulorum,* de *validitate sacramentorum ab haereticis collatorum,* necnon de *natura primatus R. P.* Tandem una doctrina revelata plurimas implicite continet; poterit itaque Ecclesia declarare in revelatione has contineri atque a fidelibus esse credendas quemadmodum fecit in quaestione de *necessitate gratiae* ad initium fidei, contenta in doctrina de impotentia naturae ad opera salutaria, et in quaestione de dogmate *Immaculatae Conceptionis* quae in doctrina de omnimoda sanctitate B. V. M. habebatur.

513. **SOLVITUR DIFFICULTAS. Obiic.** Progressu subjectivo nova dogmata adstruuntur, quae primitus non credebantur: ergo etiam progressu subjectivo mutatur fides. **Resp.:** Adstruuntur nova dogmata, quae prius nullatenus credebantur *neg.*, quae non credebantur explicite *conc.* Etsi ante Ecclesiae propositionem dogmata, dein definita, dici non poterant de fide divino-catholica, et salva fide poterant impugnari, tamen in revelatione continebantur et implicite semper et ab omnibus catholicis sunt credita [16].

CAPUT II.

De sacra Scriptura.

514. **Divisio capitis.** De sacra Scriptura diversimode agit exegeta et theologus: ille, praesupposita natura sacri voluminis, de codicis genuinitate et verborum sensu solicitus, methodo historica disserit de Scripturarum *canone,* de *textibus* primigeniis et derivatis *versionibus,* necnon de *auctore, tempore, fine* et *argumento* unjuscuiusque libri, sicut etiam de multiplici Scripturae *sensu* et de *regulis quibus catholica interpretatio* regitur; hic Scripturam habet uti revelationis fontem, unde eius originem investigans de natura inspirationis quaerit. Hoc altero sensu quaestionem tractantes — 1 praemissis quibusdam *notionibus,* agemus — 2 *De inspirationis existentia* — 3 *De eius natura,* — 4 *De extensione* et — 5 consequenti *inerrantia,* quaedam addentes — 6 *De Scripturarum codice et interpretatione.*

---

[16] Supra n. 217.

Artic. 1 - Notiones praeviae.

515. **Quid sacra Scriptura.** Libri Veteris et Novi Testamenti, qui ab Ecclesia uti inspirati et divini recipiuntur, vocantur *Scriptura* vel *Libri* (τὰ βιβλία) per antonomasiam, quia prae ceteris assequuntur scripturarum finem, qui est eruditio; quippe a Deo inspirati doctrinam continent, quae *utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus* [1]: vocantur autem *sacra* Scriptura « primo quidem quia a Spiritu S. sunt inspirati, secundo quia sancta continent, tertio quia sanctificant » [2].

516. **Duplex Scripturae sensus.** « Manifestatio alicujus veritatis, inquit S. Thom., potest fieri *rebus* et *verbis*, in quantum scil. verba significant res, et una res potest esse figura alterius. Auctor autem rerum Deus, non solum potest verba accomodare ad aliquid significandum, sed etiam potest res disponere in figuram alterius; et secundum hoc in S. Scriptura manifestatur veritas dupliciter: uno modo secundum quod res significantur per verba et in hoc consistit *sensus litteralis*, alio modo secundum quod res sunt figurae et in hoc consistit *sensus spiritualis* » [3], qui dicitur etiam *typicus*.

517. **De Scripturae excellentia et utilitate.** Etsi nulla fuerit absoluta necessitas Scripturae, siquidem divina revelatio sola Traditione innotescere poterat, tamen ipsa maximum donum Dei est, et in praesenti oeconomia moraliter necessaria fuit; *primo* quidem « ut Scriptura esset in adiutorium magisterio (Ecclesiae), velut medium conservationis dogmatum revelatorum et depositorium dives e quo in fidei praedicatione doctrina promeretur »: *secundo* « quia non sola dogmata seu articuli fidei erant conservanda, sed ea quoque omnia, quae ad eorum manifestationem faciunt, ut sunt prophetiae, historiae, figurae, exempla » etc., quae sola Traditione immutata usque ad finem mundi devenire difficillime poterant: *tertio* « ut haberet Ecclesia divinas commonitiones, consolationes, promissiones, suggestiones non tantum per interpositos relatores et praecones, sed etiam velut immediate de ipsius Dei ore acceptas » [4]. Hinc Patres « numquam cessarunt in divinis Litteris

---

[1] 2 Tim. **3**. 16.

[2] S. Thom. *Rom.* **1**. 2. lec. 2; Cornely *Introd. in Sacr. Script.* Diss. 1 § 1 n. 1.

[3] S. Thom. *Quodl. VII* q. 6 a 14.

[4] Billot *De Eccl.* II p. 44-5.

earumque fructibus collaudandis. Eas enimvero crebris locis appellant vel thesaurum locupletissimum doctrinarum coelestium [5], vel perennes fontes salutis [6], vel ita proponunt quasi prata fertilia et amoenissimos hortos, in quibus grex dominicus admirabili modo reficiatur et delectetur [7]. Apte cadunt illa HIER...: « Divinas Scripturas saepius lege, imo numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur; disce quod doceas... *sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit* » [8]; convenitque sententia GREG. M... « Necesse est ut qui officium praedicationis excubant, a sacrae lectionis studio non recedant » [9].

518. **Dogmatis inspirationis historia.** Scripturam a JUDAEIS uti *opus divinum* esse habitam, ac, testimonio prophetico susceptam, tam reverenter tractatam ut parati fuerint mori potius quam quidquam eidem addere vel demere testatur JOS. FLAVIUS [10], et docet historia canonis, siquidem Moyses, Pentateucho exarato, quasi rem sacram reposuit in arca [11], eique Josue suum librum addidit [12], et similiter prophetae, ita ut Nehemias integrum canonem Palestinensem colligere potuerit [13]. Judaeorum sententia non semel confirmarunt CHRISTUS et APOSTOLI ad Scripturam, tamquam ad divinum testimonium miraculis non inferius [14], auditores suos remittendo, inde etiam tamquam ex firmiori [15] et infallibili [16] sermone supernaturales doctrinas probando. PATRES **saec. 1** et **2** inspirationis factum sub ratione divini auctoris, cuius hagiographi fuerunt instrumenta, saepe testarunt [17]. **Saec. 3** MONTANISTAE errorem Philonis, qui inspirationem cum obsessione confuderat, renovantes, occasionem praebuerunt Patribus intimius scrutandi *naturam* inspirationis, quam declararunt mentem *illuminare* et voluntatem *corroborare* [18]. **Saec. 4** et sqq. contra JULIANI apostatae et pa-

---

[5] CHRYS. *in Gen.* hom. 21 n. 2; hom. 60 n. 3; AUG. *De disc. chr.* n. 2.

[6] ATHAN. *Epist. fest.* n. 39.

[7] AUG. *serm.* 26 n. 24; AMBR. *in Ps.* **118** serm. 19 n. 2.

[8] HIER. *De vita cler. ad Nepot.*

[9] GREG. M. *Reg. past.* c. 2 n. 11; *Moral.* XVIII c. 26; LEO XIII *Provid. Deus.*

[10] J. FLAV. *Cont. App.* I n. 8 apud CORNELY *Intr. in sacr. Script.* Diss. I § 3 n. 2.

[11] Deut. **31**. 24 sqq.

[12] Jos. **24**. 26.

[13] CORNELY *l. c.* § 3 n. 1-2; FRANZ. *De Trad. et Script.* p. 317.

[14] Matth. **4**. 4; 7; 10; **15**. 4; 7; **22**. 43, etc. Act. **1**. 16; **28**. 25; Hebr. **10**. 15-6.

[15] 2 Petr. **1**. 17-9.

[16] Nam phrasi *Scriptura dicit* vel *scriptum est* inducitur semper auctoritas irrefragabilis, ut videre est in universa Scriptura et maxime in epistolis S. Pauli.

[17] CLEM. Rom. 1 *Corinth.* n. 45; *Epist.* BARNAB. c. 2 n. 4 sqq.; JUST. M. *Apol.* I c. 36; *Cohor. ad graec.* n. 8; ATHENAG. *Leg. pro christ.* n. 9; ORIG. *De princ.* IV c. 6; HIPPOL. *De Christo et antich.* c. 2; etc.

[18] ORIG. *De princ.* III 4; EUSEB. *His. Eccl.* V. 16-17; EPIPH. *Adv. haer.* 48 n. 2-15; HIER. *in Ezech.* **21**. 24; etc.

ganorum irrisiones Patrum solicitudo ad *omnimodam veritatem* Scripturae tuendam conversa est, et ad difficultates solvendas proposuerunt originalium textuum collationem, studium contextus necnon distinctionem inter sensum proprium et metaphoricum; animadvertentes ad sensum allegoricum non esse trahendum testimonium, quod historicum prae se fert, siquidem « nos in nostrae religionis historia fulti auctoritate divina, quidquid ei resistit, non dubitamus esse falsissimum, quomodolibet se habeant cetera in saecularibus litteris »[19]. **Saec. 12-15** SCOLASTICI sicut cetera, ita et inspirationis *dogma illustrarunt*. Eorum princeps S. THOMAS[20] inspirationem dixit *charisma* spirituale *per modum actus*[21] receptum in hagiographo. Inspiratio, quin mentem perturbet[22], infusione luminis[23] firmat in cognitione veritatis[24] et voluntatem movet « per instinctum », unde « lingua hominis se habet in S. Scriptura sicut lingua pueri dicentis verba, quae alius ministrat »[25]. Porro inspiratio non *verbalis* est sed *realis*, ut patet ex styli differentia[26], nec illi obstant *metaphorae* vel *vulgares locutiones*, siquidem « convenit... ut spiritualia sub sensibilibus corporalium proponantur, ut saltem vel sic rudes eam capiant »[27] unde et « Moyses, rudi populo condescendens, secutus est quae sensibiliter apparent »[28]. **Saec. 16** PROTESTANTES, Ecclesiae magisterio in Scripturarum interpretatione sublato[29], plurimos libros de canone expulerunt[30]: inde necessitas tuendi *integritatem* Scripturarum quae firmata est in CONC. TRID. docente sacros et canonicos ac proinde inspiratos eos habendos esse libros « integros cum omnibus suis partibus », qui in Ecclesia legi consueverunt et in Vulgata recensentur[31]. Post. Conc. Trid. et maxime **sae-**

[19] AUG. *De Civit. Dei* XVIII 40; JUST. M. *Dial. c. Tryph.* n. 65; EUSEB. *in Ps.* **31** n. 1; HIPP. *In Dan.* **3**. 8; EUST. *De Engastrimytho;* EPHREM apud *Pesch* De insp. S. Scr. n. 101-4; BASIL. M. *In Exaem.* IX 1; AMBR. *in Luc.* **10**. n. 171; HIER. *ep.* 46 n. 6; etc.

[20] Citamus S. THOM., sed similia inveniri possunt apud ALBER. M. *Sum. theol.* p. 1 q. 5 m. 2; ALEX. ALENS. *Prael. sum. theol.;* BONAV. *Breviloquium;* SCOT. *Prol. in 1 Sent.* q. 2 n. 3; AEGID. Rom. *I Dist.* 2 q. 1 a. 1; RICARD. Arim. *Sum.* XIX a. 19; etc.

[21] S. THOM. 2-2 q. 171 a. 1; 173 a. 4; *De Verit.* 12 a. 1.

[22] S. THOM. 2-2 q. 172 a. 3 et 4; *De Verit.* q. 12 a. 4.

[23] S. THOM. *De Verit.* q. 12 a. 9; ad 3.

[24] S. THOM. 2-2 q. 174 a. 2 ad 3; 3 p. q. 60 a. 5 ad 1; *De Verit.* q. 12 a. 12.

[25] S. THOM. Prooem. *in Psalmos.*

[26] S. THOM. 2-2 q. 176 a. 1 ad 1. Prol. in *Hebr.*

[27] S. THOM. 1 p. q. 1 a. 9.

[28] S. THOM. 1 p. q. 70 a. 1 ad 3; q. 67 a. 4.

[29] Supra n. 344.

[30] Jam LUTHER. e canone expulit *Pentat. Eccle. Eccli., Esther, Mach.* epist. *Jacobi* et *Apoc.* Cf. PESCH *l. c.* n. 211.

[31] CONC. TRID. Sess. 4 *De can. Script.*

culo 18 bellum exarsit de intima natura inspirationis [32]. RATIONALISTAE inspirationem reduxerunt ad merum personalem impulsum [33], et quidam e catholicis habuerunt pro simplici approbatione Dei vel Ecclesiae, aut pro speciali providentia qua praecaverentur errores [34]. Lis est finita in CONC. VATIC. quo sententia de sola extrinseca Scripturae approbatione est damnata et inspiratio talis efficacitatis est declarata ut per ipsam Deus habeatur verus *Scripturae auctor* [35]. Soluta quaestione de natura inspirationis, sub fine **saec. 19** alia de *extensione* apparuit, nec defuerunt inter catholicos ipsos qui, inspirationem ad res fidei et morum coarctantes, dicerent in rebus historicis et physicis errores non repugnare imo et adesse [36]. Novus error proscriptus est a LEONE XIII qui inspirationem *totius* Scripturae eiusque *omnimodam veritatem* Enc. *Providentissimus Deus,* tuitus est [37]. Hac encyclica causa finita est, sed error initio **saec. 20** revixit systemate modernistarum. Immanentismi et evolutionismi principia Scripturae applicantes eam dixerunt « syllogen *experientiarum,...* extraordinariarum atque insignium, quae in quapiam religione sunt habitae » [38]; quaeque in fidelibus viventes, fidei defiguratione et transformatione iuxta temporum opiniones sunt auctae et mutatae [39]. Modernistis inspiratio « ab impulsione illa, nisi

---

[32] Commemorandi essent labores perutiles saec. 16 et 17 quoad lectiones codicum originalium et historicas quaestiones, sed, quia dogma *inspirationis* non attingunt, praetermittimus. Cf. CORNELY *Intr. in Sacr. Script.* Diss. III § 15 et 16.

[33] SPINOZA, J. SEMLER, KANT, WEGSCHEIDER, SCHLEIERMACHER, ROTHE, HOFMANN, CREMER, LUTHARD. etc. apud *Pesch* n. 232 sqq.

[34] HOLDEN *Analy. Fidei,* cui tantisper adhaeserunt D. B. HANEBERG inspirationem constituit in approbatione Ecclesiae; BRONFERIUS (apud *Cornely* De div. Sacr. Script. insp. n. 3) in approbatione Spiritus S.; PH. M. CHRISMANN (apud *Schif.* Div. Scrip. n. 38) et JAHN (apud *Pesch* n. 325) in assistentia Spiritus S. quo praecaventur errores.

[35] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 2.

[36] Fr. LENORMANT *Les orig. de l'histor. d'après la Bibl. et les trad. de peupl. orient.* inspirationem coarctavit ad res fidei et morum; NEWMANN *Quidnam obligatorie credendum est viro cath. circa inspir. can. Script.* 1884 exclusit obiter dicta. Similia docuerunt SALV. Di BART. *I crit. teol.;* D' HULTS *La question Biblique.* Cf. PESCH n. 336 sqq.; SCHIFFINI n. 37 sqq.

[37] Enc. *Prov. Deus* 18 Nov. 1903.

[38] Apud PIUM X Enc. *Pascendi.* Inspiratio, dicunt in *Il Program.* p. 39-40, non consistit «in una meccanica trasmissione della parola o dell'idea da Dio all'uomo, ma in una vitale concezione della parola insieme e dell'idea per opera dell'uomo unito però in una maniera speciale e soprannaturale a Dio, il quale così nell'uomo e per mezzo dell'uomo ha elevato a gradi sempre superiori di religiosità il popolo d'Israele ».

[39] MODERNISTAE docent « non posse libros sacros iis auctoribus tribui, qui-

forte vehementia, nequaquam secernitur, qua credens ad fidem suam verbo scriptore aperiendam adigitur » [40]. Porro « in sacris libris plurima in re scientifica vel historica errore afficiuntur » [41] nec mirum, siquidem religioni et moribus non contradicunt et relativa, quae tantum possibilis est, gaudent veritate [42]. Inspirationis naturam contra Modernistas defendit PIUS X plures propositiones damnando Decr. *Lamentabili,* et integrum systema proscribendo Enc. *Pascendi* [43].

ARTIC. 2 - DE INSPIRATIONIS EXISTENTIA.

519. **Quid divina inspiratio.** Penitiorem inspirationis naturam in sequenti articulo explicabimus, de generica ejus notione notat S. THOM. quod « *inspiratio* significat quamdam motionem ab exteriori. Est enim considerandum quod in homine est duplex principium movens: unum quidem interius quod est ratio; aliud exterius quod est Deus » [1]. Scripturae itaque inspiratio est quidam supernaturalis influxus Dei receptus in homine, quo ipse efficaciter movetur ad scribendum. Quod latina vocis etymologia indicat, graeca confirmat; quamvis enim vox θεόπνευστος per se sensu activo (*spirans Deum*) vel passivo (*a Deo inspiratus*) possit transferri, attento tamen usu atque inspectis similibus vocibus, sensus passivus retinendus est, « unde mirum non est, quod lexicographi et grammatici sine haesitatione vertant *a Deo inspiratus* » [2].

520. **Quis auctor principalis Scripturae.** Ex notione inspirationis sequitur ratio *principalis auctoris* ejus. Profecto *auctor* « proprie significat eum qui *auget* sive *gignit* et *producit*... Translate est qui rem aliquam reperit, instituit aut fecit primus, *fundatore, principio, inventore* » [3]: Scripturae itaque auctor est ejus causa

---

bus reapsae inscribuntur... (sed) crevisse gradatim accessionibus, interpositionibus nempe in modum interpretationis sive theologicae sive allegoricae, vel etiam insectis ad diversa solummodo inter se jungenda » Enc. *Pascendi;* DECR. *Lament.* pr. 13; *Il Progr.* 27 sqq.; 56 sqq.

[40] Apud PIUM X Enc. *Pascendi.*

[41] *L. c.;* DECR. *Lam.* 23; *Il Program.* p. 35 sqq. 44 sqq.; LOISY *Études bibliques* 1901 etc.; SALV. DI BARTOLO *I Criteri teol.*

[42] LOISY *Études Bibl.* p. 7 sqq. apud Pesch n. 363.

[43] DECR. *Lament.* 3 Julii 1907; Enc. *Pascendi* 8 Sept. 1907.

[1] S. THOM. 1-2 q. 68 a. 1.

[2] WINER-MOULTON apud *Pesch* n. 4.

[3] FORCELLINI in *h. v.;* SCHIFFINI n. 23 et 25.

efficiens : unde, si Deus sine hominum concursu sacros libros exarasset, non diceretur *principalis* sed unicus auctor Scripturae ; sed Deus socios, ut ita dicam, sumpsit hagiographos et quidem ita ut « non puri amanuenses vel secretarii, multo minus instrumenta usu rationis carentia fuerint ; sed ipsi mente conceperint librum scribendum, ipsi voluerint hunc librum scribere et hoc suum consilium deliberate executioni mandarint » [4] : inde necessitas distinguendi inter auctorem principalem et instrumentalem Scripturae. Porro causa *principalis* dicitur quae sua virtute attingit effectum, *instrumentalis* quae, licet aliquid praestet de suo, operatur tamen sub influxu et motione alterius, cui opus imputatur [5] : Deus ergo dicetur auctor principalis Scripturae, si sua inspiratione sic movet hagiographum ad scribendum ut Scripturae doctrina ipsi imputetur.

521. **Errores — Veritas.** Inspirationem seu divinam originem Scripturae negaverunt RATIONALISTAE vel simpliciter dicentes cum SPINOZA cognitionem propheticam sola vividiori imaginatione differre a communi [6] ; vel cum WEGSCHEIDER reducentes ad auxilium Dei quo quisque *proprias religiosas sententias* depromit [7]. Accedunt MODERNISTAE quibus Scripturae inspiratio est quid simile aestro poëtico [8], quo « scriptores israëlitae religiosas doctrinas sub peculiari quodam aspectu, gentibus parum noto aut ignoto, tradiderunt » [9], unde dicunt « nimiam simplicitatem aut ignorantiam prae se ferre qui Deum credunt vere esse Scripturae auctorem » [10]. **Veritas** definita est in CONC. FLOR. testante quod Ecclesia « Deum V. et N. T. profitetur auctorem, quoniam, eodem Spiritu S. inspirante utriusque Testamenti sancti locuti sunt », et iterum in TRID. profitente se suscipere « omnes libros tam V. quam N. T., cum utriusque unus Deus sit auctor » [11].

THES. 61. *Deum hagiographos inspirasse ac proinde vere*

---

[4] PESCH n. 403 ; BILLOT *De insp. Sacr. Script.* p. 52.

[5] S. THOM. 1 p. q. 45 a. 5 ; 3 p. q. 62 a. 1 ad 2.

[6] Apud *Pesch.* n. 30-2.

[7] Apud *Pesch* n. 235.

[8] Apud PIUM X Enc. *Pascendi.*

[9] DECRET. *Lamentabili* pr. 10.

[10] DECR. *Lament.* pr. 9.

[11] CONC. FLOR. Decr. *pro Jacob.* ; TRID. Sess. 4 *De can. Script.* Huc venit DECRET. *Lament.* pr. 9 : « Nimiam simplicitatem aut ignorantiam prae se ferunt qui Deum credunt vere esse Scripturae sacrae auctorem ».

esse Scripturae principalem auctorem docet — 1 *Scriptura,* — 2 *testantur Patres et* — 3 *suadet ratio.*

522. **Prima pars.** *Inspiratio Scripturae ex Scripturis testimonio evincitur*[12]. **Argum. 1.** *ex Scripturarum complexu.* Nam, ut supra innuimus, Sacrae Litterae testimonium Scripturae habent supremum[13], quod *non potest solvi*[14], miraculorum argumento non inferius[15]; cujus hagiographi non sunt causa adaequata[16], siquidem Spiritus S. locutus est per eos[17]; quare Scripturam tamquam Deum ipsum loquentem inducunt[18]: atqui haec Deum Scripturae auctorem exhibent: ergo. **Argum. 2.** *Ex Tim.* **3.** *16-7. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Profecto in hoc testimonio attributum *divinitus inspirata* importat supernaturale Dei influxum, qua Scriptura fit opus divinum: atqui Scriptura, de qua Paulus loquitur est codex librorum sacrorum, qui vulgo dicitur Biblia: ergo. PROB. MAJOR. *a*) *Ex ipsa voce graeca* θεόπνευστος (a Θεός et πνέω) quae, licet « hoc solo in loco Scripturae

---

[12] Attendas in praesenti nos arguere ex Scripturis prout, *historice verae* (n. 135 sqq.), referunt testimonia Christi et Apostolorum quorum *scientiam* et *veracitatem* alias (n. 151) evincimus. Hinc nullus circulus vitiosus.

[13] *Scrutamini Scripturas..., illae sunt quae testimonium perhibent de me.* Joan. **5.** 39. *Ostendens per Scripturas esse C. J.* Act. **18.** 28. Ceterum semper inducitur Scriptura uti ex sese rem evincens. Matth. **4.** 4, 7, 10; **15.** 4, 7; **22.** 43; etc.

[14] Joan. **10.** 35.

[15] Sic CHRISTUS ut legatis Joan. Bapt. suam messianitatem ostenderet, miraculis conjunxit testimonium Isaiae (Luc. **21**-3), et Judaeis testimonio operum (scil. miraculorum) testimonium Scripturae addidit (Joan. **5.** 36-9): PETRUS vero testimonium prophetarum dicit *firmiorem* comparando voci in monte de coelo allata 1 Petr. **1.** 17-9.

[16] *Scripsit Baruch ex ore Jeremiae omnes sermones Domini.* Jerem. **36.** 3. *Ne audirent legem et verba quae misit Dominus exercituum in spiritu suo* PER MANUS *prophetarum priorum.* Zach. **7.** 12. Cf. 2 Reg. **23.** 1 sqq.; Isai. **34.** 16; etc.

[17] *David* IN SPIRITU *vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo.* Matth. **22.** 43-4. *Oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus S. per os David.* Act. **1.** 16. *Deus praenuntiavit per os omnium prophetarum.* Act. **3.** 18. *Spiritus S. locutus est per Isaiam.* Act. **28.** 25; etc.

[18] *Contestatur autem nos et Spiritus S. Postquam enim dixit: Hoc testamentum* etc. Hebr. **10.** 15-6 coll. Jer. **31.** 33. *Providens autem Scriptura* (scil. Deus per Scripturam. Cornely in *h. l.*)... *praenuntiavit Abrahae: Quia benedicentur in te omnes gentes.* Gal. **3.** 8; etc.

reperiatur, vi etymologiae suae et usu suo apud profanos [19] significat illud, quod *ex instinctu afflatuque divino fit,* aut si de hominibus praedicatur, docet eos ex instinctu afflatuque Dei agere, ita ut ea, quae agunt, ad Deum principem sint referenda » [20]. *b*) *Ex contextu,* nam ex divina inspiratione Apostolus deducit supernaturalem utilitatem, quae ratione ipsius originis competit Scripturae : atqui spiritualis utilitas ex *solo Deo* gratiae auctore esse potest : ergo. PROB. MIN. Nam sive cum Vulgata facias θεόπνευστος attributum (*divinitus inspirata*) vel appositionem (*quae est divinitus inspirata*), sive juxta graecum et codic. *Fuld.* et *Amiat.* facias praedicatum (*est inspirata et utilis*), habes inspirationem esse proprietatem Scripturae : atqui Scriptura, de qua loquebatur Apostolus, non erat abstracta vel hypothetica, quae hominem perficere non valebat, sed existens, scil. quae communiter dicebatur Scriptura et ab ipso saepisissime in testimonium erat adducta [21], atque Timotheus didicerat ab infantia [22], nempe Biblia : ergo. **Argum. 3.** *Ex 2 Petr.* **1.** *19-21. Habemus propheticum sermonem : cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti... : hoc primum intelligentes quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia : sed Spiritu S. inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* In hoc testimonio Petrum loqui de SCRIPTURA constat *a*) ex verbis *prophetia Scripturae,* quae praedictiones de Christo reduplicative scriptas in Biblia signant, *b*) ex praecepto *attendendi* eis, h. e. diligenter eas legendi et scrutandi [23], et *c*) ex aperto *parallelismo* cum verbis Christi *scrutamini Scripturas... illae sunt, quae testimonium peribent de me* [24]. Porro Petrum DIVINAM INSPIRATIONEM tribuere Scripturae, patet : *a*) *ex ipsis verbis,* siquidem dicit quod hagiographi locuti sunt ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι (*a Spiritu Sancto acti et moti*) scil. sub impulsu divino : *b*) *ex contextu,* nam

---

[19] PHIL. *De Plac. phil.* 5 n. 2 habet οἱ ὄνειροι οἱ θεόπνευστοι *somnia divinitus inspirata.*

[20] CORNELY *De div. ins.* n. 2.

[21] Rom. **1**. 2; **4**. 3; **9**. 17; **10**. 8, 11; **11**. 2; **15**. 4; **16**. 26; Gal. **3**. 8, 22; **4**. 30; 1 Tim. **5**. 8; etc.

[22] 2 Tim. **3**. 15.

[23] A Lapide in *h. l.*

[24] Joan. **5**. 39. Non obstat quod Petrus has prophetias vocet *sermonem,* quem *locuti sunt* prophetae; communissime enim locutio dicitur de scriptis et tali sensu adhibetur etiam in Scripturis, uti videre est in Eccle. **12**. 9. 10; Ps. **118**;2 Paral. **35**. 6; 1 Esdr. **5**. 7. etc.

sermonem propheticum vocat *lucernam*, qua ad vitam aeternam ducimur, lux autem in Scriptura est res supernaturalis et divina [25]: Scripturam comparat, imo quadantenus praefert (*firmiorem sermonem*) divino testimonio miraculi, quo in monte agnoverat divinam originem Christi Domini [26]: et testatur non posse humanis viribus examinari, quod valet de rebus divinis, siquidem *animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus* [27], sed non tenet de libris humanis [28], qui humana virtute intelliguntur.

523. **Secunda pars.** *Scripturae inspirationem seu divinam originem testantur Patres. a)* ATTRIBUTIS QUIBUS eam laudant, etenim vocant *divinam* [29], *divinitus inspiratam* [30], *digito Dei scriptam* [31], *a Verbo Dei* vel *a Spiritu S. dictatam* [32], *Spiritus S. oracula, voces Dei, verba Christi* [33], *epistolam Dei* ad hominem missam [34]. *b)* APERTIS DECLARATIONIBUS, nam Scripturam tribuunt Deo tamquam *principali auctori* [35], qui *adaperuit per omnes prophetas* [36], quique

---

[25] Cf. Sap. **7**. 10. 30; Isai. **60**. 1 sqq.; Joan. **1**. 4 sqq.; **3**. 15 sqq. etc.; 2 Corinth. **6**. 14; Eph. **5**. 8. etc.; KNAB. *in Joan.* p. 71 sqq.

[26] Ver. 17-18 et AUG. apud *A. Lap.*

[27] 1 Corinth. **2**. 14.

[28] A. LAPIDE qui aestimat Petrum impugnasse *Simonianos* et *Agnosticos* Scripturam corrumpentes. CORNELY explicat de *enuntiatione* prophetiae, et sic argumentum est clarius. « Omnis verae prophetiae, quae in Scripturis habetur, *humanam* originem APOSTOLUS omnino negat; neque enim proprio ingenio signa futuri temporis interpretantes prophetae futuros eventus praedixerunt, neque propria sua voluntate vaticinia sua pronuntiarunt et scripserunt (de vaticiniis enim in Scriptura allatis agitur), sed tanquam os Dei ex divino instinctu et afflatu ea ediderunt ». *De divinitate* etc. n. 2.

[29] IREN. *Adv. haer.* III 21 n. 2; TERTUL. *Apol.* n. 20; HIPPOL. *in Dan.* **4**. 2; ORIG. *De Princ.* IV 1; LACT. *Inst.* I. 4; VI n. 5; OPT. *De schis. Donati* VI 5. *NB.* Divinitatem non respicere solam materiam, sed *auctorem* constat *a*) ex proprietate vocis, *b*) ex traditionali sensu de quo agit JOS. FLAV. (supra n. 518), *c*) ex ipsa materia Scripturae, quae plura historica tantum continet.

[30] EUSEB. *His. Eccl.* III 4; ATHAN. *Ad Marcell.* 1-10; CYRIL. Hier. *De div. Scrip.* 23; GREG. Naz. *Carm.* 35.

[31] LEO M. *Serm.* 69 c. 3.

[32] DOCT. XII APOST. 14. 3; IREN. *Adv. Haer.* II. 28; AUG. *De Civ. Dei* XI 3; GREG. M. *in Joan.* praef. 3.

[33] CLEM. Rom. *I. Corinth.* 45; TERTUL. *Apol.* 31; HIL. *in Ps.* **118**. lil. 17 n. 2; EPHR. *oper. graec. lat.* II 41.

[34] CHRYS. *in Gen.* hom. 2 n. 2; AUG. in Ps. **90**. serm. 2 n. 1; in Ps. **149**. enar. n. 5; GREG. M. IV 31 *ad Theod.*

[35] GREG. M. *in Job* praef.; RABAN. MAUR. *De cler. inst.* II 54.

[36] BARNAB. *epist.* II 4 sqq.

sacras litteras *scripsit* [37] eisque *loquitur* [38]; hagiographos vero habent tamquam *instrumenta* a Deo mota [39], siquidem Spiritu S. *instructi,* ab eo *inundati* ipsoque *inspirante* et *afflante* scripserunt [40]. Porro *c*) tam manifesta erat Patribus divina origo Scripturae, ut inde divinitatem Spiritus S., qui eas inspiraverat, contra *Pneumatomachos* arguerent [41], nec dubitarent *Symbolis* et decretis *Conciliorum* profiteri [42]. CONFIRMATUR *a*) *testimonio Martyrum,* qui, ne traderent Scripturas, in persecutione Diocletiani magno numero occubuerunt [43]: *b*) *signis obsequii* quibus Scriptura honorata est a primis christianis qui eam deosculabantur, supra pectus gestabant, stantes audiebant, eaque expellebant daemones et curabant infirmos [44]: *c*) *archeologicis monumentis,* siquidem enarrationes Scripturae, uti liberationis trium puerorum de fornace babilonica, Susannae, Tobiae, Jonae, etc. pinguntur in cryptis catacumbarum [45], ubi tantummodo sacra recipiuntur [46].

524. **Tertia pars.** *Scripturae divinitas suadetur ratione.* Nam cum operatio sequatur esse, opera humana altitudine scientiae hominum captum non excedunt et defectibus subjacent: atqui Scripturae licet exaratae a viris parum eruditis et diversae aetatis et inaequalis conditionis, nullam contradictionem nullumque errorem continent et mysteriorum profunditate altissimas philosophorum inquisitiones excedunt, doctrinas inscrutabiles exhibentes: ergo [47].

---

[37] CYRIL. Hier. *Catech.* XI 12; ISID. Hisp. *De eccl. off.* I. 12-13.

[38] CYPR. *De hab. virg.* 1; MARIUS Vict. *De phys.* n. 27; AMBR. *epist.* 8 n. 1.

[39] JUST. M. *Apol.* I n. 36; THEOPH. Ant. *Ad Autol.* II 10; HIPP. *De Chr. et antich.* n. 2; HIL. *in Ps.* **134.** n. 7; EUSEB. Caes. *in Ps.* **77.** n. 1; HIER. ep. 10 n. 12 sqq.; THEOD. Cyr. *in Dan.* praef.; JUNIL. Afr. I c. 1 sqq.

[40] CLEM. Rom. 1 *Corinth.* 47; THEOPH. Ant. *ad Autol.* II 9; TERTUL. *Apol.* n. 18; HIPP. *in Dan.* **2.** 3; ORIG. *De princ.* 1. 8; *in Num.* hom. 26. 3; GREG. Nyss. *cont. Eunom.* 7; CHRYS. *in Gen.* hom. 21. 1; DAMASC. *De Fide* IV 17; CASSIOD. *De orthogr.* praef.; BEDA *in Luc.* prooem.

[41] BASIL. *adv. Eunom.* 5; DYDIM. Alex. *De Spir. Sanct.* III 28.

[42] SYMB. *CP. I.;* conc. HIPP.; Decr. GELAS.; conc. TOLET.; conc. CARTAG. IV; conc. *CP. II* apud *Pesch* n. 135-9.

[43] Cf. AUG., EUSEB. et acta martyrum apud *Pesch* n. 392-3.

[44] Cf. CHRYS., ISID. Pelus., ORIG., AUG., HIER., apud *Pesch* n. 394.

[45] Cf. ORAZ. MARUCCHI *Manuale d'Arch. crist.* p. 5 c. 6 n. 336 sqq.

[46] Cum prophana vel etiam mythologica referuntur exhibentur tantum ut *symbola* rei sacrae.

[47] Supra n. 171.

Ceterum Judaeorum et Christianorum omnium consensus in re gravi errori subjacere nequit, nec potest Deus miraculis confirmare doctrinam falsam: atqui de Scripturarum divinitate communis est Judaeorum et Christianorum sententia, et Deus Scripturae doctrinam uti verbum suum enuntiatam, miraculis confirmavit: ergo [48].

524. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Si Deus esset Scripturarum auctor idem esset dicendi modus nec v. g. Evangelistae eadem Christi verba referrent diversimode [49]: atqui...: ergo. **Resp.** Si pars formalis Scripturae essent verba *conc.*, si sunt facta et doctrinae *neg.* Cum Deus dicitur Scripturae *auctor*, non significatur quod omnia peregerit quae sunt in Biblia, sed quod pars formalis seu doctrina ab ipso processerit: quia ergo eadem veritas aequivalentibus verbis diversimode potest exponi, non repugnat unitati principalis auctoris Scripturae de eodem facto diversas circumstantias enarrari [50], eandem doctrinam sub diverso respectu considerari, eumdemque sermonem aliis et aliis verbis *ad sensum* referri.

525. **Obiic. 2.** Si conceptus Scripturae essent a Deo, hagiographi in eorum acquisitione adlaborare non debuissent: atqui maxime in rebus historicis multum insudarunt pro eorum cognitione: ergo. **Resp.** Si inspiratio esset proprie dicta revelatio *conc.*, secus *neg.* Ut infra melius apparebit, inspiratio hagiographa non respicit acquisitionem *cognitionis* sed eius *scriptionem;* in acquisitione ergo doctrinae hagiographi laborare potuerunt et debuerunt.

ARTIC. 3 - DE INSPIRATIONIS NATURA.

526. **Inspiratio personalis et realis, formalis et materialis.** Inspirationem iuxta etymologiam dicere influxum Dei jam vidimus: sed in quo consistit hujusmodi influxus? MODERNISTAE post RATIONALISTAS intelligunt de influxu *personali,* quo naturales facultates hominis excitantur ad agendum proprium actum; cum enim in immanentismi systemate, omnes cognitiones ex exigentiis naturae sint eruendae, religiosae experientiae *obiective* ex circumstantiis temporum et locorum, (ex quibus vitae necessitates exurgunt) debent determinari, *subiective* autem per excitationem

[48] Cf. DUNS SCOT. Prol. com. *in* 1 *Sent.* q. 2 n. 3.

[49] ANONYM. *Il Program.* p. 60.

[50] Factum potest inadaequate a diversis referri ita ut diversae etsi non contrariae circumstantiae enarrentur.

virium, qua subiectum moveatur ad vitae necessitates considerandas. Inspirationi personali opponitur *realis*, qua ipsae res seu doctrinae et facta scriptis mandantur ex speciali influxu superioris agentis. — Verum in quavis scriptura tria occurrunt: exterior verborum forma seu *calligraphia*, verborum delectio et constructio seu *stylus*, doctrina seu *conceptus* qui exponuntur: si divina motio pervenit usque ad calligraphiam vel saltem ad stylum inspiratio dicitur *verbalis* seu etiam *modalis*, si attingit tantum conceptus, vocatur *formalis* seu *substantialis*.

527. **In quo proprie consistat inspiratio hagiographa.** Demonstrabimus in thesi inspirationem esse realem et formalem atque importare influxum specialem in intellectum et voluntatem. Porro hagiographi intellectum speciali luminis infusione [1] Deus adiuvat imprimis et movet, ad cognitionem veritatis [2], dein speciali charismate, quod est formaliter inspiratio, *determinat* ad efformationem ideae libri, seu ad illos omnes et solos conceptus, quos Deus scribi vult, concipiendos sub formalitate rei scribendae [3]. In voluntate inspiratio dupliciter influit, *physice* et *moraliter: physice* eam applicando ad actum supernaturali motione non praedeterminante [4]; *moraliter* influxu praecedentis judicii practici et aliquando etiam mandato vel extrinseca occasione, puta petitione fidelium, ad haereticos impugnandos, ad peccatores revocandos in viam salutis, etc. [5].

528. **Inspirationis notionem integrat divina assistentia.** Nam homo non tantum potest errare in *cognitione* veritatis, sed etiam in eius *manifestatione* sive eligendo verba inepta, sive praepostere exarando; ut ergo Scriptura sensus Domini referat, divinam motionem

---

[1] S. THOM. 2-2 q. 174 a. 2 ad 3.

[2] « Ratio est quia scribenda Deus non inspirat nisi de fundo veritatis... Ne a spuriis et corruptis fontibus informationes suas accipiat is, qui a Deo destinatur divini libri scribendi instrumentum, sensus quoque communis... requirit; quia etsi acceptio rerum scribendarum nondum ad inspirationem formaliter pertineat, adhuc tamen ad ea se habet velut materialiter et praesuppositive » BILLOT p. 49.

[3] Cave ne concipias huiusmodi determinationem per modum violentiae; Deus enim *attingit a fine usque ad finem fortiter*, sed *disponit omnia suaviter* (Sap. **8**. 1). Influxus inspirationis assimilatur motioni gratiae actualis, a qua tamen in eo maxime differt, quod *gratia* datur in bonum recipientis ad veritatem cognoscendam, *inspiratio* in bonum aliorum ad librum scribendum. Vide *Pesch* n. 414-419.

[4] De physica motione non praedeterminate agemus in tractatu de *Gratia*.

[5] PESCH n. 423. De externis circumstantiis, quae aliquando comitantur divinam motionem, vide CORNELY *Com. in Galat.* **2**. 2 p. 421-2; BRUCKER *Questioni d'oggi* n. 39 sqq.

comitari debet divina assistentia, qua hagiographus fiat infallibilis in scribendo. Hinc LEO XIII docet quod Deus « ita eos (hagiographos) ad scribendum *excitavit et movit,* ita scribentibus ADSTITIT, ut omnia eaque sola, quae ipse juberet, et recte mente *conciperent,* et fideliter conscribere *vellent,* et apte infallibili veritate *exprimerent:* secus, non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae » [6].

529. **Quomodo se habeat revelatio ad inspirationem.** Revelationem distinguendam esse ab inspiratione probabimus in thesi, nunc attendas aliquando *per accidens* eidem praesupponi, semper vero eam sequi. *Praesupponitur* revelatio cum agitur de mysterio vel etiam de facto quod hagiographus naturaliter detegere nequit; cum enim scriptio sit actus rationalis, hagiographus doctrinam, quam scriptis mandat, cognoscere debet, quare si eius captum superat ipsi revelari debet. *Semper consequitur,* quia « Scriptura est *verbum Dei loquentis ad homines per hagiographos* et eorum scripta. Is autem, per quem Deus immediate loquitur ad homines, est propheta, et verbum eius, sive orale sive scriptum, est pro iis, ad quos dirigitur, revelatio, cui ex parte hominum respondet fides divina » [7].

530. **Errores — Veritas.** *Excessu* erraverunt MONTANISTAE inspirationem adinstar obsessionis et insaniae concipientes [8]; et quidam e catholicis verbalem dictationem obtrudentes [9]: *defectu* RATIONALISTAE et MODERNISTAE in personali virium excitatione constituentes, atque catholici quidam ante Conc. Vat. reponentes in sola divina approbatione vel assistentia [10]. **Veritas** definita est in CONC. VATIC. quod ait, libros Scripturae « Ecclesiam pro sacris et canonicis habere, non ideo quod sola humana industria concin-

---

[6] LEO XIII Enc. *Providentissimus;* PESCH n. 425; FRANZELIN p. 357.

[7] PESCH n. 411 ubi confutat *Bonaccorsi* qui, ineptis rationibus et falsa eruditione, contendit non omne dictum Scripturae esse dictum Dei, neque omne dictum Dei esse fide credendum. *NB.* Ex his patet quod revelatio divina tripliciter pertinere potest ad Scripturam: *antecedenter* ad cognoscendas veritates scribendas, *concomitanter vel formaliter* dum verbis Scripturae Deus nobis loquitur, *consequenter* cum Deus testimonium reddit de Scripturae inspiratione: primum aliquando tantum habetur alterum et tertium semper.

[8] Supra n. 518.

[9] BILLUART *De Regul. fidei* Diss. 1; BANNEZ Com. 1 p. a. 8, et in genere THOMISTAE antiqui, quibus nonnihil accedit BILLOT p. 60-4, qui tamen negat materialem verborum dictationem. Contrariam sententiam docent LESS. *Resp. ad cens.* apud Pesch n. 283; BELLARM. *De Conc.* II c. 12; A LAPIDE in 2 Tim. 3. 16; SUAREZ *De Fide* Disp. V sect. 3; FRANZ. *De Trad. et Script.* p. 2 th. 3 p. 349 sqq.; MAZZELLA *De Virt. Inf.* n. 960 sqq.; HURTER I n. 237; PESCH n. 451-78; TEPE I n. 803; GROOT p. 697.

[10] Supra n. 518.

nati, sua dein auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu S. inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt »[11].

THES. 62. *Ad inspirationem hagiographam* — 1 *non requiritur insania inspirati auctoris,* — 2 *neque revelatio eorum quae scribenda sunt,* — 3 *neque eorum verbalis dictatio;* — 4 *non sufficit tamen externa assistentia vel subsequens approbatio Dei et Ecclesiae, vel* — 5 *personalis impulsus ad scribendum; sed* — 6 *necessaria est illuminatio mentis et voluntatis motio ad scribendas omnes et solas doctrinas quas Deus vult scriptis tradere.*

531. **Prima pars.** *Inspiratio non consistit in insania.* Nam **Scripturae** testantur hagiographorum attentionem nonnumquam esse excitatam ad perceptionem eorum quae erant scribenda[12], hagiographos vero saepe magno studio rerum scribendarum notitiam acquisiisse[13]: atqui haec cognitionem et libertatem manifeste supponunt: ergo. **Ex Patribus** ORIG. eos improperabat qui dicebant quod « mente excidebant prophetae et ex necessitate spiritus loquebantur », siquidem Deus « inoperatus est in prophetis suggestionibus sanctis... *ita ut maneret in arbitrio hominis ac judicio,* si sequi vellet aut nollet ad coelestia et divina provocantem »[14]: HIER. volumen prophetae vocabat « librum visionis *intelligentis* universa quae loquitur »[15]. Et CHRYS.: « Diximus prophetas non fuisse sicut vates. Illic enim daemon, quando animam invasit, orbat mentem et obscurat ratiocinationem... At Spiritus S. non ita agit, sed sinit *cor intelligere,* quae dicuntur »[16]. **Ratio** est manifesta nam Deus non est *unicus* auctor Scripturae sed *principalis,* hagiographus vero auctor secundarius seu instrumentalis: ergo generica ratio auctoris in hagiographo deesse nequit: atqui est de ratione auctoris cognitio rei scribendae: ergo in revelatione aliquando (scil. in *imaginaria visione*) « rapitur vis humana ab aliquo spiritu

---

[11] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 2.

[12] *Animadverte sermonem et intellige visionem.* Dan. **9**. 23. *Scribe quae vidisti.* Apoc. **1**. 19. *Angelo Ephesi ecclesiae scribe: Haec dicit qui tenet...* Apoc. **2**. 1 etc.

[13] 2 Machab. **2**. 24 sqq.; Luc. **1**. 1-3.

[14] ORIG. *in Joan.* XXVIII n. 13-5.

[15] HIER. Prol. *in Habacuc.*

[16] CHRYS. *in Ps.* **44**. 1. Cf. EPIPH. et HIPP. apud *Pesch* n. 58-9.

et a sensibus abstrahitur » [17], sed in inspiratione hagiographus non solum mentis usum non amittit (quod neque in revelatione umquam contingit), sed etiam usum sensuum retinet, imo in utroque corroboratur et perficitur.

532. **Secunda pars.** *Inspiratio hagiographa non est revelatio rerum scribendarum.* Nam inspirati auctores aliquando testantur, ea quae scribunt, scire de visu [18], vel de auditu [19], vel ex aliorum scriptis deducere [20]. Profecto veritatis cognitio non integrat notionem scripturae, sed est *conditio sine qua non* ad illam perficiendam, quemadmodum adductio lapidum, cementi et ligni, praerequiritur aedificationi domus, sed non pertinet ad ipsum actum aedificandi. Auctor « inspiratus in quantum hujusmodi comparatur ad inspirantem tamquam instrumentum ad causam principalem. Sed in simplici notitiae acceptione nemo censetur instrumentum eius a quo accipit. Ergo eadem notitiae acceptio, etiamsi sit a Deo revelante, adhuc est extra propriam intrinsecamque inspirationis rationem » [21].

533. **Tertia pars.** *Inspiratio hagiographa non est verbalis.* Nam causalitas *auctoris* non necessario pertingit ad omnem formalitatem libri, sed ad illam quae ut finis scripturae ab auctore intenditur : atqui sacra Scriptura non ordinatur ad docendam externam litterarum formam vel linguam, sed *ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia* [22], quod est de ratione doctrinae : ergo Scripturae auctor sive principalis sive instrumentalis intelligitur qui est causa *doctrinae* [23]. Et ideo licet nonnulla Scripturae verba [24] vel vocabulorum formae [25] ex specialissimo Dei influxu vel revelatione videantur electa, tamen inspirationis charisma ordinarie verba

---

[17] S. THOM. *De Verit.* q. 12 a. 9.

[18] Joan. **9**. 35, **21**. 24; 2 Petr. **1**. 17-8.

[19] Luc. **1**. 2-3.

[20] 2 Reg. **1**. 19; 1 Paral. **29**. 29; etc. CORNELY *Comp. Int. in Sacr. S.* Diss. 4 § 7 n. 2; § 12 n. 2 etc.

[21] BILLOT p. 50; PESCH n. 409-10.

[22] 2 Tim. **3**. 16.

[23] Hinc amanuenses, qui litteras a S. Paulo dictatas extendebant, et CLEM. Rom., qui conceptus Apostoli suo stylo descripsit in epistola ad Hebr. (CORNELY *Int. in Sacr. S.* Diss. VIII § 13 n. 3), non dicuntur *auctores,* ne *instrumentales* quidem, Scripturae.

[24] V. g. *Verbum* ad designandam secundam Personam SS. Trinitatis, *Filius hominis* ad exprimendum J. C. PESCH n. 461; SCHIFFINI n. 86.

[25] V. g. *semen* uti nomen collectivum pro tota posteritate. Gal. **3**. 16 apud CORNELY *De div. insp.* n. 4.

non attingit [26]. Inde explicantur *a*) differentiae styli, qui alius est in diversis libris, *b*) imperitia sermonis, quam aliquando confitentur hagiographi [27], necnon *c*) solecismi et alii linguae defectus, quos interpretes agnoscunt in sacris Litteris [28].

534. **Quarta pars.** *Divina assistentia vel subsequens approbatio Dei et Ecclesiae non sufficit ad rationem inspirationis hagiographae.* Ratio est quia haec *re* (approbatio Ecclesiae vel Spiritus S.) vel sua *formalitate* (assistentia Spiritus S.) sunt quid negativum et extrinsecum scriptioni, nec proinde exhibent ideam *auctoris,* quae notionem causae efficientis importat. Aliud profecto est *assistentia* Spiritus S. aliud *inspiratio;* illa mere concomitans est et convenit Ecclesiae; haec quid praevium sonat et hagiographorum proprium : et similiter « aliud est *approbatio,* aliud *inspiratio;* neque enim episcopus, qui aliquod opus etiam summa cum laude approbat, ideo ejus auctor est, neque ideo, quia aliquis dictum Ciceronis cum approbatione in suum librum transumit, ejus jam est auctor, sicut Paulus factus non est auctor verborum Arati et Epimenidis, quum ea vera esse testaretur. Quodsi Deus librum sine sua supernaturali motione et assistentia ab homine conscriptum positive approbaret, procul dubio omnia, quae in eo continentur fide divina credi possent *vera esse,* quia sua approbatione Deus simul ea vera esse revelaret; eandem igitur *auctoritatem* quidem, quam Scriptura, liber haberet, sed non singularem illam *dignitatem,* quae libris competit quorum Deus est auctor »[29].

535. **Quinta pars.** *Inspiratio hagiographa non personalis tantum est sed realis.* Nam **Scriptura** doctrinam ipsam tribuit Spiritui S., qui *locutus est* per prophetas, quique Scriptura *dixit* imo et *providit.* **Patres** autem tam clare inspirationem attingere doctrinam et non tantum hagiographum confessi sunt ut singula verba a Deo esse affirmarent. « Quando, inquit JUST. M., verba prophetarum tamquam a persona aliqua dicta audis, noli putare ab ipsis

---

[26] Etiam Patres dicunt cum HIER. quod « non *verba* in Scripturis consideranda (sunt), sed sensus ». Epist. 59 *ad Pam.* n. 10; *in Gal.* XI n. 12; AUG. *De Cons. Evang.* II c. 66. Cf. MAZZELLA *De Virt.* n. 962.

[27] 2 MACH. **15.** 40; 2 Corinth. **11.** 6. Cf. S. THOM. 2-2 q. 176 a. 1 ad 1.

[28] CORNELY *Introd.* Diss. 2 § 4; HIER. *Praef. in Isai; Prol. in Jer.; praef. in Ezech; com. in Ephes.* **3**; BILLOT p. 40-44.

[29] CORNELY *De div. insp.* n. 3; BILLOT p. 18 sqq.; PESCH n. 405 sqq.

inspiratis dici, sed a Verbo divino, quod eos movebat »[30]. « Quae legimus (in libris Moysis), ait ORIG., nec puer est... nec angelorum aliquis, sed, sicut traditio majorum tenet, Spiritus S. haec narrat »[31]. HIL. et BASIL. docent quod nihil est inutile in Scripturis, quia « quidquid in his est, excelsum divinum, rationabile et perfectum existimatur »[32]. AMBR. affirmat quod « non secundum artem scripserunt (hagiographi) sed secundum gratiam... scripserunt enim quae Spiritus S. eis loqui dabat »[33]. Et CHRYS.: « Si in saecularibus negotiis scripta quae *ab hominibus* conficiuntur, saepe... ab una syllaba multum momenti habent: multo magis hoc in Scripturis a Spiritu S. compositis invenitur »[34]. **Ratio** sumitur ex notione *auctoris* Scripturae ad quam non sufficit generica motio hagiographi ad scribendum; non secus ac sola pecuniae oblatione, qua artifex movetur ad pingendum, offerens auctor picturae non constituitur.

536. **Sexta pars.** *Inspiratio hagiographa consistit in physico et supernaturali influxu qua Deus intellectum illuminat et voluntatem movet ad scribendum.* Quod inspiratio hagiographa consistat in physico et supernaturali influxu, sequitur ex praedictis et aperte docetur in testimonio Petri, ubi graeca vox notionem *motus* et *impulsus* exhibet, necnon a Patribus qui loquuntur de *adaperitione,* de instrumenti *motione,* de *inundatione* et *afflatu* Spiritus S.[35]. Quod vero huiusmodi influxus recipi debeat per modum luminis in intellectu et motus in voluntate, sequitur ex natura scripturae; ut enim Deus sit auctor principalis Scripturae debet movere hagiographum in formali ratione *auctoris Scripturae:* atqui operatio qua homo fit auctor libri, procedit a duplici sua spirituali facultate, scil. ab intellectu, quo praecognitos conceptus revocat et ordinat ad scribendum, et a voluntate, quae ordinationem mentis in actum deducit electione et dispositione verborum atque imperio, quo externas potentias (manum, os, etc.) applicat ad scribendum vel dictandum: ergo.

537. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Patres Scripturam dicunt dictatam a Spiritu S., hominemque cytaram in manu Dei

---

[30] JUST. M. *Apol.* I n. 36.
[31] ORIG. *in Num.* hom. 26 n. 3.
[32] HIL. *in Ps.* **135** n. 1; BASIL. in *Exaem.* hom. 9 n. 1.
[33] AMBR. *Epist.* 8.
[34] CHRYS. *in Gen.* hom. 21 n. 1.
[35] Supra n. 523.

a quo omnia verba et ipsi apices sunt: ergo inspiratio hagiographa est verbalis. **Resp.** Etsi multa SS. Patrum testimonia sonare videantur verbalem inspirationem, si tamen considerantur in contextu et aliis dictis comparantur, nihil aliud significant quam « ubique signa idonea fuisse adhibita sub assistentia Spiritus S. » [36].

538. **Obiic. 2.** Si inspiratio esset tantum rerum, inutilis foret illa accurata verborum expositio, qua interpretes vel in una particula diutius immorantur. **Resp.** Quamvis verba non sint inspirata, *ex divina* tamen *assistentia* optime (etsi forte obscure) exprimunt veritates, quas Deus voluit manifestare. Qui ergo vult sensus Domini percipere, ex regulis grammaticae et syntaxeos, ex verborum usu apud auctorem inspiratum, et maxime ex argumento, fine et multiplici contextu horum vim agnoscere debet [37].

539. **Obiic. 3.** Cum verba sint signa conceptuum, impossibile est inspiratio conceptuum, quin verba ipsa inspirentur. **Resp.** *Neg. assertum.* Nam *a*) inspiratio esse potest ad scribendas veritates jam cognitas, *b*) veritas autem non necessario percipitur *verbis,* sed potius ideis analogicis, et *c*) eleganti vel humili stylo aeque potest enuntiari.

540. **Obiic. 4.** Inspiratio tantum rerum et veritatum inducit vivisectionem Scripturae, quae una est [38]. **Resp.** Non inducit divisionem inter partes *integrantes* Scripturae, quarum unaquaeque constat verbis et conceptibus per illa manifestatis, sed inducit tantum distinctionem inter partem *formalem* et *materialem* (partes *essentiales*) libri, quam etiam Patres innuunt [39].

541. **Obiic. 5.** Si inspiratio esset *realis* et de singulis veritatibus scribendis, homo sub inspiratione ex necessitate scriberet et sic libertate careret et insania ageretur a Spiritu S.: atqui hagiographorum libertatem contra Montanistas a primis saeculis tuiti sunt Patres: ergo. **Resp.** Sub influxu inspirationis hagiographus ageret necessitate antecedenti *neg.,* consequenti *conc.* Ut videbimus in tractatu *de Gratia efficaci,* Deus, salva humana libertate, potest infallibiliter obtinere quidquid absolute vult: infallibilitas auxilii fundatur in praeviso consensu liberi arbitrii, et ideo necessitas est mere consequens, similis ei qua sedens *dum sedet* non potest *stare.*

---

[36] FRANZ. p. 356; PESCH n. 462-5.

[37] CORNELY *Intr. in Sacr. S.* Diss. III § 5 n. 2 sqq.

[38] LOISY *Etudes bibliques* p. 35.

[39] FRANZ. *De Script.* th. 3 p. 349 sqq.

Artic. 4 - De inspirationis extensione.

542. **Quae res fidei et morum.** Cum e recentioribus quidam inspirationem coarctaverint ad *res fidei et morum* quorum notionem insuper corruperunt [1], praestat imprimis explanare quid haec sint. Itaque *res fidei et morum* sunt omnia quae *directe* intenta a Deo in revelatione et inspiratione Scripturae, *per se* ordinantur ad supernaturalem cognitionem Dei ejusque providentiae in opere nostrae salutis, unde complectuntur « omnia quae quolibet modo faciunt ad notitiam vel *speculativam* vel *affectivam finis* necnon et mediorum *conducentium ad finem,* utpote praeceptorum, consiliorum, sacramentorum, et totius demum *oeconomiae regni Christi Redemptoris* a prima ejus praeparatione statim post lapsum protoparentum, usque ad perfectam ejus constitutionem in Ecclesia N. T. ». Non sunt autem per se pertinentes ad res fidei et morum ea, quae per meram concomitantiam praedictis uniuntur, ut sunt « multae circumstantiae *chronologicae, physicae, geographicae, genealogicae* », quae per se non habent ordinem ad finem ultimum; ut v. g. quod nomina fluviorum Paradisi fuerint *Phison* et *Gehon,* quod dies Noë fuerint *950 annorum,* quod canis Tobiae *moverit caudam* et Paulus reliquerit Troade *penulam,* etc. [2].

543. **Errores — Veritas.** *Universalitatem* inspirationis Scripturae negant Rationalistae, qui verbo tenus aliquando inspirationem ponentes, coarctant tamen ad *medullam Scripturae,* quae iuxta Schleiermacher est doctrina *primitiva* usque ad finem mundi constanti progressu excolenda [3], iuxta Kirn *notio Christi* [4], iuxta Haupt *sensus rerum aeternarum* [5], iuxta Harnack notio *divinae paternitatis* [6]. Eumdem errorem renovarunt Modernistae inspirationem reducentes ad genericum quemdam impulsum religiosum

---

[1] Modernistis *res fidei* et *morum* sunt fundamentales veritates quae v. g. in primis undecim capitibus Genesis reducuntur ad doctrinam de Deo creatore mundi et hominis, de providentia omnipotenti, justa et misericordi, de unitate humanae speciei et de casu primi hominis cum spe liberationis. Loisy apud *Billot* p. 100 sqq.

[2] Billot p. 96-9; *De Virt.* th. 10 p. 231 sqq.

[3] Apud Pesch *De Insp. S. Scr.* n. 239.

[4] Apud *Pesch* n. 249; Similia habent apud eundem auctorem Grau n. 252; Clifford n. 270.

[5] Apud *Pesch* n. 251.

[6] Harnack *L'essenza del crist.*

qui industria et experientia humana ad singula quae in Scripturis continentur est determinatus [7]. Accensendi sunt etiam quidam e catholicis autumantes inspirationem coarctari ad *res fidei et morum* vel non attingere *obiter dicta* [8]. **Veritatem** proposuit LEO XIII eos damnando qui dicebant « inspirationem divinam *ad res fidei morumque,* nihil praeterea pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum cum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit » [9].

THES. 63. *Scriptura in omni et singula sua parte est inspirata.*

544. **Ex Scripturis.** Nam testimonia supra allata [10] non distinguunt inter partes inspiratas a Deo et partes humana industria concinnatas, sed exhibent inspiratum auctorem in omni suo opere divino afflatu moveri : ergo integra Scriptura est simul a Deo et ab homine, ac proinde in omnibus suis partibus inspirata. Revoca in particulari testimonium APOSTOLI qui docet *omnem Scripturam* (πᾶσα γραφή) esse divinitus inspiratam [11], sive enim ly *omnis* accipias *collective* sive *distributive,* habes quidquid vocatur *Scriptura,* et qua tali recipitur ab Ecclesia, esse inspiratum; Ecclesiam vero vel minima Scripturae commata semper habuisse uti partes Scripturae demonstratione non eget. **Patres,** licet non aeque omnes judicaverint de canone et de extensione sensus litteralis et typici [12], uno tamen ore universalitatem inspirationis Scripturae fassi sunt. Docent enim *a*) quod *omnis* propheticus sermo, seu *quidquid est* Scriptura est inspirata [13], « *tota* dicta est per unum Spiritum S. » [14] « et propterea *unus* liber appellatur » [15]. Hinc *b*) extendunt veracitatem Scripturae « *usque ad levem apicem et lineam* » [16], eo quod « divina Sapientia... ad unam usque *litteram*

---

[7] Supra n. 518. LOISY coarctat influxum inspirationis ad substantiam Scripturae. *Études Bibl.* apud BILLOT p. 101.

[8] Supra n. 518 not. 44.

[9] LEO XIII Enc. *Providentissimus.*

[10] Supra n. 522.

[11] 2 Tim. **3.** 16.

[12] CORNELY *Introd.* Diss. 1 § 4 et 5; Diss. III § 9.

[13] HILAR. Praef. *in Ps.* **134.** n. 7; MARIUS Vict. De verbis *Factum est vespere et mane;* GREG. Nyss. *Contra Eunom.* 7.

[14] CYRIL. Alex. *in Isai.* III t. 2 v. 13.

[15] HIER. *in Isai* **29.** 9 sqq.

[16] GREG. Naz. *De sua fuga* or. 2. n. 105.

attingit »[17], unde « ne ulla quidem *syllaba* est otiosa »[18], sed omnia diligenter debent interpretari, « nec *brevis dictio vel syllaba*... praetercurrenda (est) »[19]. **Ratio** petitur ex notione *auctoris:* Deus siquidem est auctor principalis eorum quae ab hagiographo procedunt: atqui hagiographus non est auctor solius partis fidei et morum sed totius Scripturae: ergo. Ceterum ut ex AUG. arguit PIUS X[20] « Admisso semel in tantum audacio nulla illorum particula remanebit, quae non, ut cuique videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis, eâdem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur »[21]; unde fiet quod « in eis quod vult quisque credet, quod non vult non credet »[22].

545. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** In Scripturis non « de scientiis agitur aut historia, verum de religione tantum ac re morum. Scientiae illic et historia integumenta sunt quaedam quibus experientiae religiosae et morales obteguntur ut facilius in vulgus propagarentur »[23]. ergo. **Resp.** Scientiae et historia non pertinent ad obiectum principale Scripturae, *trans* neque ad secundarium *neg.* Transmitto primam partem, quia plura facta historica, v. g. creatio hominis per Deum, casus Adami, incarnatio Verbi, mors et resurrectio Christi, etc., pertinent ad obiectum principale fidei, quod inepte reducitur ad notiones quasdam fundamentales. Sicut enim domus non efficitur principalibus lateribus tantum, vel solis trabibus, nec homo solis ossibus vivit, ita nil « magis absonum excogitari potest quam reductio rerum fidei et morum in Scripturis sanctis ad scheletrum illud seu larvalem et omnino evisceratam doctrinae formam, quam nobis obtrudunt novi exegetae »[24]. Sed insuper influxus auctoris principalis nequit coarctari ad obiectum principale; obiectum enim secundarium principale complet et convenienti modo proponit.

546. **Obiic. 2.** « Libri sacri, quia natura sunt religiosi, vitam necessario vivunt »: « admittenda est (ergo) *vitalis evolutio* librorum sacrorum, nata ex evolutione fidei eidemque respondens »[25]. **Resp.** *Neg.*

---

[17] ORIG. *in Ps.* 1. n. 4.

[18] BASIL. *in Exaem.* 6. 11; HIER. *in Eph.* 5-6.

[19] CHRYS. *in Gen.* hom. 15 n. 1; 1 *Tessal.* hom. 8 etc.

[20] PIUS X Enc. *Pascendi.*

[21] AUG. *Epist.* 28 n. 3.

[22] AUG. *l. c.* n. 5.

[23] MODERNISTAE in Enc. *Pascendi.* Similia habent D'HULTS *La Question Biblique* apud Schiffini n. 41; LAGRANGE *Revue Biblique* 1897; *La Méthode historique* apud Pesch 347-58.

[24] BILLOT p. 102.

[25] MODERNISTAE in Enc. *Pascendi; Il Program.* p. 38-9; LOISY apud PESCH n. 365.

ant. Absurdissime concipitur libros sacros *vivere:* non secus a prophanis codicibus servantur et transcriptione multiplicantur. Quae post Rationalistas [26] Modernistae [27] obtrudunt de successiva retractatione et evolutione sacrorum librorum, in gratuitis assertionibus fundatur et contra historica documenta de solicitudine Patrum et de Scripturae reverentia inducuntur [28].

ARTIC. 5 - DE SCRIPTURAE OMNIMODA VERITATE.

547. **Dictum, relatum, praesuppositum.** Profecto non omnia quae lingua proferimus vel calamo scribimus ex nostra sententia dicimus, sed quaedam ex aliis referimus et alia quasi postulata ex communi opinione assumimus, quin de eorum veritate judicemus. Cum ergo Deus hominibus modo humano loquatur etiam in Scripturis distinguenda sunt quae a Deo dicuntur et quae mere referuntur vel praesupponuntur. *Dicta* a Deo sunt quae hagiographus docet vel approbat [1]: *relata* quae in aliorum ore ab inspirato auctore ponuntur vel ex aliorum scriptis mere referuntur. *Praesupposita* vel *postulata* haberi debent quae ex communi locutione assumuntur ad aliquid statuendum vel manifestandum quin de eorum objectiva veritate judicetur, ut cum Moyses inter animalia munda recenset *tragelaphum* qui nec existit, et inter immunda enumerat *leporem, quia ruminat et ungulas dividit* [2]: legislator enim quaestiones zoologicas non solvit sed iuxta communes opiniones, de quibus non indicat, legem applicat.

548. **Locutio scientifica et vulgaris.** Cum rerum essentiae a nobis non intueantur sed subtili proprietatum examine arguantur, duplex datur de rebus cognitio: una exterior rerum *apparentias* attingens, altera intima, proprietatum *radicem* scrutans: illa, utpote facilis, omnibus est communis unde et *vulgaris* dicitur; haec difficilior et doctorum propria, *scientifica* vocatur. Utraque habet *propriam veritatem* seu conformitatem cum objecto cognito, quod

---

[26] BAUR, EWALD, HITZIG etc. supra n. 65.

[27] Vide supra n. 134 nota 9; *Il Programma* p. 26 sqq.

[28] Supra n. 136, 139.

[1] Licet approbatio non faciat Deum auctorem testimonii relati, divinam tamen auctoritatem eidem tribuit. Cf. n. 534.

[2] Deut. **14.** 5; Lev. **11.** 6. Nota insuper nominum translationem non semper esse certam.

cum sit diversum et aliquando oppositum [3] inconvertibiles reddit praedictas veritates. Cognitioni externae et vulgari respondet *locutio vulgaris*, cognitioni interioris naturae *locutio scientifica*. Hinc locutio vulgaris non semper consonat verae locutioni scientificae, sed non ideo *falsa* constituitur nisi fiat transitus ab uno in alium ordinem, seu cognitio et locutio de externis proprietatibus applicetur intimae naturae rei. Porro applicatio qua *cognitio vulgaris* in ordinem scientificum transfertur, fieri potest expressa loquentis declaratione (*explicite*) v. g. si dicat se de intima rei natura talia affirmare, et ex contextu sermonis (*implicite*), cum scil. de intimis rerum naturis agit. Atqui sermo de intimis rerum naturis habetur in tractatibus scientificis in quibus *sermo vulgaris* saepe est *error communis*, sed non in Scriptura, siquidem « Spiritus Dei... noluit ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura » [4]: ergo in Scriptura *locutio vulgaris* servat propriam naturam describendi res secundum exteriores proprietates, quin affirmet vel neget quidquam de intima eorum natura [5].

549. **Veritas absoluta et relativa.** Hanc distinctionem quidam cum praecedenti convertunt, ita ut sermo *relative verus* sit sermo *imperfectus* qui, « approximative sit verus, aut solum secundum certum respectum » [6]; sed MODERNISTAE, qui ex principiis immanentismi cognitioni in genere et maxime cognitioni fidei obiectivam realitatem negant [7], distinctionem inter veritatem absolutam et relativam obtrudunt, ut dicant Scripturae veritatem esse tantum « comparationis ac proportionis tum *ad medium* in quo vivitur, tum *ad finem* ob quem vivitur » [8], quin adsit consonantia cum re quae proponitur.

---

[3] Semper est *diversum* quia externae proprietates non sunt natura rei, aliquando est *oppositum* quia proprietates externae nonnumquam debentur causis concomitantibus, ut v. g. motus quo sol ascendere conspicitur non debetur soli sed terrae.

[4] AUG. *De Gen. ad Litt.* II c. 9 n. 20; LEO XIII Enc. *Providentis.*; COM. BIBL. 30 Jun. 1909 ad 7.

[5] Nil refert quod inspiratus auctor forte putaverit etiam secundum rei naturam et non secundum apparentias tantum veritatem habuisse locutionem vulgarem; hoc enim mere *concomitanter* se habebat ad subiectam materiam et sua locutio manebat *vulgaris* et non *scientifica*.

[6] PESCH n. 516.

[7] Supra n. 498.

[8] MODERNISTAE in Enc. *Pascendi*. « Inerrantia Scripturae non potest significare veritatem absolutam omnium dictorum et propositionum de quocumque obiecto. Liber absolute verus *pro omnibus temporibus* in *omni ordine veritatis* non magis possibilis est quam triangulum quadratum ». LOISY *Études Bibliques* apud *Pesch* n. 365.

550. **Typus, metaphora, allegoria, symbolum, parabola, mythus, legenda.** *Typus* ut vidimus est locutio mediata seu per facta, quae divina Providentia ita disponuntur, ut praefigurent aliquid aliud, quemadmodum v. g. transitus maris rubri praefiguravit baptismum. *Metaphora, allegoria, symbolum* et *parabola* sunt subdivisiones sensus litteralis improprii; cum scil. similitudo adhibita ad aliquid exprimendum mere innuitur, adest *metaphora,* cum integra sententia vel libro continuatur, habetur *allegoria,* cum res assumpta in signum alterius est realitas aliqua, contingit *symbolum,* cum doctrina exhibetur ficta narratione per modum exempli proposita occurrit *parabola*[9]. *Mythus* est personificatio doctrinae sic facta, ut scriptor ex ignorantia vel malitia, objectivam veritatem tribuat fictae personae eamque ita exhibeat, ut lectores ne in suspicionem quidem veniant de fictione, sed mytho tribuant historicam veritatem: *legenda* est adulteratio facti historici, quod sub falsis circumstantiis exhibetur. Hinc patet *metaphoram, allegoriam, symbolum* et *parabolam,* nullum errorem inducere, siquidem similitudinibus scriptor historicam veritatem non tribuit, et sic adhibet, quod apparet sensus translatus; *mythus* e contra et *legenda* veram continent deceptionem verumque historicum errorem, qui accurato examine et novis documentis detegi forte poterint, sed in libro vere continentur.

551. **De forma litteraria Scripturae.** Sicut in manifestatione singularum rerum habetur sensus proprius et metaphoricus, ita in descriptione totius argumenti libri occurrit generalis quaedam ratio considerandi et exponendi obiecta, quae recepta voce dicitur *forma litteraria.* Profecto alius est modus dicendi in poësi et in oratione soluta[10], aliter docetur dialogo et simplici expositione[11], diversimode historicus enarrat praeteritum et futurum annuntiat propheta[12], sicut sermo qui ad sensum refertur singulis loquentis verbis non respondet. Hinc Patres ipsi et interpretes ad verum Scripturarum sensum percipiendum de sa-

---

[9] Sic v. g. cum divina virtus dicitur *brachium Domini,* est METAPHORA: cum Christus se comparat *viti* dein vitis proprietates respectu palmitum evolvens, est ALLEGORIA, sicuti allegoria est integer liber Canticorum: cum Ezechiel *vasis transmigrationis* in conspectu Jerusalem *transmigrabat de loco in loco* SYMBOLICE prophetabat captivitatem Judae: cum Christus se transfiguravit in misericordi *Samaritano* PARABOLA descripsit redemptionem mundi et docuit misericordiam.

[10] CORNELY *Int. in Sacr S. Diss.* V § 2 n. 4.

[11] Cf. quae de libro Job scribit CORNELY *l. c.* § 5.

[12] CORNELY *l. c.* Diss. V § 3 n. 3-4.

crorum librorum forma litteraria soliciti fuerunt. Sed nova schola praedictis formis litterariis addidit *historiographam* qua scriptor, fonte absolute [13] reticito, quin approbet vel reprobet, aliorum opinionem implicitis citationibus refert [14]: *religiosam,* qua supra historicum fundamentum fictae circumstantiae aedificantur ad aedificationem legentium: *antiquam* quae non nudam historiam sed poëma epicum antiquorum more concinnat: *popularem* quae ex orali traditione fabellis et imaginatione populi formam legendariam accipit: *liberam* quae historicum nucleum proprio marte adauget et convestit (*romanzo-storico*): *midrascicam* quae super fundamentum historicum-religiosum cetera elaborat et fingit in ordine ad finem moralem [15]. Quid de his sentiendum sit dicemus in thesi.

552. **Quae consideranda pro solutione difficultatum in Scripturis occurrentium.** IN REBUS DOGMATICIS caute distinguendum est inter doctrinam mere relatam et approbatam, necnon inter sensum proprium, metaphoricum et typicum; et quidem ita, ut in casu sensus dubii, « duo sint observanda: primo quidem, ut *veritas* Scripturae inconcusse teneatur; secundo, cum Scriptura divina *multipliciter exponi possit,* quod nulli expositioni aliquis ita praecise inhaereat, ut, si certa ratione constiterit hoc esse falsum, quod aliquis sensum Scripturae esse credebat, id nihilominus asserere praesumat, ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne iis via credendi praecludatur » [16]. IN PROPHETIIS *contextu optico* saepe typus conjungitur antitypo, et res potius adumbrantur, quam describuntur: distinguere vero opportet inter id quod prophetae spiritu Dei annuntiant et dicta pseudo-prophetarum, qui ex tumore cordis decipiuntur vel decipiunt [17]. IN REBUS HISTORICIS, *a*) *chronologiae* Scripturae non sunt completae, sed plura nomina silentio premuntur, *b*) *computatio annorum* non semper respondet, quia reges aliquando annos enumerant ab electione et aliquando a nova status conditione vel a tempore quo, socio defuncto, soli imperant [18], *c*) *epocha* uti praesuppositum habetur, unde ex communi dictione assumitur: *numeri* non semper mathematice computantur sed saepe sola approximatione: *nomina* aliquando sunt translata iuxta etymologiam et nonnumquam in nostris codicibus amanuensium oscitantia permutata [19]: *facta* inadaequate referuntur et sic diversae circumstantiae

---

[13] *Absolute* scil. ita ut ex contextu nullo modo appareat.

[14] F. PRAT *La Bible et l'Histoire.* Paris 1904.

[15] HUMMELAUER *Exegetisches zur Inspirationsfrage.* Freiburg 1904.

[16] S. THOM. 1 p. q. 68 a. 1.

[17] CORNELY *Intr.* Diss. VI § 3.

[18] Cf. chronol. Judicum apud CORNELY Diss. IV § 16 n. 2.

[19] V. g. *Salmanasar* pro Sargon (CORNELY *Int.* Diss. IV § 35 n. 2), *Nabuchodonosor* pro Asurbanipal (*L. c.* § 37 n. 2), *Assuerus* pro Xerse (*L. c.* § 39 n. 1).

eiusdem facti a diversis recensentur : *sermones* generatim ad sensum referuntur unde, salva veritate, diversis verbis possunt proponi. Tandem cave ne *auctoribus prophanis* infallibilitatem tribuas; saepe enim scribunt ad usum delphini et partium studio facta reticent vel mentita specie enarrant. IN REBUS ARCHEOLOGICIS item attendas ne quasi aurum mundum omnia sumas, quae sub nomine scientiae feruntur; « si enim periti quandoque tam turpiter errant, ut res a coaevis confictas artificibus [20], pro monumentis remotissimorum temporum habeant, quo non divagabuntur palaeontologi in materia, quae arbitrariis aestimationibus multo magis patet, et longe majoribus obscuritatibus involvitur et pro homine moderno causas continet erroris pene in infinitum multiplicatas! » [21]. IN REBUS PHYSICIS « prudens interpres nova systemata, quae naturalistae hodie adstruunt, ut cras illa rejiciant, pro fundamento explicationum suarum non sumet » [22], nec obliviscetur hagiographos « res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora...; vulgari autem sermone ea primo proprieque efferri, quae cadunt sub sensus » [23].

553. **Errores — Veritas.** RATIONALISTAE *errores* et *contradictiones* omnis generis [24], *mythos* [25] et *legendas* seu historias populares [26] tribuerunt Scripturis, « angelorum *apparitiones*... historias fundamentis destitutas, *voces coelestes* ex tonitruum fragore, *somnia* et *visiones* ex legibus psycologicis explicanda » [27] dixerunt. MODERNISTAE eadem repetierunt affirmantes quod « in sacris libris, plurima in re scientifica vel historica errore afficiuntur » [28] et quod patriarchae, qui diluvio praecesserunt et multi ex his qui secuti sunt, non extiterunt sed sunt personificationes populorum, civitatum, antiquorumque eventuum [29]. **Veritas** proposita est a LEO XIII, qui de *inerrantia* Scripturae ait :

---

[20] Quae dicta sint de tiara regis Saitaphernis a coëvis conficta et antiquissimum monumentum reputata, videbis apud BILLOT p. 119.

[21] BILLOT p. 119-20.

[22] CORNELY Diss. III § 6 n. 2.

[23] LEO XIII Enc. *Providentis*.

[24] Vide apud CORNELY cum de authentia et auctoritate uniuscuiusque libri sacri.

[25] SEMLER, EICHHORN, VATER, DE-WETTE, STRAUSS, RENAN apud *Cornely* Diss. III § 18 n. 5.

[26] LUTHARD, HAAEHLER, GRAU, SANDAY apud *Pesch* n. 253 et 269.

[27] WEIGSCHEIDER apud *Pesch* n. 235.

[28] Apud PIUM X Enc. *Pascendi;* LOISY apud *Billot* p. 98-9; ANONYM. *Il Program.* : « Le differenze tra i Vangeli, se si sta alla lettera assorgono bene spesso a vere e proprie antilogie » p. 44; 40; 54; 57 etc.

[29] LOISY *Études bibliques* p. 70 sqq. Valde consentiunt LAGRANGE et ZANECCHIA, qui tamen pro *symbolis* potius quam pro *mythis* habent.

« Tantum abest, ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est Deum summam veritatem nullius erroris auctorem esse » : de *mythis* vero et *legendis* : « Cum SS. PP. inter portenta errorum et impias sententias recenseant *fabulas* vel *mythos* in Scriptura admittere, haec una sufficiens jam ratio debet esse theologo catholico non sequendi hac in re rationalistarum placitum » [30].

THES. 64. *Nullus omnino error est in Scriptura.*

554. **Ex Scripturis.** Hae enim, sicut testantur divinam originem totius Scripturae, ita docent Deum esse veracem [31], mentiri nescium [32]. **Patres** non solum *a*) a difficultatibus cujuscumque ordinis expediunt sacram Scripturam [33], sed *b*) de haeresi damnant qui vel leves errores tribuerunt Scripturae [34], dicentes quod « nullus (est) error (in Scripturis), ubi simplex pietatis affectus atque omnis fidelis est sensus » [35] : *c*) imo tanta est Scripturae veritas, ut non solum absit falsitas « quae mentiendo ponitur, sed etiam ea quae obliviscendo » committitur [36], *d*) nec solum in dogmatibus, sed in omnibus omnino [37], in rebus ipsis physicis [38] et historicis [39], tota sit veritas ; *e*) impossibile quippe est mentiri Deum [40]. *f*) Quod si Scriptura non videatur consentire veritatibus naturalibus, ab illa non est recedendum, quia « aliud est *diverso modo* narrare, aliud *contrario* » [41] ; neque de errore incusanda, sed potius dicendum est « vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum

---

[30] LEO XIII Enc. *Providentissimus;* PIUS IX Enc. *Qui pluribus;* Alloc. *Maxima quidem; Syll.* pr. 7 ; PIUS X Enc. *Pascendi;* DECR. *Lament.* pr. 11, 14, 16.

[31] Ps. **85.** 15 ; Exod. **34.** 6 ; Joan. **3.** 33 ; Rom. **3.** 4.

[32] 1 Tit. **1.** 2 ; Hebr. **6.** 18.

[33] BRUCKER *Questioni d'oggi sulla S. Scrit.* n. 70 sqq.

[34] EPIPH. *Haer.* 76 in fine ; AUG. *C. adv. leg. et proph.* II c. 2.

[35] AMBR. *in Ps.* **37.** n. 6.

[36] AUG. *De cons. Evang.* II c. 12 n. 29.

[37] HIPP. *in Dan.* **3.** 8. EUSEB. *in Ps.* **33.** 1 ; AMBR. *in Luc.* X n. 171 ; CHRYS. *in Paralyt. demis.* 3. 4 ; DAMASC. *De imag.* or. 1 n. 7.

[38] EUSTAC. Ant. *De Engastrim.* 21, 22 ; EPHR. *De resur. mor.;* BASIL. M. *in Exaem.* hom. 9 n. 1.

[39] HIER. *epist.* 46 n. 6 ; AUG. *De Civ. Dei* XVIII 40.

[40] CHRYS. *in Act.* hom. 21, 1 ; AUG. *epist.* 28 n. 3 ; DAMASC. *De imag.* or. 1 n. 2.

[41] CHRYS. *in paralyt. dem.* III 4.

esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse »[42]; de quo profecto non est mirandum, siquidem si non valemus omnem creaturam intelligere, a fortiori obscura inveniemus in supernaturalibus[43]. **Ratio** docet Scripturae errores opponi *divinae veracitati,* quae vetat vel minima falsa docere, *divinae sanctitati,* quae prohibet mendaciis dogmata fidei proponere, *divinae sapientiae,* cui officit mediis ineptis assequi finem; falsa autem physica et historica sunt media prorsus inepta ad assensum supernaturalium veritatum gignendum; qui enim ignorat vel mentitur in rebus humanis, fidem non meretur in divinis[44].

THES. 65. *Licet in Scriptura* — 1 *sensus metaphoricus nonnumquam occurrat* — 2 *nulli tamen in ea sunt mythi nullaeque legendae* — 3 *forma autem litteraria quam moderni dicunt* HISTORIOGRAPHAM — 4 *vel* RELIGIOSAM, POPULAREM *et* LIBERAM *admitti nequit.*

555. **Prima pars.** *Sensus metaphoricus in Scriptura non repugnat.* Nam Scripturae hominibus humano modo loquuntur: atqui metaphorae usus apud homines communissime occurrit: ergo. Cave tamen ne metaphoram pro lubito Scripturae tribuas; quod enim ad ornatum sermonis ordinatur, ad confusionem sensus trahi nequit. In humana locutione res summi momenti verbis propriis exprimuntur, et metaphorae in propria ratione apparere debent: ergo in Scripturis metaphora locum non habet cum verba in sensu proprio dogma fidei exprimunt, in rebus autem historicis a sensu litterali recedere non licet, « excepto casu, *non facile nec temere admittendo,* in quo Ecclesiae sensu non refragrante, ejusque salvo judicio, *solidis argumentis* probetur hagiographum voluisse non veram et propriam historiam tradere, sed sub specie et forma historiae, parabolam, allegoriam, vel sensum aliquem a proprie litterali seu historica verborum significatione remotum proponere »[45].

---

[42] AUG. *ep.* 83 n. 3; JUST. M. *Dial. c. Tryph.* n. 65; HIPP. *in Dan.* 3. 8; EUSEB. *in Ps.* 77. 1; HIER. *ep.* 82; etc.

[43] IREN. *Adv. haer.* II 28.

[44] BILLOT p. 127-128; BRUCKER n. 87 sqq.

[45] COM. BIBL. 23 Jun. 1905; DECRET. *Lament.* pr. 14, 16. Cf. etiam quae eadem COM. BIBL. docet de charactere *historico* Pentateuchi (27 Junii 1906) et maxime priorum trium capitum (30 Junii 1909) necnon Evang. Joan. (29 Maî 1907) atque de vera *prophetica* ratione libri Isaiae (29 Jun. 1908).

556. **Secunda pars.** *In Scripturis non sunt mythi et legendae.* Nam **Patres** docuerunt « fabulosum in sancta et divinitus inspirata Scriptura, prorsus nihil » [46] esse, et vetarunt ne violenter ad allegoricos sensus traherentur, quae historicam speciem habent [47]. Imo ab historico sensu nec tunc recedendum dixerunt cum profanis documentis contradicit, « quidquid (enim) ei resistit, non dubitamus esse falsissimum, quomodolibet se habeant cetera in saecularibus litteris » [48]. « *Adam*, inquit HIER., a Deo plasmatum, *Evam* ex costa illius et latere fabricatam [49], *Enoch* translatum, *Noë* naufrago solum orbe servatum; quod *Abraham* (receperit)... circumcisionem... quod *Isaac* oblatus victima sit... quod *Moyses* et *Aaron* decem plagis Aegyptum afflixerint, quod ad vocem Jesu filii Nave precesque steterit *sol in Gabaon* et luna in valle Ailon... (quod) obsecrante *Samuele* pluviae de coelo et flumina repente manarunt... (quod) *Elias* raptus est in curru... Haec et cetera, quae de sanctis scripta sunt, *nisi quis universa crediderit, in Deum sanctosque credere non valebit, nec adduci ad fidem V. T.* » [50]. **Ratio** est manifesta, nam mythi et legendae veri sunt errores et deceptiones [51] : atqui Scriptura ab omni errore est immunis : ergo.

557. **Tertia pars.** *Forma historiographa seu citationum absolute implicitarum admitti nequit.* Nam repugnat doctrinas revelatas vel approbatas sic misceri prophanis et falsis ut ab his secerni non possint; frustraretur enim finis Scripturae quae ad veritatum notitiam ordinatur : atqui forma *historiographa* ab adversariis proposita haec confundit, siquidem neque ex contextu neque ex traditione de implicita citatione constare potest, unde ea admissa ignorare deberemus quae ad hagiographo approbantur vel non : ergo

---

[46] CYRIL. Alex. *C. Jul.* III.

[47] EUSTACH. *Disp. de Engastr.*; EPHREM *in Gen.* I 1; BISILIUS *in Exaem.* hom. 3. 9; CHRYS. *in Ps.* **9**. 4; ISIDOR. Pelus. IV ep. 203; etc.

[48] AUG. *De Civ. Dei* XVIII 40.

[49] De *serpente* seductore contra Julianum CYRIL. docet non esse fabulam, sed « improbi et malorum principis demonis efficacia factam esse vocem malignitatis suae praetextum serpentem obtendentis... *Quod si ipse* (Julianus) *non credit, non propterea percipi veritas nequit* ». *Cont. Jul.* III.

[50] HIER. *com. in Philem.* 4 sqq.; JUSTIN. M., GREG. Naz., EUSTACH., THEOD. apud *Pesch* n. 523. Cf. COM. BIBL. 30 Junii 1909 ad 2 et 3.

[51] Supra n. 550. PESCH n. 531 et BILLOT p. 146-8 merito addunt quod mythi Scripturae ceteris deceptiores fuissent cum magis fictionem dissimulassent; VIGOUROUX autem (*Manuale Bibl.* n. 168) notat V. T. esse datum ad fabulosas ethnicorum enarrationes evertendas.

merito COM. BIBL. quaerenti, an ad solvendas difficultates Scripturae reponi posset agi de citationibus implicitis, respondit: « *Negative,* excepto casu in quo, salvis sensu ac judicio Ecclesiae, solidis argumentis proberetur: 1) hagiographum alterius dicta vel documenta *revera citare,* et 2) eadem *nec probare nec sua facere,* ita ut jure censeatur non proprio nomine loqui » [52].

558. **Quarta pars.** *Litterariae formae quam moderni dicunt* RELIGIOSAM, POPULAREM, LIBERAM *et similia admitti nequeunt.* Nam huiusmodi formae non solum *a*) renovant mythos et legendas supra improbata [53], atque *b*) obstant fini Scripturae, dum difficilem reddunt notitiam doctrinae ob cujus manifestationem est data [54], sed *c*) absurde contra naturam sensus metaphorici inducuntur. Profecto ut sensus improprius non sit error neque mendacium, a scriptore debet intendi et manifestari: atqui improprius sensus praedictarum formarum litterarium forte ab auctore non intenditur et certe non manifestatur: ergo. PROB. MIN. Nam non manifestatur *ex natura rei* siquidem libri historici V. et N. T. simplicis narrationis formam induunt: non *ex hagiographorum testimonio* nil enim dicunt: non *ex traditione* quae sensum proprium semper intellexit: non *ex usu temporum* quod gratis asseritur [55] et universalis esse nequit: ergo.

559. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Ex divina assistentia Ecclesia fit infallibilis in rebus tantum fidei et morum: ergo ex inspiratione non fit hagiographus infallibilis in rebus physicis et historicis [56]. **Resp.** *Neg. utrumque suppositum;* nam ad res fidei et morum, ut vidimus, etiam facta historica possunt pertinere [57]; nec est paritas inter infallibilitatem Ecclesiae et Scripturae. Profecto infallibilitas Ecclesiae est *participata,* unde illis limitibus coarctatur quibus

---

[52] COM. BIBL. 13 Febr. 1905.

[53] Supra n. 556.

[54] Forma *libera* seu *romantica* non eruditioni sed linguae vel solatio inservit: vix autem vel ne vix quidem in ea distinguitur verum a fictitio.

[55] « Non dovrebbe far meraviglia se presso i popoli orientali, dotati per indole loro di più fervida immaginazione, la storia dia ancor maggior campo all' inventiva » *Il Program.* p. 36; HUM. *Exegetische* etc. apud *Schiffini* n. 43. Sed N. T., ut vidimus n. 142, tempore eminenter historico scriptum est: quod vero attinet ad veterum orientalium fabulas non generi litterarii debentur sed ignorantiae vel mendacio, nisi de scriptis agatur in quibus metaphoricus sensus manifeste appareat.

[56] D'HULTS *La Question Biblique* Paris 1893.

[57] Supra n. 542.

Deus voluit; inspecto autem Ecclesiae fine et Traditionis sensu, scimus Deum non extendisse infallibilitatem Ecclesiae ad ea, quae « licet sub eo tenore, quo ex Dei inspiratione descenderunt, *res fidei* dicendae sint, non tamen (sunt) *res fidei facientes ad aedificationem doctrinae christianae* » [58]; sed infallibilitas Dei est *essentialis*, neque ex parte materiae limitationem suscipere potest; quodcumque ergo Deus inspirat, etsi mere ad historiam vel physicam vel chronologiam pertineat, ab omni prorsus errore immune esse debet.

560. **Obiic. 2.** Verbum assumens humanam naturam coassumpsit humanos defectus: ergo inspirans hominem, non tenetur humanae infirmitatis defectus seu errores impedire [59]. **Resp.** *Neg. paritatem* et *suppositum*. Nego *paritatem* quia humanae operationes Christi non procedebant efficienter a divina natura, inspiratione e contra Deus fit vere Scripturae auctor principalis. Nego *suppositum* quia hypostatica unione Verbum non assumpsit defectus, qui divinam Personam dedecebant, et ejus humana natura plena fuit gratia et veritate: si ergo paritas teneret concludendum foret inspiratione hagiographum immunem fieri ab erroribus.

561. **Obiic. 3.** Scientiae physicae et historicae progrediuntur, unde « liber verus secundum scientiam hodiernam, non jam esset verus secundum scientiam crastinam »: ergo scientificae affrmationes Scripturae quae olim forte erant veritates, nunc sunt errores [60]. **Resp.** *Neg. suppositum*. Scientia veritatem non constituit sed detegit, quare progressus scientiae non consistit in mutatione veritatis, sed in perfectiori cognitione naturae et in exclusione errorum qui olim reputabantur veritates. Quis dicet solem circuire terram fuisse aliquando verum, nunc falsum? Ceterum de paradoxo *veritatis relativae* diximus supra [61].

562. **Obiic. 4.** Hagiographi voluerunt intelligi a contemporaneis: ergo eorum opinionibus debuerunt se accomodare [62]. **Resp.:** Salva semper veritate *conc.* secus *neg.* Profecto a saeculo non est auditum quemque vera falsis commiscere ut a contemporaneis intelligatur! Utique *voces* in significatione vulgata sive scientifica sive populari adhibere debet, sed *opiniones falsas* homo veridicus non amplectitur. Hagiographi non erant magistri prurientes auribus, qui hominibus placere quaerebant, nec incredulos ad finem perducere volebant illorum blasphemias approbando.

---

[58] BILLOT p. 99. Si de facto Deus haec revelavit, profecto sub infallibili Ecclesiae magisterio cadunt.

[59] LOISY apud *Pesch* n. 364.

[60] LOISY apud *Pesch* n. 365.

[61] Supra n. 501.

[62] MODERNISTAE in Enc. *Pascendi*.

563. **Obiic. 5.** « Dicere possumus auctores biblicos non errasse cum... non habuerint *formalem intentionem* docendi ut verum quod nos falsum cognoscimus » [63], vel quia « characteri historiae religiosae non obstat fictio, siquidem saepius historiae fictae magis in exemplum sunt quam verae » [64]. Ergo. **Resp.** Remotio voluntatis decipiendi a mendacio forte excusat sed non ab errore; nec finis media justificat. « Si quis diceret, inquit AUG., quid in hoc mendacio (Scripturae) perhorrescis... quod etiamsi falsum sit, ad laudem Dei maxime pertinet? Nonne hujus detestatus *insaniam*... penetralia sui cordis aperiret, clamans non minore aut fortasse etiam majore scelere in Deo laudari falsitatem, quam vituperari veritatem? » [65].

564. **Obiic. 6.** « Multa, inquit HIER., in Scripturis dicuntur juxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur et *non juxta quod rei veritas continebat* » [66]: ergo in Scriptura datur veritas *relativa* ad temporum opiniones. **Resp.** Docet Hier. verba Scripturae non semper esse explicanda juxta etymologiam et proprietatem vocis, quia hagiographus saepe utitur popularibus locutionibus *conc.*, docet falsa historica vel mythos esse in Scripturis *neg.* HIER. l. c. dicit Jeremiam vocasse Ananiam *prophetam* et non *pseudo-prophetam*, quia vulgus eum vocabat prophetam, adnotasse tamen hanc opinionem esse falsam [67].

565. **Obiic. 7.** Summa est similitudo, pantheisticis notionibus detractis, inter historiam biblicam, et historiam populorum orientialium: atqui huiusmodi historiae sunt plenae mythis et legendis: ergo [68]. **Resp.** *Nego consequentiam.* Similitudines inter Scripturam sacram et historias populorum ex communi et veraci origine possunt explicari; tantum vero abest ut ex illis notio fabulosa Scripturae eruatur, ut potius apologetae, inde arguant omnimodam veritatem ejus, quae sine turpitudinibus et fabulis tenet quidquid veritatis apparet in aliis religionibus [69].

566. **Obiic. 8.** Iuxta Scripturam *a*) sol et luna sunt duo luminaria magna [70], sol movetur [71], terra stat [72], *b*) coeli sunt solidissimi [73]

---

[63] LOISY apud *Pesch* n. 365.

[64] ANON. *Il Program.* n. 37.

[65] AUG. *Epist.* 28 n. 4.

[66] HIER. *in Jerem.* **28**. 10.

[67] HIER. consonat LEO XIII Enc. *Provid.* cum dicit aliquando hagiographos res exponere « sicut communis sermo per ea ferebat tempora »; absurdissime enim et contra contextum trahuntur haec verba ad veritatem *relativam* et ad *errores populares*: sunt de sermone vulgari ut patet ex immediate insequentibus: « *hodieque* de multis fert rebus in quotidiana vita, *ipsos inter homines scientissimos*. Vulgari *autem* sermone... ».

[68] LOISY *Les mistères babyloniens et les premiers chapitres de la Génèse.*

[69] CORNELY Diss. IV § 7 n. 2; BILLOT p. 122-4. COM. BIBL. 30 Jun. 1909 ad 2.

[70] Gen. **1**. 16.

[71] Jos. **10**. 12; Eccl. **1**. 5.

[72] Eccle. **1**. 4.

[73] Job **26**. 11.

et columnis sicut terra firmantur [74], *c*) lepor ruminat [75], formica hieme comedit quod aestate collegit [76], struthio ova non fovet [77], etc.: atqui haec sunt errores physici: ergo. **Resp.** Sunt errores si verba sumantur in locutione propria et scientifica *conc.* si sumuntur locutione vulgari vel metaphorica aut quasi praesupposita et similitudines, *neg.* Quae primo loco objiciuntur sunt vera *locutione vulgari* unde sicut a viris scientissimis in sermone familiari hodie sine injuria dicuntur, ita sine errore potuerunt inspirari: quae secundo loco objiciuntur sunt *locutio poëtica* seu metaphorica, quae a physica rei natura praescindit: de lepore jam diximus, agi de *lege,* in qua rei natura non affirmatur sed praesupponitur ex communi dictione: cetera sunt *similitudines* in quibus iterum sola exterior proprietas in exemplum sumitur [78] omne quippe exemplum claudicat et animalia, quae instinctu moventur, nec mansuetudinem, nec prudentiam, nec crudelitatem aut ignaviam in se habent.

567. **Obiic. 9.** AUG. dies creationis sensu idealistico proposuit, ORIG. plurima sensu allegorico exposuit quia litterali erant falsa et absurda, CAJET. historicam veritatem efformationis Evae de costa Adam negavit, atque PATRES saepe disputant de sensu quorumdam testimoniorum: ergo de historica veritate Scripturae nil e Traditione evincitur. **Resp.** *Nego consequentiam.* Solus R. P. personali infallibilitate gaudet in Ecclesia; quod itaque unus vel alter Pater, unus vel alter theologus canat extra chorum, mirum non est: dissensus paucorum non infirmat aliorum consensum. Porro errores scholae Alexandrinae correcti sunt a schola Anthiochena [79]. Ceterum neque AUG., neque ORIGEN. neque schola ALEX. de errore historico damnarunt hagiographos, sed de verborum sensu proprio vel analogico egerunt [80]; CAJET. vero in re Scripturae non magnae est auctoritatis [81].

568. **Obiic. 10.** Forma litteraria spectat ad *stylum* qui non debetur Deo principali auctori Scripturae: cum ergo fuerit ab homine prophana critica dijudicari debet. **Resp.** Cum forma litteraria ipsum verborum sensum attingat, ad eam principalis auctor indifferens esse nequit; sed divina assistentia quae hagiographum regit in electione ver-

---

[74] Job **9.** 6; **26.** 11.

[75] Lev. **11.** 6.

[76] Prov. **30.** 25.

[77] Job. **39.** 15; Thren. **4.** 3.

[78] Ceterum attendas Scripturam non affirmare manducationem *hiemalem* formicae, sed solam praeparationem cibi, neque negare foecundationem ovorum struthionis sed eorum custodiam.

[79] CORNELY *Introd.* Diss. III § 9 n. 3; PESCH n. 68, 77 sqq.

[80] BRUCKER n. 76 sqq. Quaedam analogice posse exponi in ipsis primis tribus capitibus Geneseos concedit etiam COM. BIBL. 30 Junii 1909 ad 6.

[81] CORNELY *l. c.* n. 6.

borum ne erret, a fortiori adjuvat ut opportunam formam eligat, eamque curat lectoribus patefacere ne verus Scripturae sensus occultetur.

569. **Obiic. 11.** Errores repugnant Scripturae prout obstant cognitioni veritatis : atqui ad veritatem infallibiliter cognoscendam Deus instituit Ecclesiae magisterium : ergo [82]. **Resp.** Infallibile magisterium Ecclesiae hac de re frustra invocatur [83] : *a*) quia non est quaestio de sola possibilitate, sed *de facto,* de quo Scriptura ipsa et Traditio contra inauditas novitates protestantur : *b*) quia errores Scripturae intrinsece obstant veracitati Dei, qui illius est auctor principalis : *c*) quia Scripturae sunt datae etiam ut historica sua veritate fidei viam parent : *d*) quia non est sapientis opus imperfectum facere, ut corrigat. *e*) Adde Ecclesiam voce Patrum et RR. PP. saepius inerrantiam Scripturae testasse : si ergo ipsa est magistra, omnimoda Scripturae veritas fatenda est.

ARTIC. 6 - DE SCRIPTURARUM CODICE ET INTERPRETATIONE.

570. **Quaestionis ratio.** Hucusque Scripturam in se ipsa consideravimus, manet ut in concreto dicamus ubinam consistat et quaenam sit realis auctoritas codicum nostrorum : tres autem quaestiones occurrunt, de *libris* scil. qui inspirati sunt, de modo quo sunt *servati,* et de *volumine* ubi inveniuntur : prima est quaestio de *canone,* altera de *integritate,* tertia de *codice authentico;* quibus coronidis gratia verbum de *regula interpretationis* addemus.

571. **Qui scripturarum canon.** *Canon* vox graeca, idem sonat quod *regula* ac primitus impositum est Scripturae generice inspectae prout viam veritatis et salutis infallibiliter docet, mox vero ad volumen in quo huiusmodi regula continetur transiit et *complexus omnium Scripturarum* dictus est canon : quia tandem complexus librorum veluti in summa exhibetur *elencho,* nomen canonis ultimo ad elenchum sacrorum librorum devenit. Quaestio nostra est de medio, quo libri inspirati a profanis distinguuntur, et in Scripturae elencho recensentur.

572. **Quae Scripturae genuinitas.** *Genuinitas* respicit auctorem, unde Scripturae dicuntur genuinae si referunt opus ab hagiographis exaratum, processu temporis additamentis vel evolutione non mutatum. Verum dupliciter quaestio de genuinitate potest pro-

---

[82] LOISY *Études Bibliques* p. 59.

[83] BILLOT p. 130 argute comparat novos exegetas incendiariis, qui ignem admovent domui, « quia sunt in civitate ad extinguenda incendia vigiles (*pompieri*) constituti ».

poni : *specifice* de determinato auctore, cui Scripturae inscribuntur vel attribuuntur, et *generice* de hagiographo quicumque tandem ille fuerit. Prima quaestio, etsi non indifferens [1], generatim [2] ad historiam spectat et in schola S. Scripturae agitur : altera theologica est; huic autem authentiae non obstant secundaria quaedam additamenta pristino opere facta ab alio inspirato auctore [3], siquidem etiam in profanis libris secundariae additiones libri originem non attingunt, et in Scripturis principalis auctor idem est omnium.

573. **Qui codex authenticus.** « Authenticum instrumentum est illud, quod per se ipsum fidem facit, nec alterius confirmatione indiget. Quo stricto sensu sola sacrorum auctorum autographa, si adhuc essent superstita, forent authentica, quia nemo eis fidem negare posset. Latiore autem sensu authentica habentur apographa quoque omnia, de quorum conformitate cum authographis constat » [4]. Haec authentia attenditur in *textibus originalibus* non minus quam in *versionibus*, et dividitur in *substantialem* et in *absolutam* (seu modalem) prout conformitas est tantum [5] in iis quae finem libri directe attingunt vel etiam in ceteris omnibus utut secundariis. Authentiam Scripturae consideramus *substantialem*, et quia Scripturae substantia constat *rebus fidei* et *morum*, dicimus in iis codices authenticos consonare autographis [6]. Porro authentia

---

[1] Nam « quaestiones istae intime connectuntur cum dogmate, quo edocemur fuisse in Apostolis clausum atque ultimo sigillatum catholicae revelationis depositum ». BILLOT p. 67.

[2] *Generatim,* nam de quibusdam Scriptura ipsa vel Traditio divinum reddit testimonium. Cf. de *Moyse* CORNELY Diss. IV § 3 n. 2; COM. BIBL. 27 Jun. 1906 : de *Davide* 2 Reg. **22**. 1 sqq.; Matth. **22**. 43; etc. : de *Isai.* COM. BIBL. 29 Jun. 1908 : de *Joan.* **21**. 20; 24; COM. BIBL. 29 Maî 1908 : de *Paulo* 2 Petr. **3**. 16.

[3] Sic v. g. quaesito : « Utrum, salva substantialiter Mosaica authentia et integritate Pentateuchi, admitti possit tam longo saeculorum decursu nonnullas ei modificationes obvenisse, uti additamenta post Moysis mortem vel ab auctore inspirato apposita, vel glossas et explicationes textui interjectas, vocabula quaedam et formas e sermone antiquato in sermonem recentiorem translatas, mendosas demum lectiones vitio amanuensium adscribendas, de quibus fas sit ad normas artis criticae disquirere et judicare », COM. BIBL. 27 Jun. 1906 respondit : *Affirmative, salvo Ecclesiae judicio.*

[4] CORNELY *Intr.* Diss. 2 § 3 n. 1.

[5] Cum dicitur conformitatem esse *tantum* in iis quae ad finem libri spectant, non affirmatur dissonantia in ceteris omnibus, sed docetur in ceteris difformitatem *posse* contingere saltem *aliquando.*

[6] Itaque consonantia in rebus fidei et morum *a priori* statui potest, in ceteris ex auctoritate codicum *a po-*

dicitur *scientifica* si argumentis evincitur, *authentica* si auctoritate infallibili constat. Authentia Vulgatae de qua agimus in thesi est *versionis, substantialis* et *authentica* cui non opponitur authentia scientifica textuum originalium [7].

574. **De Scripturae usu et interpretatione.** Sancta sancte tractanda sunt; cum ergo Scriptura sit sancta, pro eaque custodienda martyres non dubitarint sanguinem effundere, profecto ex levitate vel joco ad turpia vel inutilia non est trahenda [8], nec iisdem hermeneuticae regulis, quibus profani libri explicantur, exponenda [9], nec solis naturae viribus scrutanda, sed auxilio gratiae Spiritus S. [10], in fide et humilitate [11], cum sobrietate [12] judicanda, iuxta sententiam Patrum, qui ut Traditionis testes sunt infallibiles, et ut privati doctores ceteris praestant scientia sacra et amplioribus luminis Dei praesidiis quibus sunt adiuti [13].

575. **Errores — Veritas.** Scripturae *canonem* corruperunt REFORMATORES a S. Scriptura excludentes libros deuterocanonicos; *genuinitatem* RATIONALISTAE et MODERNISTAE quos audivimus originem nostrorum codicum explicare continua evolutione quorumdam fundamentalium documentorum [14]: *Vulgatae authentiam* nimis *minuerunt* qui ad legalem tantum approbationem reduxerunt [15], ultra iustos fines *exaggerarunt* qui etiam modalem esse voluerunt [16]: *independentiam exegetum* ab Ecclesiae interpretatione et ab unanimi Patrum consensu saepe proclamarunt MODERNISTAE heterodoxorum etiam explicationes praeferentes [17]. **Veritas** proposita est in CONC. TRID. quod Scripturarum *canonem* definivit: sacrorum librorum *genuinitatem* tuitum est anathemate plectendo eos qui li-

---

steriori est judicandum. Hinc patet praesentem distinctionem neque practice enervare quae diximus de Scripturae inspiratione et inerratia in iis quae non sunt fidei et morum; saepe enim et in iis codicum authentia potest demonstrari.

[7] Attendas CONC. TRID. Vulgatam praetulisse ceteris *latinis versionibus* sed non codicibus originalibus, neque aliis versionibus: porro codicum originalium authentia scientifice probatur, auctoritas vero *Versionis* LXX a XYSTO V est definita. Cf. CORNELY Diss. II § 3, § 7; § 12.

[8] CONC. TRID. *De usu Sacr. Scrip.*

[9] LEO XIII Enc. *Providentis.*

[10] HIER. in Mich. **1.** 10.

[11] ORIG. epist. ad *Greg. Neoc.*

[12] Rom. **12.** 3.

[13] LEO XIII Enc. *Provident.*

[14] Supra n. 518.

[15] BUONACCORSI in *Scuola Catt.* Agosto, Settembre 1902.

[16] MARIANA, PONCI apud CORNELY Diss. 2 § 18 n. 3.

[17] DECR. *Lament.* pr. 4, 12, 19, 32, 61; Enc. *Pascendi; Il Program.* p. 32.

bros sacros et canonicos non suscipiunt « integros cum omnibus suis partibus » : *authentiam Vulgatae* apertis verbis proposuit : quoad *interpretationem* vero *Scripturae* decrevit « ut nemo... in rebus fidei et morum... sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia... aut etiam contra unanimem consensum Patrum... interpretari audeat » [18].

THES. 66. *Scripturae canon — 1 ex solo Ecclesiae magisterio potest agnosci; — 2 ille ergo retineri debet quem docuit Conc. Tridentinum.*

576. **Prima pars.** *Canon Scripturae solo Ecclesiae magisterio potest agnosci.* Nam licet inspiratio hagiographa a revelatione distinguatur, *factum* tamen *inspirationis,* utpote intrinsece supernaturale, sola revelatione innotescere potest, *Scriptura* vero, ut divina locutio, ad revelationis obiectum pertinet [19] : atqui organum authenticum pro revelationis cognitione est Ecclesiae magisterium [20] : ergo. Profecto si aliter posset cognosci, vel esset ex ipsa Scriptura vel ex Spiritus S. instinctu vel ex rationis lumine vel ex plebium sententia : atqui *non ex Scriptura* quia sine circulo vitioso saltem ultimus liber inspiratus de se testimonium dare non potest : *non ex Spiritus S. instinctu,* quia huiusmodi impulsus non probatur, illusionibus subjacet et experientiae ac opinionum varietati contradicit : *non ex rationis lumine* quia *animalis homo non percipit quae sunt Spiritus* [21] et inspiratio non se habet ex parte obiecti, quod considerationi subjacet, sed ex parte principii quod mentis aciem fugit : *non ex plebium testimonio* quia, ut vidimus, in plebe non est magisterium activum, sed passivum [22] : ergo *ex magisterio Ecclesiae,* juxta illud AUG. : « Ego Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas » [23].

577. **Secunda pars.** *Verus haberi debet canon a Tridentino recensitus.* Nam agitur de vera et proprie dicta *definitione,* ut patet ex poena anathematis inflicta renuentibus, et definitio est supremus actus magisterii Ecclesiae [24]. Porro Tridentini definitio

---

[18] CONC. TRID. Sess. 4; VATIC. *Dei Filius* cp. 2 § 2 cn. 4.

[19] Supra n. 529.

[20] Supra n. 384.

[21] 1 Corinth. 2. 14.

[22] Supra n. 345 sqq.

[23] AUG. *C. epist. Manich.* c. 5 n. 6.

[24] Agi de vera definitione dogmatica manifestum est siquidem anathemate plectuntur qui negant.

confirmatur historicis documentis, siquidem exegetae ostendunt integros Scripturae libros, a Concilio recensitos, uti sacros a Patribus adhibitos fuisse.

THES. 67. *Libri sacri saeculorum decursu non sunt substantialiter corrupti vel evoluti.*

578. Nam mutationis affirmatio *a*) innititur gratuitis assertis de evolutionis necessitate, *b*) contradicit solicitudini Patrum de Scripturarum puritate, *c*) repugnat divinae Providentiae, cui spectat fidei objectum et testimonium incorruptum servare, *d*) nec potest componi cum multiplicatione codicum, qui simul profecto eodem modo mutari non potuerunt.

THES. 68. *Licet Vulgatae authentia — 1 non importet absolutam conformitatem cum hagiographorum autographis, tamen — 2 nequit coarctari ad legalem ejus usum, sed — 3 exigit ut sit legitimus revelationis fons in iis quae fidem et mores attinent.*

579. **Prima pars.** *Vulgatae conformitas cum hagiographorum autographis non est absoluta.* Hoc certe *a*) Patres Tridentini definire noluerunt, siquidem Vulgatae correctionem R. P. demandarunt : *b*) contradicit historiae Concilii, quia legati R. P. et theologi Concilii plura menda in Vulgata agnoverunt : *c*) *non consonat explicite declarationi Pii IX,* qui vetuit tantum « ne quid in rebus fidei et morum contra Vulgatam asseratur » [25].

580. **Secunda pars.** *Authentia Vulgatae non potest reduci ad solum usum legalem.* Nam motiva adducta a Tridentino non respiciunt *usum legalem* sed *intrinsecam conformitatem* cum autographis. Profecto Concilium praecipit Vulgatam ab omnibus recipi, quia « longo saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est », authenticamque dixit « ut non parum utilitatis accedat Ecclesiae Dei » : atqui *probatio* bonitatem doctrinae respicit et *utilitas* ex veritate sequitur : ergo. Ceterum codicis impositio pro *usu legali* judicium de intrinseca codicis veritate supponit, siquidem irrationabiliter corrupti codicis usus praeciperetur.

581. **Tertia pars.** *Vulgata in rebus fidei et morum Scripturae autographis consonat.* Nam authentia saltem in substantia libri esse debet : atqui substantia Scripturae sunt res fidei et morum, ad

---

[25] PIUS IX apud *Franz.* De Script. th. 19 p. 563.

quas edocendas est data : ergo. Insuper ordinario Ecclesiae magisterio repugnat ut universim et longo tempore proponatur fidelibus doctrina falsa de rebus fidei et morum : atqui hoc contigisset si Vulgata errorem contineret in re fidei et morum, siquidem longo saeculorum usu fidelibus uti verbum Dei est proposita : ergo. Confirmatur testimonio theologorum Concilii qui testati sunt « eatenus voluisse concilium Vulgatam authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam defoedatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi posset » [26].

THES. 69. *Contra sensum quem tenuit et tenet Ecclesia ideoque contra unanimem Patrum consensum Scripturam interpretari non licet.*

582. **Argum.** Nam vidimus Scripturam obiective inspectam esse proprie dictam revelationem [27] : mutare ergo sensum Scripturae est mutare sensum revelationis, et de errore damnare Ecclesiam qui pristinum sensum definivit : atqui sensus revelationis mutari nequit [28] et Ecclesia est magistra infallibilis in rebus fidei et morum [29] : ergo. Quod autem dicitur de Ecclesia, valet de consensu Patrum, siquidem « quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant (Patres) omnes; ex ipsa eorum consensione, ita ab Apostolis secundum catholicam fidem traditum esse nitide eminet » [30].

583. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Libri deuterocanonici et deuterocanonica fragmenta in PP. operibus et in praecipuis codicibus desiderantur : ergo processu temporis apparuerunt Scripturae evolutione [31]. **Resp.** *Neg. assertum* et *consequentiam.* Nam partes deuterocanonicae in aliquo codice extant et facilius explicatur eorum exclusio a canone quam introductio [32]. Nil autem mirum quod in paucis fragmentis operum Patrum apostolicorum, quae supersunt, non inveniantur omnia Scripturae testimonia; pro opportunitate enim et scientia Scripturam adhibuerunt. Porro Hier. theoretice potius quam practice ex falsa Orig. signorum interpretatione erravit, eiusque dissensus ceterorum consensum non infirmat [33].

---

[26] Apud Cornely Diss. II § 18 n. 4.
[27] Supra n. 529.
[28] Supra n. 510.
[29] Supra n. 366 sqq.
[30] Leo XIII Enc. *Providentis.*
[31] Anon. *Il Program.* p. 28 sqq.
[32] Cf. v. g. Cornely de exclusione historia adulterae (Diss. VII § 7 n. 7) et de Apoc. (Diss. IX § 1 n. 2-3).
[33] Cornely Diss. I § 4 n. 8-9.

584. **Obiic. 2.** Scripturae sensus ex vocum etymologia, ex codicum originalium cognitione, ex multiplici contextu eruitur: atqui in his Protestantes et Rationalistae praestant Patribus, qui originales codices ignorabant, filologiam nesciebant, artem criticam non callebant et testimonia ex praejudiciis interpretabantur: ergo [34]. **Resp.** De Patrum scientia infra dicemus, nunc revoca Scripturam humana tantum arte non interpretari, siquidem est opus divinum; « licet (ergo) heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, juvari interdum possit interpres catholicus, meminerit tamen, ex crebris quoque veterum documentis [35], incorruptum sacrarum Litterarum sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse [36], qui verae fidei expertes, Scripturae non medullam attingunt sed corticem rodunt » [37].

CAPUT III.

De divina Traditione.

585. **Capitis divisio.** Diximus de divina revelatione formaliter scripta, sed homines non solis scriptis, verum etiam viva voce suas ideas patefacere solent; dignatusne est et Deus quaedam revelare sine scriptis? Ne autem in ipso tractationis limine difficultates occurrant, nota quaestionem non esse de medio quo revelatio est *conservata,* sed de modo quo est *facta;* unde doctrina a Deo primitus sine hagiographa inspiratione patefacta dicitur *tradita,* quamvis dein opera Patrum et Doctorum fuerit scriptis consignata. Porro de hac revelatione tradita duo quaeruntur, *factum* et *cognitionis* modus; hinc duo art. hujus capitis: 1 *De existentia divinae traditionis* — 2 *De divinae traditionis cognitione.*

---

[34] MODERNISTAE passim. *In Il Program.* p. 32 sibi objiciunt: « Ma, si dice, sono razionalisti! », et respondent: « E che per questo? le loro ricerche si fondano non sopra il loro razionalismo, ma i loro raziocinii, il loro vasto sapere e sopratutto la scrupolosa osservazione di testi e di fatti ». Cf. p. 18 etc.

[35] CLEM. Alex. *Strom.* VII n. 16; ORIG. *De Princ.* IV n. 8; *in Lev.* hom. 4 n. 8; TERTUL. *De praescr.* n. 15 sqq.; HIL. in *Matth.* **13.** 1.

[36] Cf. AUG. *De util. cred.* n. 13; VINC. Lirin. *Com.* n. 2; GREG. M. *Moral.* XX c. 9.

[37] LEO XIII Enc. *Providentis.*

Artic. 1 - De existentia divinae traditionis.

586. **Quid Traditio.** Secundum nomen *traditio* sonat transmissionem cujuscumque rei, quae fiat de uno in alium : sacra significatione, ab Apostolo derivata [1], dicit doctrinam vel institutum a majoribus acceptum : stricte vero sumpta prout a Scriptura distinguitur, est *doctrina vel institutum ad fidem et mores pertinens, quod viva voce quasi de aure ad aures ad nos usque pervenit.* Si hujusmodi doctrina consideratur in magisterio eorum qui eam communicarunt, traditio dicitur *activa,* si in se ipsa *passiva* seu *obiectiva,* si utrumque simul attenditur seu consideratur doctrina quatenus organo majorum ad nos pervenit vocatur *formalis* seu *complexiva.*

587. **Formalis traditionis praecipuae distinctiones.** Traditio dividitur ratione *originis* a qua est, ratione *medii* quo servatur, ratione *respectus ad Scripturam* a qua distinguitur. Ratione originis dicitur *divina* si servat doctrinam a Deo manifestatam, *humana* si hominum institutiones ad posteros transmittit : porro traditio humana dividitur in *profanam* et *ecclesiasticam* quae dispescitur in *apostolicam* et *simpliciter ecclesiasticam* prout ab Apostolis procedit vel ab eorum successoribus; quae autem Apostoli non propria auctoritate statuerunt, sed vel a Christo acceperunt vel de eius mandato egerunt, constituunt traditionem *apostolico-divinam* [2]. Cum medium transmissionis doctrinae sunt opera Patrum, vel decreta Conciliorum vel Doctorum explicationes, traditio dicitur *scripta;* cum continetur in vivo magisterio Ecclesiae vocatur *oralis.* Respectu habito ad Scripturam traditio vocatur *inhaesiva* si doctrinam in Scriptura contentam servat et explicat, *constitutiva* si exhibet doctrinam de qua Scriptura silet vel inadaequate tantum loquitur.

588. **Magisterium Ecclesiae et Traditio.** Agentes de *magisterio ordinario* Ecclesiae diximus cum Franz. ipsum constituere *activam traditionem* [3] : hoc sine dubio verum est, siquidem medium

---

[1] 2 Thess. **2.** 14; Exod. **17.** 14.

[2] Traditio *apostolico-divina* distinguitur ab alia : *a*) ratione *materiae,* si nempe doctrinam continet, quae sola revelatione potest innotescere v. g. assumptio B. V.; *b*) ratione *modi* quo proponitur, scil. si affirmatur quod Ecclesia non valet mutare, v. g. quod episcopus Romae Primatum tenet; *c*) ex Ecclesiae *definitionibus,* quibus v. g. contraria sententia de haeresi damnatur.

[3] Supra n. 342 in nota.

a Christo institutum pro trasmissione doctrinae fidei est praedicatio explicita et implicita episcoporum *cum* et *sub* R. P., quibus Ille dixit : *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium* [4] : sed simpliciter loquendo *traditio* differt a *magisterio ;* primo quidem quia magisterium nequit coarctari ad revelationem traditam, sed attingit facta dogmatica et doctrinas connexas [5] revelationi, quam insuper infallibiliter explicat, secundo quia traditio passive inspecta continetur etiam in fidelium fide, seu in Ecclesia discente [6].

589 **Errores — Veritas.** Traditionem uti fontem distinctum a Scriptura negarunt ARIANI, PELAGIANI et REFORMATORES [7], atque corruperunt MODERNISTAE definientes « transmissionem viventem spiritus religiosi ex Evangelio emanantis » [8]. **Veritas** prostat in CONC. TRID. definiente *doctrinam fidei* « contineri in libris scriptis et *sine scripto traditionibus,* quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu S. dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt » [9].

THES. 70. *Pro revelationis fonte habenda est — 1 divina Traditio, quae — 2 non in transfusione spiritus religiosi, sed in trasmissione veritatum revelatarum consistit.*

590. **Prima pars.** *Divina traditio est fons revelationis a Scriptura distinctus.* Nam medium a Christo institutum ad cognoscendam revelationem seu *Evangelium* et *quaecumque dixit,* est apostolorum *praedicatio* futura usque ad finem mundi [10] : atqui Evangelii praedicatio usque ad finem mundi permanere non potest sine successiva transmissione ejusdem revelationis : ergo divina traditio est medium a Christo institutum pro revelationis cognitione, ideoque verus revelationis fons. Hunc autem distingui a Scriptura manifestum est, siquidem praedicatio est *oralis* annuntiatio doctrinae quae *aure* percipitur et *peregrinationibus* communicatur [11] : quare

---

[4] Marc. **16**. 15.
[5] Supra n. 385.
[6] Supra n. 364.
[7] Apud GROOT p. 751.
[8] ANON. in *Il Program.* p. 23.
[9] CONC. TRID. Sess. 4 *De Can. Scrip.*
[10] *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium* (Marc. **16**. 15) : *docentes servare omnia quaecumque mandavi vobis : et ecce ego vobiscum sum* (profecto in munere evangelizatorum) *usque ad consummationem saeculi.* Matt. **28**. 20.
[11] *Quomodo audient sine praedicante ? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur ? sicut scriptum est : Quam speciosi pedes evangelizantium...* Rom. **10**. 14-5.

Apostoli, ut susceptum mandatum executioni mandarent, *profecti praedicaverunt ubique* [12] speciali tantum de causa quaedam scriptis committentes. Hinc APOSTOLUS ad Timotheum : *Quae* AUDISTI *a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et* ALIOS DOCERE [13], ubi vides Timotheum viva voce (*audisti*) in publico (*per multos testes*) [14] suscepisse depositum fidei, quod contra insurgentes haereses [15], *etiam* auxilio Scripturarum [16], custodire debebat atque tradere (*commenda*) fidelibus hominibus, qui propria vice magistri et praedicatores effecti, alios docerent : atqui in transmissione doctrinae revelatae propria traditionis ratio invenitur [17] : ergo. **Patres** *a*) incessanter hortantur fideles *traditionibus inhaerere* [18], quas distinguunt a Scripturis sicut alium revelationis fontem [19], secundum quem revelata doctrina est dijudicanda [20]; siquidem « illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione » [21]. *b*) Hanc porro traditionem, quam ex Scripturis evincunt [22] et in Conciliis profitentur [23],

---

[12] Marc. **16**. 20.

[13] 2 Tim... **2**. 2.

[14] Sic explicant *per multos testes* CHRYS., THEOPH., OECUM., VINC. Lirin. (apud *A Lapide*) ; alii cum CLEM. (*Hypotyp.* VII) intelligunt de confirmatione doctrinae ex testimoniis V. T. ; et forte exponi potest de miraculis, quibus Apostolus confirmabat suam praedicationem (1 Corinth. **2**. 4). Qui has explicationes praefert non infirmat argumentum ; Scripturis enim et miraculis non sola revelatio scripta confirmatur, sed praeprimis praedicatio oralis.

[15] 2 Tim. **2**. 15 sqq. ; **3**. 1-14.

[16] 2 Tim. **3**. 1-17 distinguit Scripturam a traditionibus oralibus, de quibus dixerat in praecedentibus.

[17] Argumentum simile conficitur ex 2 Thes. **2**. 15 : *Tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram;* aperte enim Apostolus distinguit revelationem scriptam (*per epistolam*) ab alia ore traditam (*per sermonem*).

[18] IGNAT. M. apud *Euseb. Hist. Eccl.* III c. 36 ; POLYC. *ad Philipp.* 7 ; IREN. *Adv. Haer.* III 4 ; TERTUL. *De praesc.* n. 28, etc.

[19] Auct. *epist. ad Diognet.;* IREN. *Adv. Haer.* III c. 5 ; TERTUL. *De coron.* 3 ; *De praescr.* n. 19 ; BASIL. *De Spir. S.* c. 27 ; CHRYS. *in* 2 *Tess.* hom. 4 n. 2 ; VINC. Lirin. *Com.* n. 32.

[20] ORIG. *De princ.* praef. n. 2 ; ATHAN. epist. *ad Epictet.;* CYPR. *Epist.* 63 ; SERAP. apud *Euseb.* H. E. VI c. 12 ; VINCEN. Lir. *Com.* 29-31.

[21] ORIG. *De Princ.* II n. 2.

[22] Cf. BASIL. *De Spir. S.* c. 29 ; EPIPH. *Haer.* 61 ; CHRYS. *in commentariis;* DAMAS. *De Fide Orth.* IV c. 17 etc., qui traditionis auctoritatem derivant ex 1. Corint. **11**. 2 ; 2 Tessal. **2**. 15 ; 1 Tim. **1**. 13-14 ; 2ª **2**. 2 ; **6**. 20.

[23] CONC. NICAEN. apud *Athan.;* CHALCED. act. 2 ; CP. II in concl. definit. ; NIC. II in defin. fidei etc.

non solum inhaesivam Scripturae sed etiam extensivam intelligunt; siquidem docent ea aedificari fidem « etiamsi Scripturae auctoritas non subesset...; nam multa, quae per traditionem in ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptae legis usurparunt » [24]. Sicut autem theoretice ita *c*) et *practice* traditionem pro revelationis fonte habuerunt ex ea, non minus quam ex Scriptura, fidei dogmata aedificantes atque haereticos et schismaticos impugnantes. Revera ex Traditione **saec. 1** CLEM. Rom. rebellantes Corinthios improbavit [25]: **saec. 2** IREN. Scripturarum canonem statuit [26] et Valentinianos impugnavit [27]: **saec. 3** CLEM. Alex. veram Ecclesiam agnovit [28] et evangelia vindicavit [29], TERTUL. Marcionem mutilantem Scripturam confixit [30], ORIG. baptismum parvulorum probavit [31] et Evangeliorum genuinitatem [32] ostendit ac Scripturarum inspirationem [33] vindicavit, SERAPION rejecit Evangelium Petri [34], CYPR. expugnavit Novatianos [35] et STEPHAN. baptismi haereticorum valorem decrevit [36]: **saec. 4** ATHANAS. proscripsit Arianos [37], OPTAT. Donatistas [38], GREG. Naz. Apollinaristas [39], GREG. Nyss. Eunomianos [40], BASIL. Pneumatomachos [41], statuens etiam necessitatem beneditionis chrismatis [42], PACIAN. vero contra Novatianos amplitudinem potestatis clavium defendit [43]: **saec. 5** HIER. demonstravit bonitatem cultus reliquiarum sanctorum [44], virginitatem sanctae Deigenitricis [45] et veritatem sacramenti Confirmationis [46], COELEST. I damnavit Pelagium [47], AUG. canonem Scripturarum firmavit [48], contra Pelagianos necessitatem baptismi [49] et originalis peccati exi-

---

[24] HIER. *Dial. adv. Lucif.* c. 4; AUG. *De cura ger. pro. mort.* I n. 3.
[25] CLEM. Rom. 1 *Corinth.* n. 5 sqq.
[26] IREN. *Adv. haer.* IV c. 26 n. 2.
[27] IREN. *Adv. haer.* III c. 3 n. 2.
[28] CLEM. Alex. *Strom.* VII c. 17. Similia habent JUST. M., TERTUL., ALEX. Alex., CHRYS., COELEST., AUG. ut supra n. 260.
[29] CLEM. Alex. *Strom.* III n. 13.
[30] TERTUL. *De Carne Chr.* c. 2.
[31] ORIG. in *Rom.* V n. 9.
[32] ORIG. in *Matth.* tom. 1.
[33] ORIG. in *Num.* hom. 26 n. 3.
[34] SERAPION apud *Euseb.* H. E. VI c. 12.
[35] CYPR. *De Unit. Eccles.* n. 19.
[36] STEPHAN. I Decr. *De rebapt.*
[37] ATHAN. *De decr. Nic. syn.* n. 27.
[38] OPTAT. *C. Parmen.* II n. 3.
[39] GREG. Naz. ad *Cledon.* epist. 2.
[40] GREG. Nyss. *C. Enom.*
[41] BASIL. *De Spir. S.* c. 9 n. 25-7.
[42] BASIL. *De Spir. S.* c. 27.
[43] PACIAN. *C. Novat.* epist. 3.
[44] HIER. ep. 7 (al. 75) *Adv. Vigil.*
[45] HIER. *C. Helv.* n. 17.
[46] HIER. *C. Lucif.* n. 8.
[47] COELEST. I Epist. 21 *ad Gal.* c. 11.
[48] AUG. *De Doct. Chr.* II n. 12.
[49] AUG. *Epist.* 166 n. 21.

stentiam [50] ostendit, atque adversus Aërium suffragiorum utilitatem vindicavit [51], CYRIL. vero Nestorianos confixit [52]: **saec. 9** NICEPHOR. Cp. Iconoclastas impugnavit [53]: **saec. 11** URBANUS II demonstravit reviviscentiam sacramentorum [54]. **Ex Ratione.** Nam si Traditio non esset fons revelationis haec in sola Scriptura contineretur: atqui hoc est impossibile, quia Scriptura de extensione canonis, testimonium dare nequit [55]. Ergo.

591. **Secunda pars.** *Revelatio non consistit in trasfusione spiritus religiosi sed in transmissione veritatum fidei.* Ut enim praescindamus ab errore pantheismi, qui in Modernistarum sententia subauditur [56]: haec manifeste contradicit testimoniis Scripturae et Patrum quae dedimus, non enim de transmissione cuiusdam principii subiectivi cognitionis vel inventionis dogmatum loquuntur, sed de traditione *evangelii, praeceptorum* Christi, ipsarumque *doctrinarum* quae ab haereticis non agnoscebantur.

592. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Juxta Apostolum Scriptura data est ut homo *sit perfectus in omni opere bono* [57]: atqui non est perfectus, qui universam fidei doctrinam non tenet: ergo tota doctrina fidei est in Scripturis. **Resp.** Positivum testimonium ad sensum negativum non est trahendum: Scriptura juvat hominis perfectionem, sed sola eam non operatur. Ceterum Scriptura de existentia Traditionis dat testimonium, et loco objecto Scriptura adducitur in auxilium Traditionis.

593. **Obiic. 2.** Scriptura non solum vetat ne sibi quid dematur, sed ne quid addatur [58]: atqui Traditio superadditur Scripturae: ergo. **Resp.** Objecta testimonia non excludunt revelationem distinctam a Scriptura; si enim sensu exclusivo essent sumenda negarent etiam inspirationem aliorum librorum: revera loquuntur de peculiari quodam praecepto stricte observando vel prohibent ne libro inspirato aliquid profanum misceatur ipsaque revelatio corrumpatur [59].

594. **Obiic. 3.** Scriptura saepe traditiones arguit [60]; ergo invocandae non sunt. **Resp.** Scriptura clamat contra traditiones *humanas*

---

[50] AUG. *C. Jul.* II c. 10 n. 33; *De nupt. et conc.* II n. 25.

[51] AUG. *De cur. ger. pro mort.* c. 1 n. 3.

[52] CYRIL. *Adv. Orient. def.* anat. 8.

[53] NICEPH. *Apol. min. pro SS. imag.* n. 2.

[54] URB. II *Epist.* 273.

[55] Supra n. 576.

[56] Supra n. 27 et 500.

[57] 2 Tim. **3.** 16 sqq.; Joan. **20.** 30-1.

[58] Deut. **4.** 2; **12.** 32; Gal. **1.** 8; Apoc. **22.** 18-19.

[59] Cf. CORNELY *ad Galat.* p. 386 sqq.

[60] Isai. **29.** 1; Matth. **15.** 3; Gal. **1.** 14; Colos. **2.** 8; 1 Petr. **1.** 18; etc.

vanas et perversas, quae fidei contradicunt, sed traditiones divinas approbat et laudat [61].

595. **Obiic. 4.** Patres Scripturam habent quasi *completum* revelationis thesaurum [62], sine quo *nil* in fide probatur [63], unde et haereticos damnant quia ad errores suos firmandos ad Traditionem confugiebant [64] : ergo. **Resp.** Patres, dicunt Scripturam *plenitudinem fidei* quia implicite saltem et obscure omnia vel fere omnia dogmata annuntiat : cum vero sine Scripturis *dogmata evinci* negant, non opponunt Scripturam divinae Traditioni, sed persuasibilibus humanae sapientiae verbis, haereticos improbantes quod, authenticis Scripturis rejectis, ad apocryphas recurrerent *falsis* vel *ambiguis traditionibus innixi* [65].

ARTIC. 2 - QUOMODO DIVINA TRADITIO AGNOSCATUR.

596. **Traditionis causae, media et testes.** *Causa principalis,* qua divina traditio incorrupta servatur, est Spiritus S. qui in Ecclesia in aeternum manet [1] : *causa instrumentalis* est magisterium infallibile sive solemne sive ordinarium a Christo institutum : *media* sunt decreta RR. PP. et Conc., Symbola, professiones fidei et sacra liturgia : *testes* sunt opera SS. PP., DD., ecclesiasticorum scriptorum et theologorum necnon archeologica monumenta et historia sacra. De divina assistentia et magisterio sufficienter diximus in praecedentibus, de ceteris quaedam modo innuenda sunt.

597. **Decreta RR. PP. et CC., symbola et professiones fidei, liturgia.** DECRETA RR. PP. et CC. non sunt simplices *formulae* quibus experientiae religiosae iuxta temporum conditiones proponuntur [2], sed objectivae et immutabiles sententiae de revelationis existentia et sensu, quae maxime occasione haeresum in causa fidei sub assistentia Spiritus S. ab infallibili solemni magisterio Ecclesiae feruntur [3]. SYMBOLA FIDEI sunt tesserae quibus christiani ab infidelibus distinguuntur, quaeque definiri possunt *praecipuarum veritatum fidei summa ab Ecclesia proposita:* tria autem prae-

---

[61] Deut. **32**. 7; Ps. **43**. 2.

[62] IREN. *Adv. haer.* II c. 47; TERTUL. *Cont. Hermog.* c. 22; ATHAN. *Cont. gent.;* CYRIL. Hier. *Catech.* 16; CHRYS. hom. *in Ps.* **95**.

[63] ORIG. hom. 1 in *Jer.;* CYRIL. Hier. *Catech.* IV; HIER. in *Matth.* **23**.

[64] IREN. *Adv. haer.* III c. 3.

[65] C. MAZZELLA n. 340-1; BELLAR. *De Verbo Dei* IV c. 10-2.

[1] Joan. **14**. 16.

[2] MODERNISTAE in *Il Program.* p. 115; apud Enc. *Pascendi.*

[3] Supra n. 361, 458.

cipua sunt, *Apostol.*, *Nicaen.* et *Athanas.*; *primum* probabiliter ab APOSTOLIS compositum vel inchoatum a catechumenis primis temporibus recitabatur antequam baptizarentur; *alterum* inchoatum in CONC. NICAEN. (a. 326), in CP. (a. 381) auctum et in EPHES. (a. 431) approbatum. saec. IX complementum accepit addita voce *Filioque*; *tertium* tribuitur S. ATHAN., sed quia continet formulas conc. CHALC., critici tribuunt ignoto auctori saec. VI [4]. PROFESSIONES FIDEI symbolis addunt praecipuas veritates noviter definitas: hodie viget *professio Tridentina* a PIO IV praescripta, cui tamen ex decreto S. C. C. sunt addenda verba: « et ab oecum. conc. Vatic. tradita, definita ac declarata, praesertim de R. P. primatu et infallibili magisterio » [5]. LITURGIA est *praxis Ecclesiae* in Sacramentorum administratione et Missae celebratione, unde symbolis et verbis exhibet implicitam professionem fidei et integrat magisterium ordinarium pastorum [6]; quare CONC. TRID. definivit: « S. q. d., receptos, et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro lubito omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse; a. s. » [7].

598. **Patres - Scriptores ecclesiastici - Doctores.** Nomine dedivato ab Apostolo [8], PATRES vocantur qui Evangelii praedicatione Ecclesiam ad spiritualem vitam genuerunt: porro quatuor proprietates in Patribus communiter agnoscuntur, *antiquitas, scientia, sanctitas* et *Ecclesiae approbatio*. Requiritur *antiquitas*, quia Patris dignitas respicit Ecclesiam universalem ideoque fideles omnium temporum, unde iis tantum convenit qui illam in infantia coluerunt [9]: requiritur *doctrina eminens* et *orthodoxa*, quia inscitia et erroribus veritas non propagatur, nec haeretici Ecclesiae Patres vocari queunt [10]: requiritur *sanctitas vitae*, quia Christus coepit *facere* et *docere*, unde Ecclesiae Patres non habentur, qui solum illustrarunt doctrinis, sed qui etiam sanctitate vitae

---

[4] SCHIFFINI *De Virt. Inf.* n. 97-8; TANQUER. *De font. theol.* n. 19.

[5] PIUS IV Cons. *Injunctum*; S. C. C. 22 *jan.* 1877.

[6] Supra 342.

[7] CONC. TRID. Sess. 7 cn. 13.

[8] 1 Corinth. **4**. 15; Gal. **4**. 19.

[9] Quinam sint limites hujus notae non est certum, aliis tempus protendentibus usque ad saec. XII, ita ut ultimus Pater sit *Bernar.* († 1153), aliis coarctantibus ad saec. VII vel VIII ita ut ultimus Pater habeatur *Greg. M.* († 604) vel *J. Damasc.* († 760).

[10] Eminentia doctrinae sat relative intelligenda est, siquidem *pater* non est *auctor* vel *illustrator* fidei sed *testis*.

alios in viam salutis adduxerunt: requiritur *Ecclesiae approbatio,* quia Patres sunt revelationis *testes,* testes autem agnosci debent a legitima auctoritate, quae in re fidei est Ecclesia [11]. Qui *sanctitate* carent sed antiquitate et ortodoxa doctrina ab Ecclesia recepta praestant nomen habent SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM, et generatim sub nomine Patrum in auctoritatem invocantur; sunt autem *Tatian., Tertul., Clemens* Alex, *Orig., Arnob., Lactan., Euseb., Theodor.,* etc. [12]. Qui *scientia* inter omnes emicuerunt, etsi antiquitate careant, vocantur DOCTORES. Horum octo majores enumerantur, scil. quatuor occidentales *Ambros., Hieron., Aug., Greg. M.,* et quatuor orientales *Athan., Basil., Greg.* Nazian. et *Chrys.:* inter *minores* connumerantur *Hilar.* Pict., *Leo M., Cyril.* Alex., *Cyril.* Hier., *P. Chrysol., J. Damasc., Isidor.* Hisp., *Beda, Bernar., P. Damian., Ansel.* Cant., *Thomas* Aquin., *Bonav., Fr. Sales.* et *Alph. Ligor.*

599. **Triplex Patrum auctoritas.** Patribus triplex competit auctoritas, *historica, scientifica* et *authentica.* HISTORICA AUCTORITAS ex eorum antiquitate et veracitate procedit: ipsi enim antiquissima documenta fidei exhibent et de his, quae suo tempore habebantur certa, dubia vel falsa, reddunt testimonium, tanto firmius quanto facilius datum, siquidem non de doctrina invenienda agebatur sed de enarranda. AUCTORITAS SCIENTIFICA Patrum eorum studium et pietatem consequitur, magna quippe ex parte fuerunt episcopi, qui non de divitiis vel de potentia vel de originis nobilitate, sed de scientia et pietate referebant bonum testimonium; Deus vero, qui Spiritum S. suae Ecclesiae promisit, eos « amplioribus luminis sui praesidiis adjuvit » [13], ut ceteris viam veritatis aperirent. Adde inter Patres eos numerari, qui fuerunt *sermone eleganti* et *facundi* ut TERTUL., LACTANT. et CHRYS., qui in *dialectica et polemica arte* excelluerunt, ut ATHAN., CYRIL. et AUG., qui in *eruditione* fuerunt praeclari, ut ORIG. et HIER., qui *philosophicas disciplinas* calluerunt uti JUSTIN., CLEM. Alex. et BASIL.: *theologiae* vero et *interpretationis Scripturarum* tot praeclara reliquerunt documenta, ut hodiedum vix quidquam in fidei scientia proponatur, quod abunde ex Patribus nequeat confirmari: neque de *historia* obliti sunt; HEGESIP. enim, IREN., HIPPOL. (auct. Philosoph.) et EUSEB., tam celebres sunt, ut vix cedant iis, qui nostris temporibus

---

[11] Ecclesiae approbatio sufficit implicita, quae in ipso silentio de *usu* Patrum elucet.

[12] Patrum Scriptorumque ecclesiasticorum elenchum dabimus in appendice.

[13] LEO XIII Enc. *Providentis.*

in arte critico-historica magnum sibi nomen fecerunt [14]. AUCTORITAS AUTHENTICA qua Patres, ut traditionis testes, infallibiliter doctrinam revelatam docent, nonnullas exigit conditiones ex parte objecti et ex parte numeri. *Ex parte objecti* coarctatur ad res fidei et morum, siquidem in ceteris (h. e. in rebus *physicis* et pure *historicis*) est tantum scientifica, cui sine temeritatis nota refragari potest [15]; imo in rebus ipsis fidei et morum Patrum auctoritas non habetur authentica cum aliquid proprio marte docent, sed cum affirmant uti traditionis testes, quod sane retinendum est si non opinanter sed *asseveranter* loquuntur [16]. *Ex parte numeri,* requiritur unanimitas, quae tamen *a*) non physica sed *moralis* intelligitur, quaeque profecto ex dissensu unius vel alterius non infirmatur: imo *b*) sufficit ut sit solius Orientis vel solius Occidentis, siquidem repugnat tam magnae Ecclesiae partem in rebus fidei deficere [17]: *c*) neque requiritur consensus expressus, cum enim praecipui Patres diversae aetatis, vel qui in peculiari quaestione habebantur quasi os Ecclesiae [18], aliquid uti de fide tenendum docent, aliorum silentium haberetur pro *implicita* approbatione siquidem nec illorum sententia eos latere, nec ipsi silere poterant, si propagati fuissent errores contra fidem. Tandem *d*) observa quod *substantialis* consensus non infirmatur ex accidentali dissensu; unde v. g. manet consensus de historica veritate Paradisi terrestris cum de ejus situ dissentiunt [19], nec dubitare licet de subjecto primatus, quia *petram* aliqui referunt ad confessionem

---

[14] Hypercritici opponunt Patres ex *legendis* plurima hausisse neque Scripturam ab *apocryphis* distinxisse. Reponimus *a*) nullum esse apocryphum ab unanimi Patrum consensu receptum: *b*) quae nostri critici legendis tribuunt generatim debentur antiquae et verae traditioni, quae legendis fundamentum praebuit: *c*) prioribus Patribus, qui cum Apostolis vel eorum discipulis conversati sunt, nobis expeditius fuit veram de incunabulis Ecclesiae historiam retexere, qui autem eos proxime secuti sunt, documenta habuerunt, quae dein periere: *d*) tandem ex diversis quibusdam adjunctis a Patribus relatis, ipsa facti substantia inepte impugnatur; saepe enim facta inadaequate referuntur et facilior est in minimis quam in magnis deceptio.

[15] LEON. XIII Enc. *Providentis.;* S. THOM. *II Dist.* 12 q. 1 a. 2; a. 3; *Opus X;* BONAV. *I Dist.* 27 p. 1 q. 4; *III Dist.* 25 a. 1 q. 1.

[16] S. THOM. *II Dist.* 13 q. 1 a. 3 ad 1; *Dist.* 14 q. 1 a. 2 c.; ad 1; BRUCKER *Quest. d'oggi* etc. n. 131.

[17] Cf. C. MAZZELLA n. 358.

[18] V. g. *Athanasius* in quaestione ariana, *Cyrillus* in nestoriana, *Augustinus* in pelagiana.

[19] BILLOT *De Insp. S. Script.* p. 103.

Petri potiusquam ad ejus personam, et disputant de iis qui specialiter voce *agnorum* et *ovium* sunt ei traditi regendi.

600. **Sacra archeologia - acta martyrum - historia sacra.** SACRA ARCHEOLOGIA servat antiquissima documenta protestativa fidei: *aedificia sacra,* ut basilicae, baptisteria, altaria, etc., loquuntur de sacramentorum usu et de cultu religioso; *imagines* sculptae vel pictae iconoclastas damnant atque *symbolis* et *scripturisticis factis* de sacramentis et de Scripturae integritate atque divinitate reddunt testimonium [20]; *mobilia* et *utensilia* ut vasa sacra, instrumenta martyrii, etc., iterum de sacrificio Missae et de cultu sanctorum certiores nos reddunt; *numismata* tandem et *inscriptiones* antiquam fidelium vel Ecclesiae fidem de pluribus veritatibus produnt. ACTA MARTYRUM studio Pontificum et episcoporum collecta, responsiones referunt, quas fidei confessores (ideoque *testes*) a Spiritu S. adjuti [21] tyrannis dederunt: unde eorum consensus in dogmatum confessione fidei christianae invictum praebet argumentum. HISTORIA SACRA cum dogmatum fastus enarrat in eorumdem notitiam inducit, certaque a probabilibus et dubiis secernit; cum vero haeresum impugnationem commemorat, non solum lege contrariorum veritatem illustrat, sed terminorum, quibus quaestio est agitata, proprium sensum pandit, sophisticam haereticorum methodum edocet et praecipuarum difficultatum solutionem parat.

601. **De theologorum sententia et S. Thomae auctoritate.** Communem theologorum consensum de re fidei et morum [22] haberi pro certo traditionis argumentum demonstrabimus in thesi, nunc attendas auctoritatem theologorum non esse magisterii authentici sed *testis,* nec directe respicere revelationem ipsam sed potius Ecclesiae sententiam de illa, ac proinde non ad Ecclesiam *docentem* sed ad *discentem* esse revocandam [23]. Licet autem haec *testis probati* auctoritas omnibus veri nominis catholicis theologis competat, specialius tamen convenit SCHOLASTICIS; sicut enim nautae qui quaversus mare explorant, sirtes et scopula omnia describentes, meliores duces habentur; ita scholastici qui, veluti Ecclesiae intellectus, dogmatum analysi et comparatione profundiorem fidei cognitionem quaerunt aptiores sunt ad judicium feren-

---

[20] CORNELY *Intr.* etc. Diss. IV § 2 n. 6; § 35 n. 4, Diss. VI § 18 n. 8 etc.

[21] Luc. **12.** 11; **21.** 14.

[22] Revoca quae diximus de auctoritate Patrum in rebus physicis et historicis et de requisitis ad eorum moralem unanimitatem constituendam.

[23] Etiam auctoritas Patrum proprie est *testium* sed Patres habentur testes *immediati* revelationis.

dum de Traditionis existentia. Quare diuturno Ecclesiae usu [24], et RR. PP. laudibus [25] saepius approbati et contra Liberales et Modernistas defensi [26], summo in honore habendi sunt. — Quod si scholastici ceteris praestant theologis, inter ipsos quasi sol inter stellas eminet S. THOMAS, de quo compertum est quod « numquam, qui ejus doctrinam tenuerit a veritatis tramite deviaverit, et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus » [27]; « ille (quippe) ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, vitae integerrimus, veritatis unice amator, divina humanaque scientia praedives, soli comparatus, orbem terrarum calore virtutum fovit, et doctrinae splendore complevit » [28].

602. **Errores — Veritas.** *Patrum* auctoritatem *decisivam* in re fidei negaverunt REFORMATORES [29], quibus consentiunt RATIONALISTAE et MODERNISTAE illis tribuentes historicam tantum auctoritatem et quidem valde imminutam [30] : *theologorum* maxime scholasticorum judicium parvi pendunt PROTESTANTES, LIBERALES et MODERNISTAE [31]. **Veritas.** *Patrum auctoritatem* maxime in Scripturae interpretatione tuita sunt CONC. TRID. et VATIC.[32], *theologorum* vero defendit PIUS IX dicens fidei obedientiam « ad ea quoque extendendam (esse), quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur » [33].

THES. 71. *Unanimis — 1 Patrum vel — 2 theologorum consensus divinae traditionis certum praebet argumentum.*

603. **Prima pars.** *Patrum unanimis consensus divinae traditionis est certum argumentum.* Sin minus hoc innuit **Scriptura** cum in V. T. nolebat fines a patribus positos transferri et filiis praeci-

---

[24] Theologi scholastici incipiunt cum J. DAMASC. († 760).

[25] XYSTUS V Bulla *Triumph.* a. 1588; LEO XIII Enc. *Aeter. Patris* a. 1879.

[26] PIUS VI cond. *Syn. Pist.* p. 70; PIUS IX *Syll.* pr. 13; PIUS X Enc. *Pascendi.*

[27] INNOC. VI *Serm. de S. Thom.*

[28] LEO XIII Enc. *Aeter. Patris.*

[29] LUTHER, CALVINUS, DALLAEUS, J. CLERICUS, BASNAGE, PÉDEZERT apud *Groot.* p. 785.

[30] Apud GROOT *l. c.*; PIUM X Enc. *Pascendi;* in *Il Programma,* etc.

[31] De *Protestantibus* cf. GROOT p. 807; de *Liberalibus* SYL. pr. 13; de *Modernistis* IL PROGRAM. p. 88, 98 etc.

[32] Supra n. 575.

[33] PIUS IX Litt. ad *Arch. Monac.* 21 Dicemb. 1863.

piebat disciplinam patris suscipere [34] atque in N. vocum novitatem prohibet [35], statuens ut traditio a magistris in discipulos deveniret [36], Patres enim suis scriptis traditioni orali veluti fines posuerunt atque, perennes magistri nostri facti, novitatibus doctrinarum provide occurrerunt. **Patres** [37] sive privatim fidei dogmata explicantes, sive in conciliis contra haereticos pugnantes, praecedentium Patrum sententiam in argumentum frequenter adduxerunt, « nihil aliud posteris decernere (volentes), nisi quod sacra sibi consentiens SS. Patrum tenuerit antiquitas » [38], eosque damnantes qui « secundum SS. Patres non confitentur proprie et secundum veritatem omnia quae tradita sunt et praedicata sanctae catholicae et apostolicae Dei ecclesiae » [39]; quippe, ut ait AUG., « qui ab unanimi Patrum consensu discedit, ab universa Ecclesia discedit » [40]. **Ratio** ipsa est, quam signavit LEO XIII, scil. cum « uno eodemque modo explicant omnes... ex ipsa eorum consensione, ita ab Apostolis secundum catholicam fidem traditum esse nitide eminet » [41].

604. **Secunda pars.** *Theologorum consensus traditionis est certum argumentum.* Nam *a*) peritis in arte credendum est; atqui theologi fidei scientiam callent, quippe ingenio praeclares totam vitam in studio revelationis insumunt: ergo. *b*) Spectat ad divinam providentiam curare ne episcopi, qui fidei sunt magistri, errent in cognitione eorum quae alios docere debent: atqui medium ordinarium quo episcopi fidei scientiam acquirunt sunt theologorum opera: ergo. *c*) Ecclesiae magisterium tolerare nequit ut errores fidei et morum serpant inter fideles: atqui Ecclesia sciente imo et approbante theologi sua opera evulgant, ita ut « doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia catholica auctoritatem habeat » [42]: ergo.

605. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obiic. 1.** Patres non sunt infallibiles: ergo revelationis invictum non praebent argumentum. **Resp.** Patres singillatim inspecti et ut doctores privati sunt fallibiles

---

[34] Prov. **22**. 28; **4**. 1.

[35] 1 Tim. **6**. 20.

[36] 2 Tim. **4**. 6.

[37] Ne argumentum laboret circulo vitioso auctoritatem Patrum hic sume scientificam et, quatenus collective propositam in Conc. Oecum., habe pro magisterio Ecclesiae.

[38] CONC. EPHES. Act. 1.

[39] CONC. LATER. cn. 17. Cf. etiam CONC. NICAEN., CP. I, CP. II, CP. IV, VALENTIN. TRID. apud *Pesch* I n. 576.

[40] AUG. *C. Jul.* II n. 38.

[41] LEO XIII Enc. *Providentis.*

[42] S. THOM. 2-2 q. 10 a. 12.

conc., collective considerati ut fidei Ecclesiae testes *neg.* Thesis non est de auctoritate historica et scientifica sed de authentica, quae Patribus convenit, prout Ecclesia consentiente de dogmatibus fidei reddunt testimonium.

606. **Obiic. 2.** Non est in toto quod in partibus deest: atqui etiam uti *testis* fidei unusquisque Pater potest errare: ergo. **Resp.** *Dist. maj.* Si complexus nihil addat partibus *conc.*, secus *neg.* Profecto exercitus ratione ordinis singulis militibus virtutem addit: similiter ergo et multitudo testium probatorum, dum deceptionum causas excludit, singulorum auctoritatem adauget, multo magis quod divina assistentia multitudinem ipsam respicit.

607. **Obiic. 3.** Ante Ecclesiae definitionem Patres numero et auctoritate magni iisdem fere verbis, quibus haeretici, locuti sunt, ut patet de Patribus ANTE-NICAENIS quoad divinas processiones et divinarum Personarum consubstantialitatem, de CYRILLO quoad humanam Christi naturam, de iis qui Aug. praecesserunt quoad gratuitatem gratiae, de CHRYSOSTOMO quoad originale peccatum, etc.: ergo Patrum auctoritas *in se* inspecta nullius est roboris [43]. **Resp.** Ante definitiones Patres plurimi verbis ambiguis vel impropriis locuti sunt *conc.*, falsam doctrinam professi sunt *neg.* Licet non detur progressus fidei, datur progressus in fidei cognitione et propositione [44], nil ergo mirum quod ante haereses in Patribus locutiones ambiguae occurrant, sed si contextus testimoniorum inspicitur Patrum consensus semper fuit de vera doctrina, ut ex dicendis in toto theologiae cursu apparebit.

608. **Obiic. 4.** Docendi potestas Christus Apostolis eorumque successoribus contulit: atqui theologi non sunt successores Apostolorum: ergo nullam habent docendi auctoritatem. **Resp.** *Nego suppositum.* Auctoritas, quam vindicavimus theologis, non est Ecclesiae *docentis* sed *discentis* prout sunt testes praedicationis Ecclesiae.

609. **Obiic. 5.** Scholastici in vanas subtilitates prolapsi sunt et theologiam fundarunt in philosophia Aristotelica, quam Kantiana jamdiu evertit: ergo. **Resp.** *Neg. supp.* et *assert.* Thesis non est de subtilitatibus in quibus nonnulli justos fines excesserunt, sed de communi consensu *in re fidei* et *morum;* porro scholasticos non aedificasse dogmata ex philosophiae placitis, nec Kantiana critica scholasticam philosophiam eversam fuisse supra ostendimus [45].

---

[43] Merito notat BILLOT *De Trad.* p. 36 modernistas testimonia Patrum deducere ex *Petavio* et *Bossuet* qui Protestantibus respondent.

[44] Supra n. 512.

[45] Supra n.

CONCLUSIO.

610. *Quam pulchra es... quam pulchra es!... macula non est in te... suavis et decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata!* [1] Sponte ex ore fluunt haec prophetica verba, cum adimpleta cernuntur in Ecclesia. Christus sponsus, qui pascitur inter lilia [2], seipsum tradidit pro ea et, mundans lavacro aquae in verbo vitae, gloriosam sibi exhibuit *non habentem maculam* aut rugam aut aliquid hujusmodi [3]. Sanctitatis splendoribus illustrata, Ecclesia facta est *speciosa* inter filias Jerusalem [4], *suavis* filiorum mater quos de longe veniunt et de ejus latere surgunt [5], regina *circumdata varietate* [6] decorata splendoribus divini cultus, templorum magnificentia, et miraculorum numero et magnitudine, *acies ordinata* innumera multitudine fidelium sub pastorum regimine et supremo principe R. P. coadunata, quae Scripturarum et Traditionis solatio sibi sufficientissima [7], *terribilis* facta est hostibus omnibus quos agmine Patrum et Theologorum infallibilique suo magisterio disperdit. « Multa sunt quae in gremio eius me justissime tenent. Tenet consensio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata : tenet postremo ipsum catholicae nomen, quod non sine caussa inter tam multas haereses... Ecclesia sola obtinuit » [8]. Hanc nostram matrem et magistram honoremus, diligamus, praedicemus [9]. Ipsa est domus Dei, quam coeli artifex supra petram fundavit [10], ut si descendat pluvia, et veniant flumina, et flent venti,

---

[1] Cant. **4**. 1 - **6**. 3.
[2] Cant. **2**. 16.
[3] Eph. **5**. 25-7.
[4] Cant. **2**. 2 sqq.
[5] Isai. **60**. 4.
[6] Ps. **44**. 10.
[7] Cf. 1 Mach. **12**. 9.
[8] Aug. *C. epist. Manic.* n. 5.
[9] Aug. *Serm.* 214.
[10] Matth. **16**. 18.

et irruant in eam non cadat [11]; ipsa columna et firmamentum veritatis [12]; ipsa sanguine martyrum purpurata, liliis virginum coronata, virtutibus confessorum induta, sapientia doctorum fulgens, sacerdotali maiestate gravis, Christi est sponsa ornata viro suo [13]: ipsa est fons salutis in qua « corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, extra quam mala credulitas non reputatur ad iustitiam, sed ad poenam, et prava confessio non acquirit salutem credenti sed ingerit mortem. Extra hanc Ecclesiam nec christianum nomen aliquem juvat, nec baptismus salvat.... nec peccatorum remissio accipitur, nec aeternae vitae felicitas invenitur » [14]. « Quae cum ita sint, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, tantam ne negligamus salutem, sed aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem » [15]. Amen.

---

[11] Matth. **7**. 25.
[12] 1 Tim. **3**. 15.
[13] Apoc. **21**. 2.
[14] FULG. *De Remis. Pecc.* I c. 22.
[15] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 3 in fine.

A. M. D. G.

APPENDICES

DOGMATICA QUÆDAM DOCUMENTA ARCHEOLOGIÆ CHRISTIANÆ



Fig. 1 — Ecclesia velut navis fluctibus agitata sed non submersa. In ea est fidelis auxilium invocans Dei. Infidelis vero extra navim periturus est inter fluctus. Christus autem de cœlo porrigit manum protegentem suam super caput fidelis orantis (Pictura cœm. S. Callisti, sæc. II).

Fig. 2 — Petrus recipit volumen Legis a Christo Domino. Iam inde ab initio sæculi IV cum in picturis tum vero in sculptilibus Petrus legem a Christo Domino recipiens cœptus est repræsentari, ac plerumque Legis volumen haec refert verba: LEGEM DOMINI, vel DOMINUS LEGEM DAT. (Lapis sepulcralis, sæc. IV).

Fig. 3 — Petrus novæ legis Moyses (Vitrum auratum Musei Vaticani, sæc. III vel IV).

Fig. 4.
(Figura in quodam vitro sæculi IV).

Identificatio Moysis cum persona Petri antiquissima est, sæculo enim ineunte secundo Moyses rupem percutiens in cœmeterialibus cernitur picturis; sed Petri mentio sæculo exeunte tertio incipit explicite apparere. Magis autem magisque perspicua sæculis IV et V fit, uti ex fig. 4 colligitur, cuius inscriptio ita est:

Petrus virga perquodset, fontis ciperunt quorere.
Id est: *Petrus virga percussit, fontes cœperunt currere.*

Porro verba ista ad librum Num. XX, 11 exemplata sunt in quo legitur: *Moyses percutiens virga... egressæ sunt aquæ largissimæ*, quod quidem, iusta Pauli verba, *in figura contingebat.*

In alio autem cimelio, in museo Britannico asservato, cathedra contra rupem sita est, et e rupe fons defluit; cui prorsus ista Innocentii I concinunt verba, quibus Petri cathedra vocatur: *Natalis fons, unde aquæ cunctæ procedunt et per diversas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti manant.* (CONSTANT, *Ep. Rom. pont.*, p. 866). Petra autem, quae Christus erat, ibi Christi monogrammate consignata est.

NB. Curavit P. Syxtus monachus Abbatiae catacumbarum S. Callisti.

II ROMANORUM PONTIFICUM ELENCHUS [1].

Saec. 1.

1 S. Petrus *a Bethsaida* 42-67
2 S. Linus *tuscus* ? 76
3 S. Anecletus (Cletus - Anacletus) *graec.* ? 88
4 Clemens 1 *rom.* † 97

Saec. 2.

5 S. Evaristus *syrus* ? † 105
6 S. Alexander I *rom.* ? † 115
7 S. Xystus I *rom.* circa 115-125
8 S. Telesphorus *turien.* cir. 125-136
9 S. Hyginus *athen.* circa 136-140
10 S. Pius I *aquil.* circa 140-155
11 S. Anicetus *syr.* circa 155-166
12 S. Soter *fundan.* circa 166-175
13 S. Eleutherus *nicop.* cir. 175-189
14 S. Victor *afric.* circa 189-199

Saec. 3.

15 S. Zephirinus *rom.* 199-217
16 S. Callistus I *rom.* 217-222
[2] (*Hippolytus* rom. *antip.* ?)
17 S. Urbanus I *rom.* 222-230
18 S. Pontianus *rom.* 230-235
19 S. Anteros *policast.* 235-236
20 S. Fabianus *rom.* 236-250
21 S. Cornelius *rom.* 251-253
(*Novatianus* rom. *antip.* 251)
22 S. Lucius I *rom.* 253-254
23 S. Stephanus I *rom.* 254-257
24 S. Xystus II *athen.* 257-258
25 S. Dionysius *turien.* 259-268
26 S. Felix I *rom.* 269-274
27 S. Eutychianus *lunen.* 275-283
28 S. Gaius *salonit.* 283-296

Saec. 4.

29 S. Marcellinus *rom.* 296-303
30 S. Marcellus *rom.* 308-309
31 S. Eusebius *cassan.* 309-310
32 S. Miltiades *afer.* 311-314
33 S. Silvester I *rom.* 314-335
34 S. Marcus *rom.* mens. 8 ½ 336
35 S. Julius I *rom.* 337-352
36 S. Liberius *rom.* 352-366
(*Felix II* rom. 355-366)
37 S. Damasus I *hisp.* 366-384
(*Ursicinus* rom. *antip.* 366)
38 S. Siricius *rom.* 384-399

Saec. 5.

39 S. Anastasius I *rom.* 399-401
40 S. Innocentius I *alban.* 401-417
41 S. Zosimus *mesurac.* 417-418
42 S. Bonifacius I *rom.* 418-422
(*Eulalius* rom. *antip.* 418)
43 S. Coelestinus I *camp.* 422-432
44 S. Xystus III *rom.* 432-440
45 S. Leo I M. *rom.* 440-461
46 S. Hilarius *calarit.* 461-468
47 S. Simplicius *tiburt.* 468-483
48 S. Felix III *rom.* 483-492
49 S. Gelasius I *afer.* 492-496
50 S. Anastasius II *rom.* 496-498

---

[1] Ex P. Syxto *Notiones arch. christ.* II p. 1 et Gams apud H. Benigni *Historiae Eccl. repert.*

[2] Qui parenthesi clauduntur non habentur legitimi pontifices.

SAEC. 6.

51 S. Symmachus *sard.* 498-514
(*Laurentius* rom. *antip.* 498)
52 S. Hormisdas *frus.* 514-523
53 Johannes I *tusc.* 523-526
54 S. Felix IV *benev.* 526-530
55 Bonifacius II *rom.* 530-532
(*Dioscorus* rom. *antip.* 530)
56 Johannes II *rom.* 533-535
57 S. Agapitus I *rom.* 535-536
58 S. Silverius *frusin.* 536-537
59 Vigilius *rom.* 537-555
60 Pelagius I *rom.* 556-561
61 Johannes III *rom.* 561-574
62 Benedictus I *rom.* 575-579
63 Pelagius II *rom.* 579-590

SAEC. 7.

64 S. Gregorius I M. *rom.* 590-604
65 Sabinianus *Cleren.* 604-606
66 Bonif. III *rom.* mens. 8 d. 22 607
67 S. Bonifacius IV *valerien.* 608-615
68 S. Deusdedit *rom.* 615-618
69 Bonifacius V *neap.* 619-625
70 Honorius I *camp.* 625-638
71 Severinus *rom.* m. 2 640
72 Johannes IV *dalm.* 640-642
73 Theodorus I *graec.-hier.* 642-649
74 S. Martinus I *tudert.* 649-653
75 S. Eugenius I *rom.* 654-657
76 S. Vitalianus *signan.* 657-672
77 Adeodatus II *rom.* 672-676
78 Donus *rom.* 676-678
79 S. Agatho *sicul.* 678-681
80 S. Leo II *sicul.* 682-683
81 Benedictus II *rom.* 684-685
82 Johannes V *antioch.* 685-686
(*Petrus* et *Theod.* rom. *ant.* 586)
83 Conon *graec.* ? 686-687

SAEC. 8.

84 S. Sergius I *panor.* 687-701
(*Theod.* et *Paschalis* antip. 687)
85 Johannes VI *graec.* 701-705
86 Johannes VII *rossan.* 705-707
87 Sisinnius *syr.* d. 20-708
88 Costantinus *syr.* 708-715
89 S. Gregorius II *rom.* 715-731
90 S. Gregorius III *syr.* 731-741
91 S. Zacharias *graec.* 741-752
92 S. Stephanus II *rom.* 752-757
93 S. Paulus I *rom.* 757-767
(*Theophilactus, Constantius, Philippus* rom. *antip.* 767)
94 Stephanus III *sicul.* 768-772
95 Hadrianus I *rom.* 772-795

SAEC. 9.

96 Leo III *rom.* 795-816
97 Stephanus IV *rom.* 816-817
98 Paschalis I *rom.* 817-824
99 Eugenius II *rom.* 824-827
(*Zizimus* rom. *antip.* 824)
100 Valentinus *rom.* m. 1 ? 827
101 Gregorius IV *rom.* 827-844
102 Sergius II *rom.* 844-847
103 Leo IV *rom.* 847-855
104 Benedictus III *rom.* 855-858
(*Anastasius* rom. *antip.* 855)
105 Nicolaus M. I *rom.* 858-867
106 Hadrianus II *rom.* 867-872
107 Johannes VIII *rom.* (dictus est *Papissa Johanna*) 872-882
108 Marinus I *gallisan.* 882-884
109 S. Hadrianus III *rom.* 884-885
110 Stephanus V *rom.* 885-891
111 Formosus *portuen.* 891-896
112 Bonifacius VI *rom.* d. 15 896
113 Stephanus VI *rom.* 896-897
114 Romanus *gallis.* m. 3 d. 23 897
115 Theodorus II *rom.* d. 20 897
116 Johannes IX *tibur.* 898-900
(*Sergius* rom. *antip.* 898)

SAEC. 10.

117 Benedictus IV *rom.* 900-903
118 Leo V *ardeat.* m. 1 d. 27 903
119 Christophorus *rom.* 903-904
120 Sergius III *rom.* 904-911
121 Anastasius III *rom.* 911-913
122 Lando *sabin.* 913-914

123 Johannes X *raven.* 914-928
124 Leo VI *rom.* m. 7 d. 5 928
125 Stephanus VII *rom.* 928-931
126 Johannes XI *rom.* 931-935
127 Leo VII *rom.* 936-939
128 Stephanus VIII *rom.* 939-942
129 Marinus II *rom.* 942-946
130 Agapitus II *rom.* 946-955
131 Johannes XII *rom.* 955-964
132 Leo VIII *rom.?* 963-965
133 (Benedictus V *rom.* 964 m. 1)?
134 Johannes XIII *rom.* 965-972
135 Benedictus VI *rom.* 973-974
(*Bonifacius VII* rom. 974)
136 Benedictus VII *rom.* 974-983
137 Johannes XIV *papien.* 983-984
138 Bonifacius VII (*iterum.*) 984-985
139 Johannes XV *rom.* 985-996
140 Gregorius V *saxo* 996-999
(Johan. XVI *graec. calab.* 997-998)

SAEC. 11.

141 Silvester II *alverniat.* 999-1003
142 Johannes XVII *rom.* m. 6 1003
143 Johannes XVIII *rom.* 1004-9
144 Sergius IV *rom.* 1009-12
145 Benedictus VIII *rom.* 1012-24
(*Leo Gregorius* antip. 1012)
146 Johannes XIX *rom.?* 1024-32
147 Benedictus IX *rom.?* 1032-44
(*Silvester III* rom. 1045)
Benedictus IX (*iterum*) 1045
m. 1 d. 21
148 Gregorius VI *rom.* 1045-46
149 Clemens II *saxo* 1046-47
(*Benedictus IX* (tertio) 1047-8)
150 Damasus II *bavar.* d. 23 1048
151 Leo IX *alsat.* 1049-54
152 Victor II *suev.* 1055-7
153 Stephanus IX *lothar.* 1057-8
154 Benedictus X *rom* . m. 9 1059
155 Nicolaus II *burg.* 1059-61
156 Alexander II *med.* 1061-73
(*Cadalous* parm. *ant.* 1061)
157 S. Gregorius VII *soan.* 1073-85
(*Guilbertus Corrigius* rav. 1080)
158 B. Victor III *benev.* m. 4 d.7 1087
159 B. Urbanus II *gall.* 1088-9

SAEC. 12.

160 Paschalis II *bled.* 1099-118
(*Albertus, Theodoricus, Maginulphus, Guitbertus antip.* 1100)
161 Gelasius II *caiet.* 1118-19
(*Mauricius Burdinus* gal. *antip.* 1118)
162 Callistus II *burg.* 1119-24
163 Honorius II *bonon.* 1124-30
164 Innocentius II *rom.* 1130-43
(*Petrus Petri Leonis* Anacl. II *antip.* 1130).
(*Gregorius* Vict. IV *antip.* 1138)
165 Coelestinus II *tifer.* 1143-4
166 Lucius II *bonon.* 1144-5
167 B. Eugenius III *pis.* 1145-53
168 Anastasius IV *rom.* 1153-4
169 Hadrianus IV *angl.* 1154-9
170 Alexander III *sen.* 1159-81
(*Octavianus* [Vict. IV] *Guido* [Pasc. III] *Johannes* [Calist. III] *Lando* [Inn. III] *antip.*)
171 Lucius III *luc.* 1181-5
172 Urbanus III *med.* 1185-7
173 Gregorius VIII *benev.* 1187
174 Clemens III *rom.* 1187-91
175 Coelestinus III *rom.* 1191-8

SAEC. 18.

176 Innocentius III *anagn.* 1198-216
177 Honorius III *rom.* 1216-27
178 Gregorius IX *anagn.* 1227-41
179 Coelestinus IV *med.* d. 16 1241
180 Innocentius IV *januen.* 1243-54
181 Alexander IV *anagn.* 1254-61
182 Urbanus IV *trec.* 1261-4
183 Clemens IV *aquit.* 1265-8
184 Gregorius X *plac.* 1271-6
185 Innoc. V *sabaud.* m. 5 d. 1 1276
186 Hadrianus V *jan.* m. 1 d. 7 1276
187 Johannes XXI *ulys.* 1276-7
188 Nicolaus III *rom.* 1277-80
189 Martinus IV *gallo-camp.* 1281-5
190 Honorius IV *rom.* 1285-7
191 Nicolaus IV *ausc.* 1288-92
192 S. Coelest. V *isern.* m. 5 d.8 1294

SAEC. 14.

193 Bonif. VIII *anagn.* 1294-303
194 B. Benedictus XI *tarv.* 1303-4
195 * Clemens V *burdig.* 1305-14
196 * Johannes XXII *cadur.* 1316-34
(*Petrus Rainaldutius* corbar [Nicol. V] 1328)
197 * Benedictus XII *saver.* 1334-42
198 * Clemens VI *lemov.* 1342-53
199 * Innocentius VI *lemov.* 1353-62
200 * B. Urbanus V *lemov.* 1362-70
201 * Gregorius XI *lemov.* 1370-8
202 Urbanus VI *neap.* 1378-89
(*Clem. VII* obedien. 2 1378-94)

SAEC. 15.

203 Bonifacius IX *neap.* 1389-404
(*Benedictus XIII* obedien. 2 1394-422)
204 Innocentius VII *sulmon.* 1404-6
205 Gregorius XII *venet.* 1405-15
(*Alexander V* obed. 3 1409-10)
(*Johannes XXIII* obed. 3 1410)
206 Martinus V *rom.* 1417-31
(*Egidius* [Clem. VIII] *antip.* 1423)
(*Benedict. XIV* plures *a.* 1425-67)
207 Eugenius IV *venet.* 1431-47
(*Amadeus VIII* [Felix V] 1439-49)
208 Nicolaus V *sarex.* 1447-55
209 Callistus III *valent.* 1455-8
210 Pius II *senen.* 1458-64
211 Paulus II *venet.* 1464-71
212 Xystus IV *savon.* 1471-84
213 Innocentius VIII *jan.* 1484-92

SAEC. 16.

214 Alexander VI *valent.* 1492-503
215 Pius III *sen.* d. 26 1503
216 Julius II *savon.* 1503-13
217 Leo X *flor.* 1513-21
218 Hadrianus VI *ultrajec.* 1522-3
219 Clemens VII *flor.* 1523-34
220 Paulus III *rom.* 1534-49
221 Julius III *tusc.* 1550-5
222 Marcellus II *tusc.* d. 22 1555
223 Paulus IV *neap.* 1555-9
224 Pius IV *med.* 1559-65
225 S. Pius V *pedem.* 1565-72
226 Gregorius XIII *bon.* 1572-85
227 Xystus V *march.* 1585-90
228 Urbanus VII *rom.* d. 13 1590
229 Gregorius XIV *med.* 1590-1
230 Innoc. IX *bonon.* m. 2 d. 2 1591

SAEC. 17.

231 Clemens. VIII *fanen.* 1592-605
232 Leo XI *florent.* d. 27 1605
233 Paulus V *rom.* 1605-21
234 Gregorius XV *bonon.* 1621-3
235 Urbanus VIII *florent.* 1623-44
236 Innocentus X *rom.* 1644-55
237 Alexander VII *sen.* 1655-67
238 Clemens IX *pist.* 1667-70
239 Clemens X *rom.* 1670-6
240 Innocentius XI *rom.* 1676-89
241 Alexander VIII *ven.* 1689-91
242 Innocentius XII *neap.* 1691-700
243 Clemens XI *pisaur.* 1700-21
244 Innocentius XIII *rom.* 1721-4
245 Benedictus XIII *rom.* 1724-30
246 Clemens XII *flor.* 1730-40
247 Benedictus XIV *bonon.* 1740-58
248 Clemens XIII *venet.* 1758-69
249 Clemens XIV *arim.* 1769-74
250 Pius VI *cesen.* 1775-99

SAEC. 19.

251 Pius VII *cesen.* 1800-23
252 Leo XII *spol.* 1823-9
253 Pius VIII *cingul.* 1829-30
254 Gregorius XVI *bellun.* 1831-46
255 Pius IX *sening.* 1846-78
256 Leo XII *carpin.* 1878-903
257 Pius X *riet.* 1903
Ad multos annos.

---

* Qui asterisco notantur Avenionis commorati sunt.

III Series Conciliorum œcumenicorum.[1]

	Concilium	Annus	RR. PP.	Epis.	Argumentum
I	**Nicænum I**	325	SILVESTER	318	*Divinitas Verbi contra Arianos.*
II	**Constantinop. I**	381	DAMASUS	150	*Divinitas Spiritus S. contra Macedonianos.*
III	**Ephesinum**	431	CŒLESTINUS I	200	*B. V. M. divina maternitas contra Nestorium.*
IV	**Chalcedonense**	451	LEO M.	636	*Duæ naturæ in Christo contra Eutychianos.*
V	**Constantinop. II**	553	VIGILIUS	165	*Unio hypostatica contra Theodorum Mopsuestenum.*
VI	**Constantin. III**	680-81	AGATHO / LEO II	160	*Duplex operatio in Christo contra Monothelitas.*
VII	**Nicænum II**	787	HADRIANUS I	350	*Damnantur Iconoclastæ.*
VIII	**Constantin. IV**	869-70	HADRIANUS II	102	*Vis traditionis etc., damnatur Photius.*
IX	**Lateranense I**	1123	CALLISTUS II	300	*Controversia de investituris composita.*
X	**Lateranense II**	1139	INNOCENTIUS II	1000	*Proscribitur usura et damnatur Arnaldus Brixiensis.*
XI	**Lateranense III**	1179	ALEXANDER III	302	*Proscribitur simonia et damnantur Cathari.*
XII	**Lateranense IV**	1215	INNOCENTIUS III	439	*Unitas veræ Ecclesiæ, necessitas missionis etc., damnantur Albigenses, Waldenses etc.*
XIII	**Lugdunense I**	1245	INNOCENTIUS IV	140	*Damnatur Fridericus.*
XIV	**Lugdunense II**	1274	GREGORIUS X.	587	*Processio Spiritus Sancti: Græci in communionem recepti.*
XV	**Viennense**	1311	CLEMENS V.	300	*Proscribitur usura, anima declaratur forma corporis, damnantur Beguardi et Beguinae.*
XVI	**Florentinum**	1438-45	EUGENIUS IV	150	*Primatus R. P. - Græci, Armeni, Jacobitæ in Ecclesiam recepti.*
XVII	**Lateranense V**	1512-17	JULIUS II / LEO X	100	*Improbantur errores de anima.*
XVIII	**Tridentinum**	1545-63	PAUL. III *(voc.)* / PIUS IV *(dimis.)*	276	*De humana libertate sub gratia, de reali praesentia Christi in Euchar., etc. contra Protestantes.*
XIX	**Vaticanum**	1869-70	PIUS IX	*Dei Filius* 650 *Pastor. aeter.* 600	*Divina revelatio, natura Primatus R. P. eiusque infallibilitas.*

1 Ex TANQUEREY coll. C. MAZZELLA et DENZINGER.

IV SCRIPTORES ECCLESIASTICI [1].

Scripturae N. T.

	Annus
Evang. Matthaei	40-50
Ep. 1 et 2 ad Thessal. Galatas	52
Evang. Marci	53
1 et 2 ad Corinth., Rom.	58
Epist. Jacobi	62
Epist. Philip., Colos., Philem., Ephes. Hebraeos, Evang. Lucae, Actus Apost.	63
Epist. 1 Petri	64
Epist. Judae, I Tim. et Tit.	65
Epist. 2 Tim. 2 Petri	67
Apocalypsis	95
Evang. et tres epistolae Johan.	96

Patres apostolici.

	Defuncti
S. Clemens Romanus	100
S. Ignatius Antioch.	107
Epistol. Smirnen.	
Epist. 2 ad Corinth. (inter Clementinas)	120-60
S. Quadrati *apologia*	125-6
Epistola Barn. (ignoti auct.)	130-1
Doctrina duodecim Apost. (ignoti auctoris)	100-30
Hermas	150
S. Polycarpus	155
Epist. ad Diognetum (ignoti auct.)	circa 150
S. Papias	circa 150

Saeculo 2.

S. Aristides *apolog.*	circa 150
S. Justinus M.	165
S. Dionysius corinth. [2]	170
Hermias	171
Tatianus	176
S. Apollinaris hierap.	176
S. Melito sardic.	176
Athenagoras	post 177
S. Hesegippus	180
S. Theophilus	182
S. Irenaeus	202

Saeculo 3.

Cajus	202
Clemens Alex.	220
Julius afric.	221
Minutius Felix	229
S .Hippolytus	230
Autor Philosophumenorum (S. Hippolytus)	
Tertullianus	245
Origenes	254
S. Cyprianus Cartag.	258
S. Dionysius Alex.	264
Macarius Magnes (*Cf. Duchesne*)	
S. Gregorius thaum.	270
S. Victorinus petav.	290

Saeculo 4.

S. Pamphilus	309
S. Methodius	312

[1] Patres qui asterisco notantur sunt doctores.

[2] Opera quae sub nomine Dionys. Areop. veniunt critici tribuunt ignoto scriptori saec. 5. Cf. Rauschen *Patrologia* p. 43 sqq

Arnobius 320
Lactantius 325
Juvencus 330
Constantinus Magnus 336
Firmicus Maternus 337
S. Eusebius Vercellensis 338
Eusebius Caesareensis 340
Marcellus Ancyranus 341
S. Eustachius Antiochenus 345
S. Pachomius 348
S. Jacobus Nisib. 352
S. Antonius Abbas 356
S. Diadochus 360
S. Hilarius Pictaviensis * 368
Victorinus Marius 370
Lucifer Calaritanus 371
S. Athanasius * 373
S. Ephrem 378
S. Basilius Caesar. * 379
S. Zeno Veronensis 380
S. Optatus Milevitanus 384
S. Cyrillus Hierosolymitanus 386
S. Gregorius Nazianzenus * 389
S. Phoebadius 392
S. Pacianus 397
S. Ambrosius * 397
Didymus Alexandrinus 397
Evagrius Ponticus 399
S. Epiphanius 403
S. Gregorius Nyssenus 403
S. Amphilochius Cappadox 404
S. Gaudentius Brixiensis 405
S. Chromatius 407
S. Johannes Chrysostomus * 407
SS. Macarius, Aegypt. Alexand.

SAECULO 5.

Synesius 410
Prudentius Aurel. 410
S. Hieronymus * 420
Palladius Helenopolitanus 420
Theophilus Costantinop. 420
Orosius 420
Rufinus 420
Sulpicius Severus 420
S. Augustinus * 430
S. Paulinus Nol. 430
Theodor. Mopsuest. 428
Socrates 430
Sozomenus 430
S. Isidorus Pelusiota 440
S. Cyrillus Alexandrinus 444
S. Proclus 446
Cassianus 445
S. Hilarius Arelatensis 449
Philippus sidetes 450
Marius Mercator 450
S. Vincentius Lirinensis 450
S. Petrus Chrysologus * 451
S. Nilus 452
S .Eucherius Lugdunensis 454
Theodoretus 458
Dracontius 460
S. Basilius Seleuciensis 460
Arnobius Junior 460
Victorius Cenom. 460
S. Leo Magnus * 461
S. Prosper Aquitanus 463
S. Maximus Taurinensis 466
Mamertus Claudius 470
Victor Vitensis 480
S. Sidonius Apollinaris 482
S. Faustus Rheg. 485
Salvianus 484
Gennadius Massiliensis 495
Julianus Pomerius 498

SAECULO 6.

Ennedius 521
Boëtius 523
Procopius Gazaeus 524
S. Avitus Viennensis 525
S. Fulgentius 533
S. Caesarius Arelatensis 542
S. Benedictus Abbas 543
Arator 550
Eugyppius Abbas 555
Dionysius Exiguus 555
Liberatus 555
Cassiodorus 562
S. Johannes Climacus 570
S. Germanus Paris. 576
S .Martinus Bracar. 580
S. Gregorius Magnus * 584

Evagrius Scholast. 594
S. Gregorius Turonensis 595
S. Leander Hispal. 595
S. Anastasius Sinaita 599
Venantius Fortunatus 609
Haesychius Hier. 609

SAECULO 7.

S. Columbanus 615
S. Sophronius Hierosolymitan. 629
Johannes Moschus 630
S. Braulio 633
S. Isidorus Hispal. * 636
S. Gallus Abbas 640
Johannes Darensis 650
S. Taio 656
S. Eligius Noviomensis 659
S. Maximus Martyr 662
S. Ildephonsus Tolet. * 667
S. Andreas Cretens. 680
Joannes Thessalonic. 680
S. Julianus Tolet. 690
S. Theodorus Cantuariensis 690
Abbo Metens. 700

SAECULO 8.

S. Adhelmus 710
S. V. Beda 735
S. Germanus Cpolitanus 740
S. Bonifacius Moguntinus 755
S. Joannes Damasc. 760
S. Chrodegangus 766
S. Cosmas Hierosol. 743
B. Alcuinus 804
S. Paulinus Aquil. 804

INDEX ALPHABETICUS.

(Indicantur numeri marginales - *n* notam signat).

A.

Acta martyrum sunt testes revelationis 600.

Agnosticismus quid 45.

Allegoria quid 550.

Angelorum prodigia aequivalenter miracula 110 *n*.

Anglicani an catholici 254 : errores de sanctitate Ecclesiae 231 deque eius forma sociali, 406.

Anima an aliquando praesentiat futura 128.

Appellatio ab episcoporum sententia semper licet, nunquam vero a definitivo judicio R. P. 444 : quid de appellatione a decretis SS. Cong. 479 *n*.

Apostasia finalis quae 280.

Apostoli quomodo rudes 141 : infallibiles 168 : de munere ordinario et extraordinario 474.

Apostolicitas quid 255 : originis, doctrinae et successionis 256 : formalis successionis definitio 257 : quomodo apostolicitas originis et successionis innotescat 258 : Ecclesia Christi est apostolica origine 260, doctrina 490 sqq. et successione 261 : haec autem apostolicitatis nota 262 soli Ecclesiae Romanae competit 263 sqq.

Archeologiae monumenta de Ecclesia 193 et de primatu R. P. 412 : sunt revelationis testes 600.

Ariani an aliquando catholici 252 : Traditionem non agnoscunt 589.

Assensus internus debetur magisterio Ecclesiae 349 etiam non infallibili 381 : iuxta objectum vero dividitur in assensum fidei divinae, fidei ecclesiasticae et religiosi obsequii 381.

Assistentia divina infallibilem exitum affert 260, et est radix indefectibilitatis Ecclesiae 279, cuius potestatis abusus praecavet 451, 471, necnon infallibilitatis eius 358 et R. P. 459 atque inerrantiae Scripturae 528.

Athei religionis necessitatem negant 35.

Authenticus codex quis habeatur 573.

Autoctona an sint omnia 32.

B.

Baptismus requiritur in membris Ecclesiae 308, 318.

Bayle docet theismum 65.

Beatificatio non est actus infallibilitatis 379.

C.

Calvini errores de visibilitate 207, de membris 311, de infallibilitate Ecclesiae 365.

Canon Scripturae quid 571 : ex solo magisterio Ecclesiae potest agnosci 576 : et quem Tridentinum Conc. docuit retineri debet 577.

CANONIZATIO sanctorum subest infallibili judicio Ecclesiae 379 : quae de ejus objecto sunt observanda 380.

CATHOLICITAS quid sit 242 : quomodo distinguatur 243 : Ecclesia Christi est catholica de jure 245 et de facto 246 : haec autem nota 247, soli Ecclesiae Romanae convenit 248 sqq.

CATHOLICORUM peccata heterodoxorum delictis sunt inferiora 175.

CAVOUR Ecclesiae a Statu separationem docuit 295.

CENSURA Ecclesiae quid 382 et quotuplex 383.

CHRISTUS vere resurrexit 152 sqq. : de revelationis existentia validissimum dedit testimonium 151 : in hoc mundo 195, 202, ante suam resurrectionem 200, Ecclesiam supra religionem mosaicam divinitus fundavit 197, nullatenus ex orientalibus religionibus et hellenica philosopia deducens 196 : quo sensu Legem servaverit 199 et vocetur Petra 413 : cultum externum non reprobavit 213 : quid fecerit in fundatione Ecclesiae et institutione primatus videbis sub voce *Ecclesia* et *Primatus*.

CHRONOLOGIA Scripturae incerta 552.

COELI an juxta Scripturam regantur columnis 566.

COGNITIO ab objecto determinatur 25, 30 : an vivat 29, 502 et mutetur 503-4 ; quae innata 33.

CONCILIORUM oecumenicorum requisita et utilitas 477.

CONGREGATIONIBUS RR. (S. U. I., Indic. et Com. Biblicae 479 *n*) debetur assensus internus 479, et probabilius non licet ab eorum sententia appellare 479 *n*.

CONGREGATIONISTARUM errores de unitate Ecclesiae 218, 311.

CORPORIS gloriosi dotes 154.

CRITERIUM ultimum veritatis an sit ratio 78, 353.

CRITICISMUS Kant 65.

CULTUS externus non obstat spiritualitati Ecclesiae 213.

CYPRIANUS qualiter Stephano I contradixit 226.

D.

DAEMONUM praestigia non sunt miracula 94 : quomodo fiant 99 : qua ratione a veris miraculis secernantur 100, 158.

DECRETA RR. PP. et CC. sunt testes Traditionis 597.

DEFINITIO quid 361 : exercetur solemni magisterio 361 : quomodo innotescat 362.

DEUS nostro cultu honoratur 38-9, nec eum dedecet hominem alloqui 68.

DEUTEROCANONICAE Scripturae sunt authenticae 583.

DIMNET docuit evolutionismum 499.

DOCTORES Ecclesiae qui sint 598.

DOCTRINALIS PROVIDENTIAE MAGISTERII quae auctoritas 360.

DOGMATA non sunt formulae veritatis relativae sed immutabiles fidei expressiones 361 : novis definitionibus possunt confirmari non mutari 470 : non sunt efformata successiva evolutione fidei 500, sed omnia saltem implicite a primis christianis credita 495, 513.

DOGMATICI textus et facta dogmatica subsunt infallibili magisterio Ecclesiae 374, 385.

DÖLLINGER negat infallibilitatem R. P. 462.

DOMUS SPIRITUALIS qua ratione vocetur Ecclesia 210.

DONATISTARUM errores de visibilitate 207 et catholicitate Ecclesiae 244.

DUPIN evolutionista 499.

E.

ECCLESIA quid secundum *nomen* 178 : vocatur domus spiritualis 210, granum synapis 504, pusillus grex 251, 487-8, regnum coelorum 202, 212, sponsa gloriosa 610 : *dividitur* in ve-

terem, praesentem et futuram 181, docentem et discentem 182, 341 : apparenter tantum convenit falsis religionibus 190, a quibus revera *distinguitur* 191, sicuti a synagoga 180 et a sectis omnibus orientalibus 183 et occidentalibus 184-5, in sola Romana Ecclesia veritatem habens 186, 224 sqq., 236 sqq., 248 sqq., 263 sqq. *Origo*. Quis Ecclesiae fundator 189 : Ecclesia non processit evolutione ab orientalibus religionibus neque ab hellenica philosophia 196, sed a Christo 193, qui pro praesenti aevo 195 ante suam resurrectionem 200 supra Mosaicam et propheticam revelationem 197, immediate fundavit 194. *Notae* quibus vera Ecclesia insignitur sunt quatuor, scil. unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas 205. *Proprietates*. Ecclesia est societas visibilis 205, 208, 210 sqq. spiritualis 274, indefectibilis 279 et infallibilis 366 sqq., legalis 285, necessaria 274, perfecta 286, et independens a Statu 287 a quo tamen non separatur 297 cuique prodest 293 et principatur 298 sqq. : semper crescit 250 et habet jus revisionis librorum et inspectionis in scholas catholicorum 376 atque indirecte judicandi de internis 387, possidendi bona 271 et media temporalia 275 sqq. : ipsa tenet jus gladii 400 et proprium territorium 290 : quomodo vivat 504. — *Membra*. Ecclesiae anima et corpus 305 : membrum et subditus 306 : tria de ratione membri Ecclesiae 307 sqq. : non sunt eius membra pagani et catechumeni 312, neque haeretici 320, de quibus tamen judicat 320, neque schismatici 314, neque excommunicati 315; sunt e contra membra eius peccatores et praesciti 317. — *Potestas*. De Ecclesiae potestate praecipua testimonia 331 : forma et subjectum aliter determinatur in ea quam in Statu 330 : Ecclesiae potestas non est a Statu 302 neque a consensu fidelium vel collectiva conscientia 333, sed a Christo 334 sqq., qui monarchiam puram non absolutam instituit 405, cum triplici potestate ordinis magisterii et regiminis 327, distincta quidem 328 sed connexa 329 : Quae Ecclesiae potestas romana sede vacante 478. v. *Unitas, sanctitas, catholicitas, apostolicitas, magisterium, infallibilitas, jurisdictio, primatus*.

ECLECTICISMUS quid sit 65.

EPICUREI negant prophetias 121.

EPISCOPI an nomen commune habuerint 486 : sunt successores Apostolorum 484, triplici ordinis, magisterii et regiminis potestate instructi 475 : eorum potestas est a R. P. 476 : a quo potest limitari 476 *n.* : quo sensu habeant ministerium universale 432 ; an Ecclesiae regimen in solidum teneant 433 et sint aequales R. P. 435 : collective inspecti cum et sub R. P. sunt infallibiles 475, a singulorum autem sententia semper licet appellare 444.

ERRORES quomodo impugnandi 93.

ESCHATOLOGICA Ecclesia improbatur 195.

ESSENTIAE rerum quo sensu immutabiles 108.

EVANGELIA quae 131 : auctoritas divina et historica 132 : evangeliorum genuinitas, integritas, veritas quid sint 133 : evangelia sunt genuina 135, substantialiter integra 136 et veridica 137 sqq. : non sunt evoluta 139, 335 : tempore historico scripta 142 : a primis Patribus testimonium retulere 138 ; nec contradictiones continent 144.

EVOLUTIONISMI systema 497 : radix, media, veritas relativa 498 : evolutionismus theologicus 192 et biblicus 546.

EX CATHEDRA quae locutio 458.

EXCOMMUNICATI vitandi non sunt membra Ecclesiae 310, 315.

F.

FACKIRORUM praestigia non sunt miracula 117.

FACTA dogmatica subsunt magisterio Ecclesiae 378.

FATALISTAE negant necessitatem religionis 35.

FEBRONII errores de perfectione Ecclesiae 284 et de origine potestatis eius 332.

FIDES an vivat et mutetur 502-5.

FORMICA an juxta Scripturam hiemali tempore manducet 566.

FORUM Ecclesiae externum et internum 390 : utriusque obiectum 391 et conditiones 392.

FRATICELLI negant Ecclesiae jus possidendi 273.

FREIDRICH Ecclesiae infallibilitatem non agnoscit 462.

FROSCHAMMER errores de objecto magisterii Ecclesiae 384 et de fidei subiectivo progressu 509.

FUNDAMENTI ratio quomodo competat Christo et Petro 413.

G.

GALLI an impune rejecerint conc. Nicaen. et Florent. 226.

GALLICANORUM errores de origine potestatis Ecclesiae 332, de ejus perfectione 284 et forma sociali 406, de primatu 445 et infallibilitate R. P. 462, et de subiectivo progressu fidei 509.

GALILAEUS qua ratione damnatus 472.

GENUINITAS Scripturae quid 572.

GLADII jus an sit in Ecclesia 400.

GLADSTONE negat infallibilitatem R. P. 462.

GRANUM synapis cur vocetur Ecclesia 504.

GÜNTHER error de progressu fidei 509.

H.

HAERETICI bonae fidei sunt de anima Ecclesiae et in voto etiam de corpore 309 : occulti sunt adhuc de corpore 309 : manifesti non sunt membra Ecclesiae 313, a qua tamen possunt judicari et damnari 320, 378.

HAGIOGRAPHUS v. *Scriptura.*

HARNACK errores de immanentismo 19, de evolutionismo 499, de inspiratione S. Scripturae 543.

HENOTHEISMUS impugnatur 24.

HIERONYMUS quo sensu docuit veritatem relativam in Scriptura 564.

HISTORIA sacra testis revelationis 600.

HOBBES theismus 65.

HODGE negat Ecclesiae infallibilitatem 365.

HONORIUS humanam Christi voluntatem non negavit 472.

HORMISDA in fide non erravit 472.

HUMANITATIS naturalis et necessarius progressus improbatur 198.

HUSS negat visibilitatem Ecclesiae 207.

HYPNOTISMI phaenomena non sunt miracula 116.

HYSTERISMI hallucinationes visionibus sanctorum non sunt aequandae 116.

I.

IDEALISMUS quid 65.

IMMANENTISMI systema religiosus 19, 65 contradicit rationi 25, mores corrumpit 26 et fidem evertit 27 sqq. : aliquo tamen sensu improprio potest admitti 33.

INFALLIBILITAS differt ab inerrantia 357 et impeccabilitate 460 : dividitur in activam et passivam 364 : non est conditionata in suo exercitio 357 et prout hominibus conceditur non est attributum divinum 471 : radicatur in

divina assistentia 358, 459 : aderat in V. T. 363 et Christus contulit Ecclesiae 366 sqq., Apostolis 368, B. Petro 463-4, atque successoribus eius RR. PP. 465 sqq. cum loquuntur ex cathedra 458.

INQUISITIONIS S. legitimitas 59.

INSPIRATIO quid 519. v. *Scriptura.*

IRWINGIANI aliam salutis oeconomiam expectant 277.

J.

JANUS negat infallibilitatem R. P. 462.

JANSENISTARUM errores de origine potestatis Ecclesiae 332, de objecto magisterii 384 ; de jurisdictione 393 et forma sociali Ecclesiae 406, de Primatu R. P. 445 et de subjectivo fidei progressu 509.

JOACHIMITAE expectant aliam salutis oeconomiam 277.

JOANNIS evangelium quomodo a synopticis differat 143.

JOAN. II ET XXII non erraverunt in fide 472.

JURISDICTIO quid 389 : forum externum et internum 390 : utriusque fori obiectum 391 et conditiones 392 : Ecclesia plena jurisdictionis pollet auctoritate 394-5, legifera, judiciali et coactiva 398 : ordinaria et immediata 441 : plena et suprema 442.

K.

KANT immanentismus 19 et rationalismus 65.

KANTIANA CRITICA scholasticam philosophiam non evertit 28, 93, 609.

L.

LEGENDAE quae 550 : in Scripturis non sunt 556.

LEPOR an iuxta Scripturam ruminet 566.

LEO II non damnavit Honorium de haeresi 472.

LEX quomodo in N. T. scripta sit in cordibus 351.

LIBERIUS non erravit in fide 472.

LIBERTATI non obstat necessitas religionis 40 et assensus fidei 355.

LIBRI revisioni Ecclesiae subsunt 376 et inscio auctore possunt damnari 388.

LITTERARIA forma quid et quotuplex 551, an cadat sub inspiratione 568 : quae a modernis dicitur historiographa, religiosa, popularis et libera in Scripturis locum non habet 557-8.

LITURGIA est testis Traditionis 597.

LOCUTIO vulgaris et scientifica 548.

LUNA an juxta Scripturas sit major stellis 566.

LUTHERI errores de visibilitate Ecclesiae 207 deque membris ejus 311.

M.

MAGISTERIUM quid et quotuplex 339 : Ecclesiae magisterium aliud est solemne, aliud ordinarium 342 : non solius infallibilitatis sed etiam doctrinalis providentiae 360, vere authenticum 340, cui debetur assensus internus 349, objecto proportionatus 381 : magisterium solemne exercetur definitione 361, quae formulis quibusdam innotescit 362. Christus in sua Ecclesia vere instituit magisterium 345, quod in heterodoxos ipsos et in fideles influit 343 atque infallibilitatis praerogativa 366 sqq. 463 sqq., quae etiam in V. T. extabat 365, donatur. *Objectum* magisterii Ecclesiae aliud est primarium, aliud secundarium 372 : quae pertineant ad obiectum primarium 373, quae ad secundarium 374 : attingit doctrinas et facta revelationi connexa 385 sqq. et textus dogmaticos etiam in sensu auctoris 375 : ad ipsum pertinent approbatio ordinum religiosorum 377, condemnatio haere-

ticorum 378, canonizatio sanctorum 379 sqq., inspectio scholarum catholicorum et revisio librorum 376, quos etiam insciis auctoribus damnare valet 388, tandem censurae sive in genere sive in specie 383-4.

MAGNETISMI praedictiones non sunt prophetiae 129 .

MANICHAEI expectabant novam salutis oeconomiam 277.

MARIAVITARUM error de revelationis objectivo progressu 493 *n.*

MARTYR quis 159 : in falsis religionibus non sunt 163 : in Ecclesia pene innumeri extant 159 et veritatis religionis nostrae sunt testes 160 sqq.

MATERIALISMUS 63, religionis notionem corrumpit 16.

MEMBRUM in quo differat a subdito 306 : tria de ratione membri Ecclesiae 307. v. *Ecclesia.*

METAPHORA 550 : quae agnoscenda in Scripturis 555 sqq.

MILITES custodientes sepulchrum invite testantur resurrectionem Christi 152 *n.*

MINISTRI Ecclesiae an primitus a plebe fuerint electi 338.

MIRACULUM quid secundum nomen 94 et secundum rem 96 : virtus, signum, portentum et prodigium 95 : praeter, supra et contra naturam 97 : miraculi ratio absoluta et relativa 101 : cognoscibilitas historica, philosophica et moralis 102 : an sit factum hyperphaenomenicum 111 : falsarum religionum 117 et daemonum prodigia 98, 99 non sunt miracula : quomodo vera miracula a falsis secernantur 100 : miracula sunt possibilia 104-8 : vim probandi divinitatem revelationis habent 109 et possunt cognosci in propria ratione 110 sqq., 158, quin omnes naturae vires praeagnoscantur 114.

MODERNISTARUM systema philosophico-religiosum (*immanentismus*) 19, 69, theologicum (*evolutionismus dogmaticus*) 69, 497-8, biblicum (*inspiratio personalis*) 69, 518. *Errores de religione :* de ejus notione 16, origine 19, necessitate et unicitate 45, 218 : *errores de revelatione :* de eius notione, causa et possibilitate 65, de tempore quo est completa 493, et de ejus immutabilitate 282, 502 : de notis in genere 88, de miraculis 65, 103, de prophetiis 121, 126, 127, de mysteriis 65 : *errores de Ecclesia :* de ejus origine et existentia praesenti 192, de notis in genere 207, de unitate 218, de sanctitate 231, de catholicitate 244, de apostolicitate 259, de indefectibilitate 277, de membris 311, de sociali perfectione 284, de forma monarchica 406, de origine potestatis 301-2, 332, de jurisdictione 393, de magisterio 344, de cultu 273, de Primatu S. Petri 406, de Primatu Rom. Pont. 426, de episcopatus origine 481, *de Traditione :* de ejus notione 589 et de auctoritate Patrum et Theologorum 354, 575, 584, 602 : *de Scriptura :* de divina ejus origine 521, de reali inspiratione 530, de inspirationis extensione 542, 545, de immutabilitate 138, 355, 546, 575, de absoluta veritate 501, 549, de sensu historico 553, de immunitate ab erroribus 553 et contradictionibus 144, de authentia et integritate 134, 137, 335, 546, 575, de interpretatione scientifica et authentica 575, 584 : fundamentales etiam errores docent de cognitionis vita 282, 502 de veritatis relativitate 501, 549, de mutatione scientiae 561.

MONARCHIA quid 402, pura et mixta, absoluta et non absoluta 403, quae melior societatis forma 404 : Ecclesia est monarchia pura non absoluta 405.

MONTANISTARUM errores de sanctitate 231 et indefectibilitate Ecclesiae 277, de Scripturae inspiratione 530.

MOYSIS miracula ab incantationibus Aegyptiorum apprime distinguuntur 100 *n.*

MYSTERIUM quid 63, est incom-

prehensibile sed non innintelligibile 64, non impedit naturales cognitiones 76 : est possibile et vere datur 71 : potest revelari immediate 74 et mediate 75 : qua ratione percipiatur 73.

MYTHUS quid 550, non datur in Scripturis 556.

N.

NATURAE purae status an possibilis 84.

NATURALISMI systema 65 : negat necessitatem revelationis 35 et possibilitatem miraculorum 103.

NICOLAUS II non erravit in fide 472.

NOTA quid 85 : propria eius ratio 206 : positiva et negativa, intrinseca et extrinseca 86 : quid nota intrinseca praesupponat 87. v. *Unitas, Sanctitas, Catholicitas, Apostolicitas.*

O.

ORDO sacer in Ecclesia Romana deficere nequit 268.

ORDINES religiosi debent approbari ab Ecclesia 377.

ORIENTALIUM historia an fabulis contexta 142, 558.

OVES Christi quomodo non peribunt 322.

P.

PANTHEISTAE necessitatem religionis impugnant 35.

PARABOLA quid 550.

PAROCHORUM auctoritas 480.

PARVULI baptizati sunt etiam de corpore Ecclesiae 309.

PASCERE veram jurisdictionis potestatem importat 446, 452.

PATRES qui 598 : triplicem habent auctoritatem 599 : unanimi consensu sunt infallibiles testes revelationis 603, 605, 606 et veri sensus Scripturae 582 : ante dogmatum definitiones obscure quidem sed vere integram fidem confessi sunt 607.

PATAVINI errores de forma 406, perfectione 284 et origine 332 potestatis Ecclesiae 284.

PAULUS II in fide non erravit 472.

PECCATORES sunt membra Ecclesiae 317, 323-5.

PELAGIANORUM errores de visibilitate 207 et sanctitate Ecclesiae 231 : de Traditione 589.

PETRA aramaice in testimonio Matthaei est neutrum et concordat cum Petro 414 : quo sensu dicatur de Christo et de Petro 413 : quare a Patribus ad confessionem Petri est relata 417.

PETRUS fundavit Ecclesiam Romanam 431, primatum jurisdictionis 407 sqq. et magisterii 463 sqq. accepit a Christo protestatione amoris 469, eiusque vestigium adest etiam in Evang. Marci 415 : Paulo fuit superior 417 et ceteros apostolos in fide confirmare debuit 463 : qua ratione sit missus ad neophitos Samariae 418 : quo sensu Paulus ei restitit 201.

PHYSICA scientia non est mutabilis 561 : miraculis non opponitur 107 : qua ratione ad Scripturam pertineat 566.

PORTENTUM in quo a miraculo differat 95.

POSITIVISMUS quid 65 : religionis necessitatem impugnat 35.

PRAESCITI sunt membra Ecclesiae 316, 322.

PRIMATUS re non distinguitur ab episcopatu romano 421, a quo nequit separari 427, probabilius jure divino 423, 437, 439 : fuit in S. Petro 427 et transiit in successores RR. PP. 425, 428, 438 sqq. : non est solius honoris et inspectionis 446, sed verae jurisdictionis episcopalis 440, 447, ordinariae et immediatae 441, 448, 453, plenae et supremae 442, 449, 551, 555, supra omnes et singulos episcopos et fideles 443, 450 : qua ratione particularis ecclesia Romana sit indefectibilis 424 ; a sententia R. P. appellare

non licet 444. De infallibilitate R. P. v. *Infallibilitas*.

PRIVILEGIA clericorum legitima 294.

PROGRESSI religiosi necessitas falso obtruditur 175, 198. v. *Evolutionismus*.

PROPHETA quis 119.

PROPHETIA quid 120, 125 : est possibilis 123 et revelationis factum probat 123 sqq.

PROFESSIONES fidei sunt testes Traditionis 597.

PROPOSITIO haeretica, proxima haeresi, temeraria, sapiens haeresim, suspecta de haeresi, scandalosa, schismatica, seditiosa, male sonans, piarum aurium offensiva, quid 383.

PROTESTANTES v. *Reformatores*.

PROTESTANTISMI propagines 185.

PROVIDENTIA divina praecavet falsa miracula 110, ordinationis sacrae defectus 268, 318, abusus ecclesiasticae potestatis 451, 471, illegitimam electionem R. P. 425 et diuturnum dubium de vero 227.

PURGATORIO (in) distinctio inter animam et corpus Ecclesiae cessat 319.

PUSEYSTAE negant Ecclesiae catholicitatem 244.

R.

RADIORUM X, Y etc. faenomena cum miraculis nequeunt confundi 116.

RATIO quo sensu est supremum veritatis criterium 77.

RATIONALISMI systema philosophicum, theologicum, biblicum 65.

RATIONALISTARUM errores de possibilitate miraculi 103 et prophetiae 121, de sanctitate Ecclesiae 231, de Evangeliorum authentia 134, de Scripturae inspiratione 530, 543 et veritate 553.

REFORMATORUM errores de notis revelationis 88, de visibilitate 207, unitate 218, sanctitate 231 et apostolicitate Ecclesiae 259, de ejus jurisdictione 393 et forma regiminis 406, de Primatu R. P. 406, de auctoritate episcoporum 481, de revelatione 493, de Traditione 589, de canone Scripturae 575, de Patrum auctoritate 602.

REGALISTARUM error de primatu R. P. 445.

REGIUM PLACET non jus sed injuria 295.

REGNUM COELORUM cur dicatur Ecclesia 212.

RELIGIO quid secundum nomen 12 et secundum rem 13 : falsae notiones 16 et vera definitio 14 : ejus divisiones 15 : religionis *origo* non ex sacerdotum fraudibus 22, neque ex ignorantia et enthusiasmo 23, neque ex henotheismo 24, neque ex immanentismo 25-7, sed ex naturae dictamine, revelatione confirmata, 20 est deducenda ; quare prima religio non fuit polytheistica sed monotheistica 21. Quae religionis *necessitas* 34, 47-8, pro individuo 36 et pro societate 37, quibus perutilis est 42-3 : vera religio *una* tantum est 46 sqq. 50-1, quare religiosa tolerantia per se est mala 53-4, 56, etsi aliquando per accidens liceat 55 : porro unitati religionis accidentales differentiae non obstant 49. *Falsis* religionibus non aequalia cum vera sunt jura 58 : ipsis non suffragantur miracula 117, neque prophetiae 129, neque martyrum testimonium 163 : nil mirabile habent in propagatione 167 et apparenter tantum conveniunt cum christianismo in genere 174 et Ecclesia in specie 190-1. Religio *christiana* probatur miraculis Christi et sanctorum 146-9, prophetiis 150, testimonio Christi 151 ejusque resurrectione 152, testimonio martyrum 159 sqq., mirabili propagatione 165, 167-9, perfecta conservatione 166 sqq., sublimitate et veritate doctrinae 171, opimis fructibus 172 sqq., praestantia supra alias religiones 174.

RES FIDEI ET MORUM quae 542. v. *Scriptura*.

RESURRECTIO Christi historice constat 152 sqq.

REVELATIO divina quid 61 : divisiones 62 : non consistit in excitatione virium ad cognoscendum sed in proprie dicta locutione Dei 67 : quo sensu dicenda delapsa e coelo et quo acquisita de terra 69. Revelatio est *possibilis* 74-8 imo necessaria 79-80, 84, non physice 83 sed moraliter 82 : an privatae revelationes sint credendae 492. Revelationis *progressus* multiplex 506; augmentum suscepit in V. et N. T. 491, sed completa est in Apostolis 494-6; quare obiectivus revelationis progressus non datur, et multo minus ejus evolutio, quae repugnat fidei et rationi 500-5 : subjectivi progressus causae et occasiones 507 : non consistit in mutatione sensus dogmatum 510, neque in mysteriorum comprehensione 511, sed in clariore propositione et perceptione 512. Revelationis sunt *notae* 89 positivae 90, extrinsecae 91 et intrinsecae 92, quae tamen conditiones quasdam praesupponunt 87 : probatur miraculis 109 sqq. et prophetiis 123 sqq. : non percipitur privato examine Scripturae 345, neque impulsu Spiritus S. 346, neque dictamine conscientiae collectivae 347, sed vivo magisterio Ecclesiae 348, cui debetur internus animi consensus 349.

RICHER E. errores de origine 332 et perfectione Ecclesiae 284.

ROMANA Ecclesia sola est *una* unitate communionis fidei, et regiminis 224, quae non est scissa schismate occidentis 227 : sola est *sancta* sanctitate activa et passiva 236 sqq. : sola *catholica* 248 sqq. : sola *apostolica* 264 sqq. : in ea non potest deficere sacra ordinatio 268. Particularis ecclesia urbis Romae a B. Petro est fundata 431, nec potest deficere 424.

ROMANUS PONTIFEX. v. *Primatus*.

ROSMINI error de progressu fidei 509.

ROUSSEAU necessitatem religionis negat 45.

S.

SABATIER error evolutionismi 499.

SANCTITAS quid 228 et quotuplex 229, quomodo innotescat 230, 239. Ecclesia est sancta 232 sanctitate quoque passiva 233, in gradu etiam perfecto et heroico 234 : sanctitatis *nota* 235, 241 soli Ecclesiae Romanae convenit 236 sqq., eique peccatorum praesentia non obstat 175, 240, 316, 323 sqq.

SCHELL docet evolutionismum fidei 499.

SCHLEJERMACHER error de inspiratione Scripturae 543.

SCHISMA occidentis materialis tantum 227.

SCHISMATICI non sunt membra Ecclesiae 310, 314.

SCHOLAE catholicorum inspectioni Ecclesiae subsunt 376.

SCHOLASTICORUM auctoritas 601, 609.

SCHWEDENBORGIANI novam oeconomiam expectant 277.

SCIENTIA non est independens a fide 330, nec impeditur magisterio Ecclesiae 356.

SCRIPTORES ecclesiastici qui sint 598.

SCRIPTURA sacra quid 515, excellentia et utilitas 517 : non est adaequatus fons revelationis 350. Quae res fidei et morum 542, 545 : sensus litteralis et typicus 516, metaphora, allegoria, parabola, mythus, legenda 550, forma litteraria 551, locutio scientifica et vulgaris 548, dictum, relatum, praesuppositum 547. Historia *inspirationis* Scripturae 518 : quid inspiratio hagiographa 519, 527, realis et personalis, formalis et materialis 526 : undenam repetenda sint diversitas styli 524 et hagiographorum labores 525 : auctor principalis Scripturae quis 520 : inspiratio, quae ejus quoque formam litterariam attingit 568, non est insania

531, neque revelatio 529, 532, neque verbalis dictatio 533, 537-40, neque subsequens approbatio Dei et Ecclesiae 534, neque impulsus personalis 535, 541; sed infuxus divinus in intellectu et voluntate receptus, quo hagiographus movetur 536 sub assistentia Dei 528, ad scribenda sensa Domini qui proinde Scripturae est auctor principalis 520. Scriptura vere est inspirata 522-5, eiusque inspiratio ad omnes partes se extendit 544, ac proinde est omnino vera, et non in rebus fidei et morum tantum 559, quare non sunt in ea errores ulli 554 vel contradictiones 144: quamvis autem non desit in ea sensus metaphoricus 555, non adsunt mythi et legendae 556, neque illae formae litterariae, quas moderni dicunt historiographam 557, religiosam, popularem et liberam 558. Quis Scripturae *canon* 571: quae eius genuinitas 572 et quotuplex authentia 573. Scripturae canon ab Ecclesia debet determinari 576, unde quem docuit Conc. Trid. retinendus est 577: porro sacrorum librorum evolutio omnino repugnat 139, 140, 546, 578. De usu et *interpretatione* Scripturae 574: interpretatio scientifica et authentica 354: Scripturae sensus, quem Ecclesia docet et Patres unanimi consensu tradunt, retineri debet 555, 582: quo sensu Scriptura fiat homo perfectus 592: quomodo ei nihil addi vel demi possit 593: principia necessaria pro solutione difficultatum 552, 559. v. *Vulgata*.

SECTAE orientales 183 et occidentales 184-5.

SEDES et sedens quomodo distinguantur 457.

SENSUS religiosus aliter apud Patres et apud Modernistas 31.

SIGNUM (miraculum) quid 95.

SPIRITUALITATIS notio expolitur 270.

SPIRITUALIS quomodo judicet omnia 352.

SOCIETAS perfecta quae 283. v. *Ecclesia*.

SOCINIANI negant prophetias 121.

SOLEM moveri non docet Scriptura 566.

STATUS tenetur profiteri religionem 37, 41 et quidem unice veram 52, 54: aliquando falsas religiones tolerare potest 55: ab Ecclesia non impeditur in prosecutione sui finis 303 imo valde juvatur 293: ab ipsa nequit separari 297, sed ei opitulari 293 eique subdi debet 298.

STOICI negant prophetias 121.

STRUTHIO an juxta Scripturam ova non foveat 566.

SUPERNATURALE non est irrationale 78.

SYMBOLUM quid 550: fidei symbola Traditionis sunt testes 597.

SYNAGOGA quomodo aeterna 281 et infallibilis 363.

T.

TELEPATIAE phaenomena quomodo explicanda 116.

TEMPORALIA bona possunt ab Ecclesia possideri 271: quid sentiendum de dominio temporali R. P. 272.

TERRA an juxta Scripturam stet 566.

TESTES resurrectionis an 157 et cur Apostoli 157 *n.*: qui testes revelationis 596.

TEXTUS dogmatici subsunt magisterio Ecclesiae 375.

THEISMUS quid 65: indifferentismum religiosum docet 45.

THEOLOGIA quid 1-2: divisiones 8, historia 9, quae dotes et requisita exigat in discentibus 7: quod objectum ejus 3: est scientia imo et sapientia 4 ceteris scientiis praestans 5, juvatur philosophia eamque illuminat 6: theologia scholastica a critica kantiana non est eversa 28, 93, 609.

THEOLOGORUM auctoritas 601, 604, 608.

THOMAE (S.) auctoritas 601.

TINDAL docet indifferentismum religiosum 45.

TRADITIO quid 586 : eius divisiones 587 : causa, media et testes 596 : consistit in trasmissione veritatum fidei 591-5, differt a magisterio Ecclesiae 588, et est fons revelationis 590.

TRADITIONALISTARUM error de necessitate revelationis 81.

TRAGELAPHUS quid de eo doceat Scriptura 547.

TYPUS quid 516, 550.

U.

UNITAS religionis 46-8 et Ecclesiae 216-7 : est vera nota Ecclesiae 223, quae est unica 219 et una unitate communionis 220, fidei 221 et regiminis 222 : soli Romanae Ecclesiae haec unitatis nota convenit 224-5, non defuit primis temporibus 201, nec schismate occidentis cessavit 227.

UNIVERSALISTARUM error de unitate Ecclesiae 218.

URBANUS VIII non erravit in fide 472.

V.

VERITAS est adaequatio rei et intellectus 72, an detur veritas relativa 501, 549.

VICTOR papa ecclesias asiaticas non excommunicavit 226.

VIGILIUS non erravit in fide 472.

VINCENTIUS LIR. quid docuit de immutabilitate fidei 508.

VIVERE quommodo competat intellectioni 29, fidei 502 et Ecclesiae 504.

VIRTUS (miraculum) quid 95.

VISIBILITATIS ratio explicatur 204 : quomodo Ecclesia sit visibilis 205, 208 sqq. 267, 268, 318.

VULGATAE authentia non importat absolutam consonantiam cum autographis 579, nec absolvitur sola legali approbatione 580, sed importat consonantiam cum originalibus in rebus fidei et morum 581.

W.

WEGSCHEIDER error de inspiratione 521.

WICLEFFI error de visibilitate Ecclesiae 207.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1751.M327 C001 V001
COMPENDIUM THEOLOGIAE DOGMATICAE TURIN,
3 0311 00042 8180

WITHDRAWN

43962

BX
1751
.M327
v.1

43962

AUTHOR
Marzoni, Cesare

TITLE
COMPENDIUM THEOLOGIAE DOGMATICAE E PRAECIPIUS SCHOLASTICIS ANTIQUIS...

DATE DUE